Q/53

IOSEPHI GIBALINI

E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

DE SIMONIA VNIVERSA TRACTATIO THEOLOGICA ET CANONICA.

IN QVA INNVMERÆ QVÆSTIONES DE SACRIS *Functionibus, Sacramentorum adminiſtratione, Miſſarum ſtipendiis, dotibus Monialium, Collatione, Reſignatione, & Commutatione Beneficiorum,*

AD VSVM VTRIVSQVE FORI DILVCIDE, & ex certis principiis explicantur.



LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD, in viâ Mercatoriâ.

M. DC. LIX.

Cum Priuilegio Superiorum.

ILLVSTRISS. REVERENDISSIMOQVE

DOMINO D. CAMILLO DE NEVFVILLE, ARCHIEPISCOPO ET COMITI

Lugdunenſi, Galliarum Primati,

ET APVD LVGDVNENSES, FORESIENSES ac Bellijocenſes Proregi.

R*Ecens detractas monſtro veteri manubias trophæis tuis affero*, Archipræſul & Prorex Illuſtriſſime, *coæuam Eccleſiæ cunis tibi ſiſto furiam, ſed inermem, & olim ab ipſo orbis Catholici capite præfocatam. Renata eſt tamen iterùm ſuo è cinere, vt flammas ſpargeret buſtum facturas ſacris myſteriis; Vaticano ſæpiùs percuſſa fulmine, nondùm extincta eſt; ſuoque toties naſcitura eſt è funere, quoties contigerit diuina humanis, terrenis cæleſtia fænerari. Beneficam & profuſam Dei manum, parcam penè efficit cum venalem, tantúmque detrahit Numini pretij, quantum in ſpeciem pluris facit. A mago cum dimanauerit, quid mirum ſuis tot implicuiſſe capita præſtigiis? & ſanè nulla delicatior magiæ ſpecies, quam quæ Deum è*

cælo deuocat, & mortalium alligat nutui. Habet in rerum omnium fonte diues ærarium, & effuſi pro humana gente ſanguinis propola, vendit ſingulis quod vbertim omnibus datum eſt. Horreſcis ad tam immanis monſtri ſpectaculum, nec pateris tuo gregi damna immittere; crebrâ ditionis tuæ luſtratione caues ne labem afferat; nec eam ſinis graſſari luem, quæ tenacior eſſe ſolet iis in animis quos inuaſit. Facis vnis infulis pretium grandius, cum ſplendori dignitatis accenſes virtutum omnium ornamenta: tam opimo inſtructus choragio geminum onus ſuſtines, par vtrique; Deo intentus & Principi, aris & vrbi inuigilas. Fraterni fiduciarius muneris patrem agis; & ſic Proregem imples, vt memineris te eſſe Præſulem. In vtroque totus cum ſis, non abs te diuideris. Seruaſti inter regni tumultus ſuam Lugduno pacem, & Regi fidem; in æquitate mentis tuæ ſtetit ſecura ciuium tranquillitas; & exemplo fuiſti finitimis, vt ſibi conſtarent & Principi. Quieuit vrbs ampla ſub lituo, dum armorum ſtrepitu concuſſæ reliquæ à ſtata fide deſciſcerent, & in Regis obſequio Regem penè neſcirent. Tu verò hæres illius nominis, quod vel in ſui particulâ Regem integrum ſonat, Villaregios *expreſsiſti, longâ officiorum ſerie probatos Galliæ, & inconcuſsâ tenacitate Regum placitis affixos. Ea quippe prodis è ſtirpe, quæ Regni comitiis conſiſtorianos comites, tribunos caſtris, aris præſules, præfectos Prouinciis longa ſuffecit propagine; atque propè eſt, vt præ numeroſa laureatorum capitum ſerie exclamem:*

Fortunata domus, quam Regia nomina centum
Commendant titulis, dum voluis pondera Regni,
Et ſolio vicina regis quos orbis adorat.
Accenſes numeroſa tuis emblemata ceris.
Hinc torques, lituique nitent, & lilia clauas
Caſtrenſes rutilo circùm ſplendore coronant.
Hinc palmare dedit * Fratri Victoria nomen, * Nicolaüs
Quod vacuum non eſſe ſinit;dumque æra loquentur,
Æternis inſcripta notis ſeruata manebunt
Virtutum monimenta tuarum; atque Alpibus ingens
Extabit tumulus ſtatio Taurina recepta:
Laurigeros Equitis cineres, vrnâque cadauer
Marmoreâ incluſum victricia lilia lambent.
Sceptrigeris Carolum patrem pretioſa ligarunt
Vincula, digna fide, & ſericatis debita muris.
At quem te memorem, qui longo nobilis æuo,
Seruaſti patrios apices, & iura regentum?
Nam Themidis tu fida manus, Regumque voluntas
Henricos, *Caroloſque*, & nomina clara nepotum
Suſtentare potis, nutantia ſceptra ſalute
Ambiguâ firmare auſus, diſcrimina primis
Intentata viris adiiſti, Lilia ſolus
Aſſeruiſſe potens; ſed te ſors lubrica fatis
Eripuit, dubias natum tractare ſecures,
Suſpenſamque ratem mediis ſeruare procellis.
Heroüm tu ſanguis eras, tu gloria ſtirpis,
Exemplumque ingens olim venientibus author.
Te ſequitur ſoboles, quondam ſpectabilis orbi,
Lumine digna tuo, virtutum nobilis hæres,
Atque auctura tuum numeroſo ſtemmate nomen.
Hinc gemini fratres felicia ſidera ſurgent,

 Quo-

Quorum alter Regni fulcimen, nobile pignus,
Orbis ſpem, & Superûm poſt longa pericula munus
Seruabit, Regemque reget, dum ſeruiet aris.
Alter in obſequium fidei, paciſque ſequeſter
Mortales Numenque inter; ſed munus vtrumque
Implebit, fratrumque vices ſub duplice forma
Par animus, conſtanſque ſibi mens alta CAMILLI.
Vnus erit geminuſque idem proreta carinæ
Et pharus, in tutâ tandem ſtatione reponet.
Vrbis & orbis amor calcato ſyrmate pompa
Et decus ipſe ſibi feret vltrà ſidera nomen.
Roma Quirinali cinget ſandice, nepotes
Dum trabeas ferrumque hoſtili ſanguine tingent.
Tu votis accede meis, ſi Muſa ruborem
Iniicit ingenuum, te purpura dignior ambit.

Euenient hæc aliquandò cælo annuente, vatemque fuiſſe non pigebit, qui tibi ſtrictioribus quam poëticis adſtrictus vinculis, centum eſt nominibus.

Amplitudini tuæ

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
IOSEPHVS GIBALINVS
de Societate IESV.

ILLVSTRISSIMO
REVERENDISSIMOQVE PRÆSVLI
CAMILLO DE NEVFVILLE, LVGDVNENSIVM PROREGI.

ODE.

NON hic verendam lambit imaginem,
CAMILLE, laurus; non micat infulis
Frons digna Romano colore,
Et Tyriis religanda vittis.

Quis te fideli pictor arundine?
Quis erudito finxerit artifex
Vultum metallo? quæ ſequaci
Arte manus docilem figuret

Formas in omnes mentis imaginem?
Vt te Coronæ diuidis & Deo,
Vtrique totus, par vtrique,
Et gemino trabeandus oſtro?

Hinc explicatis laurea frondibus
Superba frontem cingeret auream,
Latéque velaret capacem
Ingenij locupletis arcem.

Hinc

Hinc emicaret ſidus amabile
Nitentis oris, fulgura gloriæ
Reuerberato lucis imbre
Perpluerent, radiiſque vultum

Non indecoris gratia pingeret:
Rubrica ſed te ni ſacra veſtiat,
Quæ ſpuma Perſarum coloret,
Vel Tyrium ſimulet venenum?

Quid Roma differs addere muricem?
Centum coruſcat iam titulis tuus,
Multiſque debes purpuratam
Nominibus trabeam CAMILLO.

Sacris tuetur iura ſecuribus,
Mulcet Leonem, ſedulus excubat,
Gregemque tranquillat tumultûs
Impatiens, lituoque ſeruat.

Ferociori fræna licentiæ,
Et diſſolutis moribus iniicit;
Et ferreum pridem, metallo
Reſtituit meliore ſæclum.

Affixa valuis monſtra, domeſticam
Securitatem, pacis imaginem,
Vrbiſque ſeruatæ trophæum
Terribili ſceleto figurant.

Immanio

Immaniorem iungito belluam,
IOSEPHE, *monſtris, & ſpoliis trucem*
Quondam ſuperbis, coge diras
His foribus reparare labes.

Prædam reuulſis faucibus euomat,
Et paſta diuo ſanguine Pardalis
Diſtendat extorum ſaburram,
Atque vterum laniata laxet.

SYMBOLA HEROICA

I.

LVNA SOLIS VICARIA.

ABSENTI PRO FRATRE.

Immortale tibi iubar eſt, vrbs ſplendida centum
Ignibus, inque tuo nomine lumen habes.
Eripiet tibi nulla diem nox fœda procellis,
Alteruter Fratrum dum tibi Caſtor erit.
Abſenti pro Fratre nitet tam nobile ſidus,
Vt faciat geminam ſplendor vterque diem.

II.

LVNA SILENTII ET QVIETIS AMICA.

SVB ME CVNCTA SILENT.

Dum ſtrepero quatitur ventorum turbine tellus,
Et conuulſa ſuis ſedibus antra gemunt;
Inde flagellato dat Lemnos murmura ferro,
Indè implet ſtrepitu turba vaciua forum.
Sub me cuncta ſilent, dum læto ſidera vultu
Inuigilant, noſtro eſt tuta labore quies.

ē ERVDITO

ERVDITO LECTORI.

EA fuit olim Galliæ felicitas teſte Hieronymo, vt monſtrorum immunis Heroas tantum pareret. Suis abundè diues miraculis, nihil inuidere poterat aliis, vbi tot in ſe bona collegerat, quæ vel diuiſa Prouincias bearent ſingulas. Orbis dixiſſes illam compendium, & gentium matrem aut dominam; tantumque paſſim famæ apud exteros adepta fuerat, vt fidei propugnaculum diceretur. Et ſanè Hæreſes nullas nouerat, niſi quas aut damnaſſet in aliis, aut procul ſuis à finibus exulare iuſſiſſet. Fida Numini, & Romanæ ſedi, vtriuſque iura tantum non verborum aculeis, ſed & ferri acie tuita, ſibi nomen fecerat Chriſtianiſſimæ. Hinc Reges appellati fidei vindices, Eccleſiæ primogeniti filij, religionis auitæ defenſores ſtrenui, & immanitatis barbaræ domitores. Quid plura? ſuos aliò mittere coacta pugiles, vt hoſtes vincerent, feſtis non ſemel exceperat vocibus poſt triumphatam hæreſim laureatos. Hilariis, Irenæis & Proſperis petenda fuere Orientis & Africæ monſtra, vbi deerant domeſtica, in abſentes pugnare ſoliti, torquebant argumentorum tela, quæ longè poſitos fideli ſemper ictu attingerent, ſuoque intenti gregi paſtores optimi lupos arcebant ab ouilibus alienis. Sed proh dolor! ſtabilis eſſe non potuit ea felicitas. Permeauit ad intima vſque regni viſcera virus aliundè collatum, afflatum eſt tetro halitu cælum puriſſimum, & Heroicis pridem ſæculis partâ auctaque Religionis decora, Nouatorum atroci veſaniâ, & amenti furore deturpata ſunt adeò, & corrupta, vt veteris ſplendoris veſtigia nulla fermè intacta reliquerit, futura poſteris pietatis auitæ indicia. Verum quid ego iniectas Eccleſiæ faces à teterrimis Auerni furiis ſuſpirem, dum enitendum magis eſt, ne ſerpat

vlterius

vlterius graue incendium? Pertimuit ſibi nupér iterùm Gallia, dum è Caluini nata cineribus Hydra multiceps,nouum parabat orbi exitium, niſi noua de cælo fulmina monſtrum immane tetigiſſent. Iacet nondum extincta planè vmbra Ianſenij, ſemineces artus agitat, collectoque ſpiritu fædæ reliquiæ vires licet parùm vegetas, timendas tamen iterum exerunt. Certat inanibus foliis trunco ſucciſo ſtirps dicam,an ſtipes?naſcentibuſque per interualla ſtolonibus propagatur. Inuidet ſuam Sorbonæ lauream, & ſcientiarum parentem ſuis conatur aſpergere maculis fædum vlcus. Cornicis obſtreperæ clangor inſonat adhuc auribus, poſtquam columbæ affatu expulſa ſuis è ſedibus, addicta eſt noctuas inter æternis tenebris. Seruat naufragæ ſectæ reliquias Portus Regius, & ſub tam illuſtri nomine doctrinæ purioris ſcopulus ſentinam religionis excipit, quam ſuaui verborum dilutam nectare propinet incautis. Ex ea prodeunt officina menſibus ſingulis leues in noſtros Doctores Epiſtolæ, mendaciis tantùm & contumeliis graues. Diſſolutis foliis dicam an ſcopis? quæ retrimenta tantum, & exquilias colligunt, facturus obicem, non aliis vtor argumentis, quam iis quibus ſapientiſſima olim Sorbonæ capita, erudita Facultatis almæ oracula, naſcentis Eccleſiæ decora SS. PP. ſacroſanctæ Synodi, & Doctores paſſim Catholici, ſuorum temporum Hæreſes & vitia impugnarunt.

Cum iis igitur Nouatoribus mihi res eſt, qui vt inuidiam faciant Societati noſtræ, quam errorum ſuorum hoſtem ſentiunt eſſe acerrimam; ſi quid turpe ſit, illi affingunt illicò, vademque authorum omnium eſſe volunt, vt illius famam lacerent, quam intactam manere non ſuſtinent, vbi ſuæ fecere iacturam. Verùm cum illi aliundè ſatis cautum ſit, nihil de illa in præſens dicturus ſum. Placet medicam adhibere manum hoſtium vulneribus, non hoſtilem. Cenſores appello, non ſectarios, vt dicteriis bona verba rependã. Affingant illi nobis aliena nomina,

non ego illos crudioribus impetam; parcam *Hæreſeos*, *impietatis*, *blaſphemiæ*, *ſacrilegiique* appellationibus, quas cum Vaticanum pronuntiarit ſæpius oraculum, ad depellendam iniuriam licuiſſet referre. Non amentatis eget iaculis, teliſque veneno illitis bona cauſa. Mihi cum ſacra Facultate communis eſt hæc pugnæ alea, illlius tueor partes dum meas ago; cumque ipſius authorum argumentis vtar ſæpius, patietur etiam, vt opinor, doctrinæ ſuæ pondus eſſe ſcriptionis huiuſce argumentum, nec ægrè feret laureata opponi capita leuibus fulminaſtris.

LAVRENTIVS GRANNON Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati conceſſum ab Henrico III. 10. Maij, 1583. ab Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. & Ludouico XIV. Regnante 23. Decembris 1650. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant; permittit DD. Borde, Arnaud, & Rigaud, vt librum qui inſcribitur, *Exercitationes Lugdunenſes de Simonia vniuerſa, Auctore P. Ioſepho Gibalino Societatis eiuſdem ſacerdote*, ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni, prima die Ianuarij, anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi noni.

LAVRENTIVS GRANNON.

SYLLA

SYLLABVS EXERCITATIONVM
Lugdunenſium de Simonia vniuerſa.

QVÆST.I. *Quid & quotuplex ſit Simonia.* pag. 2
QVÆST.II. *Explicatur amplius natura Simoniæ, illi eſſentialem eſſe rationem aliquam venditionis, & pretij aduerſus nouam opinionem.* 8
QVÆST.III. *Quanam ſit materia & obiectum Simoniæ.* 83
QVÆST.IV. *Conſectaria ex ſuperiori propoſitione vniuerſali.* 93
Conſectarium I. Simonia eſt quædam ſacrilegij ſpecies. ibid.
Conſectarium II. Simonia non eſt hæreſis, neque pugnat cum fide. 95
Conſectarium III. Iniuſtitia committitur quoties aliquid ratione ſolius ſpiritualis venditur. 96
Conſectarium IV. Omnis vera & propriè dicta Simonia iure naturali & diuino prohibita eſt; quæ verò ſolo iure Eccleſiaſtico inducitur, vera quidem, & grauis irreligioſitas eſt, non tamen ſemper propria Simonia & eiuſdem ſpeciei cum priori. 100
QVÆST. V. *Conſectarium V. Quinam poſſint eſſe Simoniaci. Regula vniuerſalis de re ſupernaturali vendita.* 106
QVÆST.VI. *Conſectaria ex regula ſuperiori.* 110
Conſectarium I. An ante legem Euangelicam fuerit Simonia. 111
Conſectarium II. In pura natura fuiſſet aliqua Simoniæ ſpecies. ibid.
Conſectarium III. Apud idololatras nulla eſt vera Simonia: quare neque Ieroboam, neque Balaam Simoniaci fuerunt. 112
Conſectarium IV. Scientia naturalis non eſt materia Simoniæ. 113
Conſectarium V. Doctrina Theologiæ non eſt materia Simoniæ. 115
Conſectarium VI. Neque licentia docendi, neque magiſterium, neque doctoratus in quacumque ſcientia, ſunt materia Simoniæ, ideoque vendi poſſunt. 117
Conſectarium VII. Licentia ſtudendi non eſt materia Simoniæ. 118
Conſectarium VIII. Reſponſa & conſilia etiam de quæſtionibus conſcientiæ, non ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium IX. Concio & catechiſmus eſt materia Simoniæ. 121
Conſectarium X. Obligatio ad faciendum actum ſpiritualem, etiam ſoli operanti vtilem, eſt materia Simoniæ; licebit tamen munere temporali,

aliiſuè modis, quàm vero contractu, & pacto oneroſo, alterum ad actum ſpiritualem inuitare. 122
Conſectarium XI. Soluuntur plures caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario. 127.
Conſectarium XII. Nulla pura omiſſio actus ſpiritualis, ſed ea ſola in qua exercetur actus iuriſdictionis & poteſtatis Eccleſiaſticæ, eſt materia Simoniæ. 131
Conſectarium XIII. Solutio ſingularium caſuum ex ſuperiori conſectario. 134
Conſectarium XIV. Neque gratia vnionis hypoſtaticæ, neque Chriſtus eſt materia Simoniæ, neque Iudas fuit propriè Simoniacus. 137
Conſectarium XV. Vendere Chriſtianum, iuſtum, Sacerdotem, clericum, religioſum ſub illa ratione Chriſtiani, iuſti, Sacerdotis, Simoniacum eſt. 138.
Conſectarium XVI. Gratiæ gratis datæ, vt Prophetia, virtus miraculorum, & alia eiuſmodi, ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium XVII. Omnia & ſingula Sacramenta, ſunt materia Simoniæ. 139
Conſectarium XVIII. An matrimonium ſit materia Simoniæ. 142
Conſectarium XIX. Sacramentalia omnia, & ſingula, ſunt materia Simoniæ. 143
QVÆST. VII. *De actu poteſtatis ſupernaturalis.* 144
QVÆST. VIII. *Conſectaria ex Regula ſuperiori.* 150
Conſectarium I. Lectio Euangelij & Epiſtolæ in Miſſa, eſt materia Simoniæ. 151
Conſectarium II. Exorciſmus aliaque minorum Ordinum functiones, ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium III. Tonſura clericalis, eſt materia Simoniæ. 152
Conſectarium IV. Diuina officia, ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium V. Priuatæ orationes & opera ſpiritualia virtutum, ſunt materia Simoniæ. 153
Conſectarium VI. Licentia audiendi confeſſiones, eligendi confeſſarium, munuſque confeſſarij, ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium VII. Licentiæ à Parocho conceſſæ ſubditis, ſunt materia Simoniæ. 154
Conſectarium VIII. Simoniacus eſt Parochus, qui non aſſiſtit matrimonio, niſi pretio accepto. ibid.
Conſectarium IX. Indulgentiæ, ſunt materia Simoniæ. 155
Conſectarium X. Omnis collatio Iuriſdictionis ſpiritualis eccleſiaſticæ in foro externo, eſt materia Simoniæ. 156
Conſecta

Conſectarium XI. Diſpenſationes omnes in materia ſpirituali, ſunt obiectum Simoniæ. 157
Conſectarium XII. Iudicium clericorum in materia merè politica, aliijque actus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in materia merè temporali, non ſunt obiectum Simoniæ. ibid.
QVÆST. IX. *De re materiali connexa cum ſpirituali.* 158
QVÆST. X. *Conſectaria ex ſuperiori regula.* 160
Conſectarium I. An beneficia, ſint materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium II. Labor intrinſecè coniunctus actioni ſacræ & ſpirituali; eſt materia Simoniæ. 161
Conſectarium III. Soluuntur caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario. 163
QVÆST. XI. *De materiali antecedenter connexo cum ſpirituali.* 166
QVÆST. XII. *Conſectaria ex Regula ſuperiori.* 167
Conſectarium I. Materiæ remotæ Sacramentorum, & Sacramentalium, non ſunt materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium II. An veſtes, vaſa ſacra, altaria & templa, vendi poſſint. 169
Conſectarium III. An vaſa ſacra pretio locari poſſint. 170
Conſectarium IV. An agni cerei, Reliquiæ & imagines, ſint materia Simoniæ. 171
Conſectarium V. An primogenitura olim coniuncta Sacerdotio, foret materia Simoniæ. 173
Conſectarium VI. An ſepultura, ſit Simoniæ materia. 175
Conſectarium VII. Soluuntur caſus ſingulares. 182
Conſectarium VIII. An teſtimonium & patrocinium in iudicio merè ſpirituali & Eccleſiaſtico, vendi poſſint. 184
QVÆST. XIII. *De pretio Simoniaco, & primo quidem, an aliquid ſpirituale poſſit habere rationem pretij.* 185
QVÆST. XIV. *Conſectaria ex propoſitione ſuperiori.* 191
Conſectarium I. An liceat actionem ſpiritualem, cum obligatione ad aliam ſimilem præſtandam commutare. 192
Conſectarium II. An votum de præſtanda re temporali ad obtinendam ſpiritualem, vel è contrario, votum rei ſpiritualis pro re temporali, ſit licitum. ibid.
Conſectarium III. An omnia ſpiritualia, quæ habent temporalia ſibi conſequenter annexa, ſint permutabilia inuicem. 193
Conſectarium IV. An permutatio beneficiorum Simoniaca, ſit irrita & nulla. 194
Conſectarium V. An commutatio actionum pertinentium ad prouiſiones

beneficio

beneficiorum, ſit Simaniaca. 195
Conſectarium VI. An commutatio vnius beneficij cum iure ad aliud, ſit Simoniaca. ibid.
Conſectarium VII. An iura ad beneficia, poſſint inuicem, vel cum beneficio permutari;& explicatur cap. ad audientiam 2.de reſcriptis. 196
Conſectarium VIII. An ſuperioris authoritas abſtergat Simoniæ labem à commutatione beneficiorum. 198
Conſectarium IX. Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario. 201
Conſectarium X. An beneficium poſſit permutari cum penſione, authoritate ſuperioris. 203
Conſectarium XI. An inæqualitas beneficiorum permutatorum, compenſari poſſit abſque Simonia. 207
Conſectarium XII. An poſſint beneficiati obligare ſe, ad faciendam permutationem beneficiorum, nondum conſulto Epiſcopo. 212
Conſectarium vltimum. An commutatio beneficiorum, cui ſuperior ſine iuſta cauſa authoritatem tribuit, ſit Simoniaca. 213
QVÆST. XV. *Quodnam temporale, ſit pretium in contractu Simoniaco.* 214
QVÆST. XVI. *Conſectaria ex propoſitione ſuperiori.* 218
Conſectarium I. An collatio beneficiorum, & aliorum ſpiritualium propter conſanguinitatem, ſit Simoniaca. 219
Conſectarium II. An conferre beneficium, aut aliquid aliud ſpirituale, metu impendentis mali, ſit Simoniaca. 221
Conſectarium III. An conferre beneficium ex metu lucri ceſſantis, ſit Simonia. 223
Conſectarium IV. An pecunia quæcumque, aliaue minuta munera ſufficiant ad Simoniam. 225
Conſectarium V. An conferens beneficium ex promiſſione remittendi debiti, ſit Simoniacus. 226
Conſectarium IV. An conferens ſpirituale ex pacto mutui, aut differendæ, vel anticipandæ ſolutionis, ſit Simoniacus. 229
Conſectarium VII. An collatio beneficij ſub grauamine penſionis, ſit Simoniaca. 231
Conſectarium VIII. An collatio rei ſpiritualis cum pacto cedendi beneficio Eccleſiaſtico, ſit Simoniaca. 232
Conſectarium IX. Regula vniuerſalis circa munus à manu, in collatione, & reſignatione beneficiorum. 233
Conſectarium X. Caſus ſingulares explicantur. 234
Conſectarium XI. An collatio beneficij propter obſequia, collatori, aut alij præſtita, ſit Simoniaca. 248

Conſecta

Conſectarium XII. An qui Epiſcopis, vel aliis famulantur ſpe obtinendi alicuius beneficij Eccleſiaſtici, ſint Simoniaci. ibid.
Conſectarium XIII. An collatio beneficij cum onere alicuius obſequij temporalis præſtandi, ſit Simoniaca. 249
Conſectarium XIV. Aliquot caſus ſingulares. 251
Conſectarium XV. An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali iam præſtito, ſit Simoniaca. 252
Conſectarium XVI. An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali præſtando, ſit Simoniaca. ibid.
Conſectarium XVII. An preces, interceſſiones, commendationes aliaque id genus, conſtituant Simoniam. 253
Conſectarium XVIII. Caſus ſingulares. 255
QVÆST. XVII. *Qualis debeat eſſe contractus Simoniacus.* 257
QVÆST. XVIII. *Conſectaria ex proxima propoſitione vniuerſali.* 258
Conſectarium I. An intentio principalis acquirendi temporale medio ſpirituali, vel ſpirituale medio temporali, ſit Simonia mentalis. ibid.
Conſectarium II. An donatio gratuita temporalis pro ſpirituali, ſit Simoniaca, aut ſaltem vt talis prohibita. ibid.
Conſectarium III. An donatio Antidoralis & remuneratoria temporalis pro ſpirituali, ſit Simoniaca. 262
Conſectarium IV. An Simonia ſit, dare temporale pro ſpirituali, ad redimendam vexationem iniuſtam. 276
Conſectarium V. Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario. 281
Conſectarium VI. An poſſit dari temporale pro ſpirituali in ſtipendium & ſuſtentationem. 290
Conſectarium VII. Quæſtiones ſingulares, maximè circa ſtipendia Miſſarum, explicantur ex ſuperiori conſectario. 297
Conſectarium VIII. Priuatæ quorundam Religioſorum Ordinum conſtitutiones, circa ſtipendia ſacrorum miniſteriorum, explicantur. 327
Conſectarium IX. An aliquid temporale pro ingreſſu Religionis accipi poſſit. 336
Conſectarium X. Singulares quæſtiones ex ſuperiori conſectario, circa receptionem Monialium, & earum dotes, explicantur. 348
Conſectarium XI. Qua ratione accipiatur aliquid temporale pro diſpenſationibus eccleſiaſticis, abſque Simonia. 357
Conſectarium XII. Difficultates ſingulares circa diſpenſationum executionem, & circa Officialium ſtipendia, ſoluuntur ex hactenus diſputatis. 359

Conſectarium XIII. An conſuetudo det ius accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali, ſiue, an excuſet à Simonia. 367
Conſectarium XIV. Quid ſentiendum ſit de quibuſdam conſuetudinibus ſingularibus, probandæ, an improbandæ ſint. 372
Conſectarium XV. De quibuſdam aliis conſuetudinibus dandi aliquid pro Ordinibus ſacris, & admiſſione in Clerum. 374
QVÆST. XIX. *De Simonia in beneficiis Eccleſiaſticis.* 376
QVÆST. XX. *Conſectaria ex ſuperiori propoſitione.* 381
Conſectarium I. Pontifex poteſt præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic ſeparatam vendere. ibid.
Conſectarium II. Pontifex nequit vendere beneficium. 384
Conſectarium III. An Epiſcopus poſſit præbendam beneficij vendere, aut aliquo titulo pro ipſa, pecuniam exigere. ibid.
Conſectarium IV. An priuatus collator aut reſignans poſſit vendere beneficium, quod confert, aut reſignat ratione emolumenti temporalis, quo ſe priuat, & in alium transfert, ac proinde pro eo damno temporali quod patitur, quidpiam exigere. 386
Conſectarium V. Vtrum praſtimonia, ſint materia Simoniæ. 387
Conſectarium VI. An Capellaniæ ſint materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium VII. An Commendæ, ſint materia Simoniæ. ibid.
Conſectarium VIII. An Coadiutoriæ, ſint materia Simoniæ. 388
Conſectarium IX. An Hoſpitalia, ſint materia Simoniæ. 389
Conſectarium X. An Iuſpatronatus, ſit materia Simoniæ. 390
Conſectarium XI. An penſiones beneficiorum, ſint materia Simoniæ, & an vendi, an redimi poſſint. ibid.
Conſectarium XII. Soluuntur aliqui caſus ſingulares. 396
Conſectarium XIII. An officia temporalia eccleſiaſtica vendi & alienari poſſint abſque Simonia. 397
Conſectarium XIV. Quo iure vendatur Clericatus, & Auditoriatus cameræ in Curia Romana. 400
Conſectarium XV. An pactio onerosa, ſiue tranſactio ad componendam litem beneficialem, ſit Simoniaca. ibid.
QVÆST. XXI. *De Simonia confidentiali.* 406
Prima difficultas. Quid ſit Simonia confidentialis. 407
Secunda difficultas. Quibus modis committatur Simonia confidentialis. 408
Tertia difficultas. Quænam ſit materia Simoniæ confidentialis. 410
Quarta difficultas. Quodnam ſit pretium in hac Simonia. 412
Quinta difficultas. In quibus actionibus committatur Simonia confidentialis.

tialis. 413
Sexta difficultas. Quo Iure ſit prohibita Confidentia. 417
QVÆST. XXII. *De obligationibus Simoniacorum circa reſtitutionem faciendam.* 418
QVÆST. XXIII. *Conſectaria ex ſuperioribus duabus propoſitionibus.* 429
Conſectarium I. An ordinatio, adminiſtratio Sacramentorum, conſecrationes, benedictiones, aliæque functiones ſacræ & ordinis exercitia Simoniacè facta, ſint valida & repetenda. 430
Conſectarium II. An actus Iuriſdictionis Simoniaci, validi ſint. 431
Conſectarium III. An profeſſio religioſa Simoniaca, valida ſit. 432
Conſectarium IV. An reliquiæ, grana benedicta, vaſa ſacra, aliáque ſimilia Simoniacè accepta, retineri poſſint. ibid.
Conſectarium V. An beneficia eccleſiaſtica per alienam Simoniam acquiſita, dimittenda ſint. 433
Conſectarium VI. An penſiones Simoniacè acquiſitæ, ſint dimittendæ. 436
Conſectarium VII. An officia eccleſiaſtica validè acquirantur prouiſione Simoniaca. ibid.
Conſectarium VIII. An Iuſpatronatus, validè per Simoniam acquiratur. 437
Conſectarium IX. An fructus percepti ex beneficio ſimoniacè obtento, reſtituendi ſint. 438
Conſectarium X. An quando vnus tantum actus in prouiſione beneficij Simoniacus fuit, tota prouiſio inualida ſit. 439
Conſectarium XI. Caſus ſingulares, in quibus pretium ſimoniacè acceptum, reſtituendum eſt. ibid.
Conſectarium XII. An Simonia mentalis obliget ad reſtitutionem. 443
Conſectarium XIII. An Simonia conuentionalis obliget ad reſtitutionem pretij Simoniaci, aut inualidet actum. 444
Conſectarium XIV. An Pontifex poſſit diſpenſare in reſtitutione pretij Simoniaci. 445
Conſectarium XV. An mediatores Simoniæ, teneantur ad aliquam reſtitutionem. 446
QVÆST. XXIV. *De pœnis Simoniæ.* ibid.
QVÆST. XXV. *De pœnis Simoniæ, in beneficiis eccleſiaſticis commiſſæ.* 451
QVÆST. XXVI. *De pœnis Confidentiæ.* 454
QVÆST. XXVII. *De pœnis Simoniæ commiſſæ in Ordinibus ſacris.* ibid.
QVÆST. XXVIII. *De pœnis Simoniæ commiſſæ in ingreſſu Religionis.* 458
QVÆST. XXIX. *De pœnis ferendis contra Simoniacos ex præſcripto Iuris.* ibid.

QVÆST. XXX. *De probationibus Simoniæ.* 459
QVÆST. XXXI. *De diſpenſatione cum Simoniacis.* 460

Emendanda.

LIceat mihi iiſdem quibus Symmachus Auſonium verbis eruditum lectorem compellare. *Opulentæ eruditioni tuæ, negligens veritatis librarius diſplicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Lib.1.ep.24.* damnabis infelicem ſcriptorum ſortem, quorum opera Librariorum, Typographorum, & emendatorum negligentiâ, vel inſcitiâ miſerrimè ſæpius deformantur. Miraberis in tam paruo volumine toties erratum fuiſſe. Ex iis pauca indicabo, quæ ſenſum & mentem meam planè peruertunt vnius aliquando voculæ mutatione. Pag. 11. col. 1. circà med. volunt ſubiici, *lege* nolunt ſubiici. pag.47. col.1. in fine, aliquam communem *lege* aliquam rationem. pag.64.col.1. in fine dicta *adde* expendenti. p.72. col.2. init. apponere *l.* opponere. p.78.col.2. fin. verè dictum *adde* eſt. ibid. col.2. init. principiliter *l.* principaliter. p.80.col.2. init. obtinẽdo *l.* obiiciendo. p.82.col.2. med. non attenderet *dele* non p.84.col.1. init. habitus *l.* halitus. p.91.col.1. med. mercedem *l.* mercem. p.99.col.1. med. à voluntate *l.* à voluptate. p.107.col.1. med. vtile eſt *l.* vile eſt. p.118. col.1. med. ſacrificationem l. ſanctificationem. p.111.col.2. med. numerum l. munerum p.116.col.2. fin. in aliis ſententiis l. ſcientiis. p.120.col.2. init. quod autem priuatum *adde* detur. p.132.col 1. fin. vt abſolutio *l.* vt non abſolutio p.167.col.2. init. chriſmatis *dele* p.168.col.2. med. cathedralium *l.* cathedraticum. p.171. col.2. med. nimiati *l.* miniati. p.176.col.2. fin. glebæ mixtione *l.* iniectione, p.199. col.2. med. vocant *l.* vacant ibid. ex quibus neque *l.* ex quibus fit. p.231. col.1. fin. collatoriam *l.* collatarium p.291.col.1. med. vitaret actum *l.* vitiaret actum. p.308.col.1. fin. abſque iuſtitia *l.* abſque iniuſtitia. p.280.col.2. med. non dicatur vti *l.* non dicatur emi vti; p.383 col.2. fin. mutare *l.* mutuare. p.397. col.2. fin. *σεφανίζοντας l. σφραγίζοντας* p. 399. col.1. *ἀισχροκερδίαν, ἀισχροκερδία, ἀισχρῶς, l. αἰσχροκερδίαν, αἰσχροκερδία, αἰσχρῶς.* p.403 col. init. conſtermit *l.* conſtituit. p.418.col.1. med ex Iudiciis *l.* Indiciis. p.439. col.1. fin. præſentio *l.* præſentatio. p.445. med. pontifices poſſe *l.* non poſſe. ibid. fin. qui pro tali *l.* quia pro tali: Prætereo deformata authorum nomina, & loca annotata, vt Balſomonem pro Balſamone. p.138.col.1. Antoninum Auguſtinum pro Antonio Auguſtino. p.168.col.2. Allerium pro Alterio pag 455 456. 457. Seguienſi pro Segouienſi. p.242.col.2. caput pro cauſa, p.71.col.2. parte pro puncto pag.122.col.1. fin. ff pro §. pag.415.col.2. Paludanus in cap.4. pro in 4. ſcilicet ſententiarum. Auguſtinus in pſal. q.46. pro in pſal.46. omiſſæ interdùm neceſſariæ voces. v.g. pag.431. in titulo. an actus iuriſdictionis Simoniaci ſine validi. mutatæ voces, aut detractæ aliquæ literæ. permitti pro permittit. p.77.col.2. eſſentitur pro aſſentitur. p.117. col.1. ad ipſis pro ad ipſos, ſiue pro ſine. omitti pro omittenti, examina pro examinat, è pacto pro ex pacto, ex caſu pro eo caſu, alioquem pro aliquem, charactoriſatur pro characteriſatur. qui pro quia, & quia pro qui p. 215. col.2. med. fodendienda pro fodienda p.164.col.1. aſſero pro affero p 48.c.2. & alia eiuſmodi quæ ſtatim legenti ſe produnt.

IOSEPHI GIBALINI
È SOCIETATE IESV, THEOLOGI,

DE SIMONIA VNIVERSA
Tractatio Theologica & Canonica.

INFAMEM Simoniæ labem ab ipſis naſcentis Chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis cum ſuo authore Simone damnauit Petrus, & ſubinde per varias ætates infælici germine ſoboleſcentem conſequentes. Romani Pontifices, & ſacræ Synodi ſuis edictis confixere. Peſtem enim, quæ ſua contagione plures inficiat, dixit Lucius cap.ſicut 1. de Simonia,quæ mox vt eius aliqua ſigna claruerint,ab Eccleſia eliminari,& perpelli debeat.*Concilium Toletanum octauum cap.* 3. Vſitatum malum maiorum frequenter mucrone ſucciſum, & rem, quæ tot exciſa decretis, areſcere potuit, ad vicem Lernæi capitis truncata vireſcit: quarè tanquam vulneri canceroſo ignitum ferrum *inijcere Magni illi Patres ſe velle denuntiant. Quod decretum Anſelm.* lib.6.cap.85. *refert,& Iuo ex parte* part.5.cap.83.*quod malè Gratian.* 1.q.1.cap. Reperiuntur, *Ambroſio in ſuo Paſtorali attribuit, cum apud Ambroſium nihil eiuſmodi*

inueniatur. Plura de huius atrocitate criminis congeſſit Binsfeld. in Rubric.de Simonia notab.11.*Pelagi.* lib.2. de Planctu Eccleſiæ art.9.*Carthuſian.*lib.1. de Simonia art.3.tom.1. opuſc. *Guilielm. Peraldus.* tom.2. ſuæ ſummæ tract. 4. cap.4. *Stapleton.* orat. 4. Acad.*Petrus le Vieil* oper.de hoc argumento.*Hugo Burlat.*lib.de aſtutiis vulpeculæ, &c. *Ioann. le Lievre* lib. infernus Simoniæ *& qui hos adducit Raynaud.* de malis & bonis Eccleſiæ lib. 2. ſect.1.cap.3. *E veteribus verò Gregorius* homil. 17. in Euangel. *& paſſim alibi.Damian.* opuſc.6.& lib.1.epiſt.13. *Citatur & tractatus Gennadij Conſtantinopolitani, ſed non reperitur. Sed nunquam ſatis potuiſſe hoc malum coërceri queritur Iuo* Epiſt. 135. ad Richard. Albanenſ. Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis Legatum; *omnibus tamen ſæculis ſua edicta in hoc crimen innouauit Eccleſia, vti veteres annales Eccleſiaſticos repetenti facilè conſtabit. Quia verò nequit huius vitij turpitudo circa beneficia Eccleſiaſtica explicari, niſi eius primùm natura aperiatur, idcircò quæ ad illam cognoſcendam pertinent, proſequemur, atque ita, quæ* lib.5.Decret. tit.3. *& apud Gratian.* cauſa 1.per aliquot qq. *atque in Extrauag. de hocce vitio traduntur, lucem aliquam accipient.*

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Simonia.

NOn placet à ſolemni, & vulgata Simoniæ definitione, quam tradidit Gloſſa *in Sum.* 1.*q.*1. *& in cap. Quicunque ibid.* & probarunt Canoniſtæ *in Rubric.de Simonia* & Theologi *in* 4. *diſt.*25.*&* 2.2. *q.*110. cum Altiſſiodo.*in ſum.lib.*3.*tract.*21.atque omnes Summiſtæ V. *Simoniæ*.diſcedere.

1 Eſt igitur Simonia, ſtudioſa cupiditas, vel voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum; quas vltimas particulas non habet gloſſa, eas tamen appoſuère DD. tum vt omnem Simoniam, etiam quæ iure humano inducta eſt, comprehenderent; tum vt amplitudinem materiæ, circa quam committi poteſt Simonia, magis explicarent.

Dicitur porrò ſtudioſa, id eſt, deliberata voluntas, non modò, quia ſine eiuſmodi voluntate nullum peccatum committitur; ſed quia datur Simonia quædam purè mentalis abſque vllo opere externo, immò aliquando abſque mutuo vllo pacto, & contrahentium conſenſu, & tunc ſufficit ratio vnius Simoniaca, cum ea praua intentione, vt committatur Simonia externa. E contrario verò non committitur Simonia per traditionem ſpiritualis pro temporali, niſi tradatur per modum pretij, ſed alio quopiam titulo, vt gratitudinis, quæ omnia conſtabunt inferiùs. Quia igitur ad Simoniam requiritur praua ea intentio formalis, aut virtualis, tradendi ſpirituale pro temporali tanquam pretio ipſius ſpiritualis, idcircò definita fuit à gloſſa per

per voluntatem, ſiue cupiditatem emendi vel vendendi ſpiritualia.

Per venditionem, & emptionem ſignificatur 1. vtroque eo modo incurri Simoniam; Nam Giezi vendidit collatam Naamano ſanitatem, Simon autem emere voluit donum DEI; vtrumque autem Simoniacum fuiſſe ſentiunt PP. vt monebimus inferiùs. 2. His vocibus indicantur omnes alij contractus onerosi, & non gratuiti, qui æquiualent venditioni. Neque ea venditionis paulò laxior acceptio, infrequens eſt in iure, vt pluribus oſtendit Tiraquell. *lib.1.de Retract.§.1.Gloſſa 2.ex l.ſicut §.venditionis ff. quibus modis pignus.* Vbi Gloſſa plura ſimilia congerit. 3. Venditionis nomine indicatur pretium, quod pro re ſpirituali traditur, vbi enim non reperitur pretium, aut aliquid, quod eius vices gerat, gratuita donatio eſt, non venditio, aut alia oneroſa pactio; hoc porrò pretium eſſentiale eſſe contractui Simoniaco, conſtabit ex toto titulo de Simonia, & ex iis, quæ congerit Gratian. 1.*q*.1. non enim alia de cauſa damnantur Simoniaci in collatione ordinum, Sacramentorum, aliorúmque eiuſmodi, niſi quia ea omnia non conferunt, aut accipiunt gratuito, ſed pecunia, alióve pretio ipſa vendunt, aut recipiunt. Neque opus eſt definitioni vulgatæ adjicere, vti nonnulli faciunt, voces iſtas *pro temporali*, nam nomina venditionis, & emptionis, quæ important, vt dixi pretium, ſatis ſuperque ſignificant illud pretium, quod in compenſationem rei ſpiritualis datur, aut accipitur à Simoniaco, eſſe quidpiam temporale, ſiue pecunia, ſiue quidpiam aliud pecuniâ æſtimabile exiſtat, neque enim, ſi ſpirituale detur pro ſpirituali, Simonia contrahetur, ſaltem contra Ius diuinum, & ex natura rei. Hoſtienſ. & Panormit. *in cap. Nemo. de Simonia.* Addunt allatæ definitioni opere ſubſecuto, quas particulas rejicit Armacan. *lib.*10. *cap.*12. Et Victo. *Relect. de Simonia. num.* 2. quia Simon reuera non emit donum Spiritus ſancti, ſed voluit emere dumtaxat, atque eam in rem pecuniam obtulit, quia tamen fuit ibi aliquod opus externum, nempe ea oblatio pecuniæ, volunt hi DD. ad veram rationem Simoniæ aliquod opus externum ab altero ſaltem contrahentium ſuſceptum, vt in eo conſummetur. Sicut tamen furtum, quod definitur acceptio rei alienæ inuito Domino, ſola mente perfici poteſt abſque vlla externa contrectatione rei alienæ, vllâve alia actione; ita & Simonia mentalis dari poterit, vti ſtatim conſtabit. Verùm agunt hi DD. de Simonia, in quam Eccleſia ſuis Edictis animaduertit, quæ externo aliquo opere prodere ſe debet, quod q. 7. oſtendemus, & patet ex 1.*p.atque* 2.*operis de ſcientia canonica.* Inutilis porrò quæſtionis eſſe, ſapienter monet Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99. Cur hoc vitium à Simone potiùs, quàm à Giezi, aut Balaamo, vel Iuda, qui eiuſdem noxæ damnantur à PP. denominetur. Plures tamen huiuſce nomenclaturæ rationes eruditè collegit Suar. *tract.* 3. *de Religio. lib.*4. *cap.*1. *num.*3. Sanè primùm in Simone anathematizatum fuit ab Apoſtolis hoc peccatum, illéque vnus palàm Spiritum ſanctum, eiuſque dona pecuniâ poſſidere, aliiſque vendere tentauit, quod neque Giezi, neque Balaamus voluerunt, neque fortaſſis rei fuerunt huius criminis, ſi rigidiùs accipiatur, quod inferiùs

inquiremus, vbi etiam de Iuda erit diſputandi locus.

Diuiſio Simoniæ.

1. Diuiditur variis modis Simonia ratione materiæ, circa quam verſatur, verùm eæ diuiſiones, niſi explicata tali materia, & obiecto exponi non poſſunt, & cum ſint duntaxat materiales, non indigent magna luce.

3. Secundò, diuiditur in eam, quæ eſt Iuris naturalis, & diuini, & in eam, quæ eſt Iuris poſitiui, quia ſola lege Eccleſiaſtica inducta eſt; quæ diuiſio ſumitur quoque ratione materiæ, & obiecti, in quo reperitur, quando enim res ex ſeſe ſpiritualis, vel inſeparabiliter, & ſecundum ſe ſpiritualibus annexa venditur, eſt Simonia Iuris diuini; cùm autem contra prohibitionem Eccleſiaſticam, factam propter reuerentiam, & ſanctitatem rerum ſpiritualium, aliquid temporale, illis non ex natura ſua annexum venditur, aut aliquid ſpirituale cum alio ſpirituali commutatur, committitur ſæpè Simonia, ſed Iuris humani, & Eccleſiaſtici, quæ vtrum vera, & propriè dicta Simonia ſit, expendam *q. 3. in Conſectariis.*

4. Tertiò, Diuiditur Simonia in Mentalem, Cõuentionalem, & Realem. Ita Nauarr. *cap. 23. num. 103. & in cap. mandato. de Simonia num. 7.* atque alij deinceps ipſum ſecuti. Mentalis non eſt ea, quæ ſola voluntate, aut propoſito committendi Simoniam perficitur, qua ratione voluntas fornicandi, furandi, & accipiendi vſuras, mentalis fornicatio, furtum, & vſura dici poſſet. Iura enim de actibus purè internis non loquuntur, neque ipſis pœnas imponunt. Quarè omnis Simonia, cuius meminêre interpretes in exponendo Iure, debet continere externum aliquem, & ſenſibilem actum, & aliquam dationem, atque acceptionem per modum pactionis, & contractus vti ex ipſa Simoniæ definitione conſtat. Mentalis igitur Simonia eſt donatio, vel acceptio ſpiritualis pro temporali tanquam pretio abſque vllo pacto tacito, vel expreſſo, ita vt ea praua intentio dantis, vel accipientis, neque ex ipſo opere externo, neque ex eius circumſtantiis vllo modo ſe prodat; cùm opus ipſum ſit aliquid indifferens, & poſſit bono, aut prauo animo fieri, accipiátque totam ſuam turpidinem ex intentione Simoniaca, vti contingit in aliis actibus indifferentibus, qui à ſola intentione peculiarem malitiam aſciſcunt, cùm nullam neque ex ſuo obiecto, neque ex fine externo, neque ex aliis adiunctis natiuam habeant, ſed totam deriuent ex fine operantis, qui plerumq; omnes alios latet. Sic qui expuit in Eccleſia ex contemptu, committet ſacrilegium mentale, quia quamuis inibi ſit aliquis actus externus, ille tamen ſacrilegam mentem non prodit. Qui accipit ſtipendium pro dicenda Miſſa, tanquam ipſius pretium; qui dat rem ſpiritualem, vt accipiat aliquid temporale in eius compenſationem, eſt Simoniacus mentalis. Atque hæc Simonia aliquando contingit ex parte alterius tantùm, puta dantis, vel accipientis, aliquando ex parte vtriuſque, cùm nimirum vterque ea praua intentione laborat, quod caſu contingit, cùm enim, vt dixi, abſit omnis pactio, & conuentio, nullus eſt ibi mutuus conſenſus, aut inuitatio, vel inductio ad venditionem rei ſpiritualis, ſed ſola traditio rei

temporalis ex vna parte, & ſpiritualis ex altera, quæ nulla ratione Simoniacum animum præ ſe fert. Huius Simoniæ exemplum habemus *in cap. Tua nos de Simonia.* Vbi Clericus, qui dat ſua bona temporalia, vt recipiatur in Canonicum, abſque vllo pacto, & conditione, ea tamen intentione, vt per bona temporalia, ſpiritualia valeat adipiſci, apud diſtrictum Iudicem culpabilis iudicatur, ſicut Canonici, qui eum non eſſent admiſſuri, niſi ea bona temporalia donaret. Culpa porrò iſta alia fingi non poteſt, quam Simoniæ, etſi eam non expreſſerit Pontifex, neque Simoniacos dixerit, ſed ſolùm culpabiles, vti aduertit Gloſſa, quia Eccleſia non iudicat de ipſis tanquam Simoniacis, neque illos Simoniacorum pœnis plectit, ideò ſola pœnitentia talem noxam deleri monet Pontifex, & ideò Simoniam tantùm largo modo agnouit Felin. *ibidem num. 3.* contra quam velit Innocentius, cui potiùs adhæreo, & apertiſſimè *cap. mandato.* reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente fiunt, Simoniam nominat Pontifex, quamuis dicat pro ea Simonia non teneri ad aliud, quàm ad pœnitentiam; de quo dicto intricata eſt difficultas alibi expendenda.

5. Simonia Conuentionalis eſt, quoties in externam pactionem, & Conuentionem de tradenda re ſpirituali pro temporali tranſit, nondum tamen reipſa per actualem traditionem perfecta, & conſummata fuit. Quæ iterum duplex eſt, nam vel nulla eſt facta ſiue rei ſpiritualis, ſiue ipſius pretij traditio, eſtque adhuc nuda pactio . & conuentio, vel iam ex altera patte perfici cœpta eſt, quia vel tradita eſt res ſpiritualis, nondum accepto eius pretio; vel datum eſt pretium temporale, & nondum accepta eſt res ſpiritualis. Prior dicitur Simonia merè, & purè conuentionalis, & illam Caietan. *℣. Simonia.* Mentalem dixit, quia etiamſi quoad crimen exterior ſit, quod pœnas tamen Eccleſiæ, mentalis eſt; ſed ſapienter aduertit Suar. *tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 41. num. 4.* etiam quoad forum Eccleſiæ, eam Simoniam non eſſe mentalem, quandoquidem ea conuentio, & pactio puniri iure poteſt; & in illa reuerà perfectus, & conſummatus eſt contractus Simoniacus in ratione contractus, quamuis ſuum effectum nondum ſortitus fuerit. Sicut Matrimonium ratum eſt verum, & perfectum matrimonium, licet nondum conſummatum quoad vſum; & venditio, atque emptio vera eſt, vbi de pretio, & merce conuentum eſt, etiamſi nulla adhuc ſit facta traditio. Altera Simonia Conuentionalis, in qua iam ex altera parte facta fuit traditio, eſt Simonia mixta, nam præter intentionem prauam, & contractum Simoniacum, iam incipit mandari exequutioni, & ex vna ſaltem parte impleta fuit.

Simonia realis eſt traditio, & acceptio rei ſpiritualis, & temporalis pretij ex præuia conuentione tacita, vel expreſſa, tunc enim nihil omninò deſideratur ad perfectam eius conſummationem. Quæſtio tamen eſt, an quando Simonia conuentionalis per alterius tantum, rei ſpiritualis, v.g. vel temporalis traditionem eſt conſummata, quam mixtam appellamus, Realis ſimpliciter, & abſolutè dici poſſit; Et quidem ſi pretium tantùm temporale, non autem res ſpiritualis data ſit, fatentur 6.

Caietan. Nauarr. & alij, non poſſe dici realem Simoniam, quia nondum reipſa conſummata eſt, ſicut neque venditio perfecta eſt, quamdiu res vendita manet apud venditorem, etiamſi illius pretium iam acceperit, quia illā alteri validè vendere poterit. Quando verò res ſpiritualis tradita fuit, Realē eſſe Simoniam, & perfectam, nondum accepto pretio, cuius tamen promiſſio præceſſit, Exiſtimat idem Caietan. atque alij, quia per traditionem rei venditæ perficitur venditio, & Iura definiunt Simoniam per traditionem rei ſpiritualis pro temporali, nempe quocunque modo detur, aut promittatur; modò enim ea rei ſpiritualis largitio gratuita non ſit, ſed onerosa ex pacto, reuerà Simoniaca eſt, & iniuria quæ fit rei ſpirituali, iam conſummata eſt per eiuſmodi traditionem, iam enim vt profana, & temporalis habita fuit.

Hanc quæſtionem de vocibus tantùm eſſe, iure merito Suar. *cap. cit. num.* 10. atque alij monent; atque ita diſſidentium opiniones facilè componi poſſunt, nam quoties non eſt conſummata Simonia ab vtroque contrahente, ſimpliciter perfecta, & realis Simonia dici nequit, quanquam delictum Simoniæ conſummatum ſit, ipſaque Simonia magis compleri videatur per traditionem ſpiritualis, quam per acceptionem pretij An verò in ordine ad effectus Iuridicos. vtraque ex iſtis mixtis Simoniis ſit perfecta, an altera tantùm, & quænam ex illis, diſquiram dum de pœnis, atque obligationibus Simoniacorum diſputabo. Hos autem effectus externos maximè attendunt DD. in his diuiſionibus, nam ſi ſpectaremus ſolam diſtinctionem ſpecificam, ſiue in ratione phyſica, ſiue in ratione moralis malitiæ, aliud dicendum foret; ſicut enim peccata oris, cordis, & operis non diſtinguuntur ſpecie, quoties circa idem obiectum formale verſantur, vti 1. 2. & 1. parte ſcientiæ canon. attigimus cum S.Thom 1.2.*q.*72.*art.*2. Ita neque hæ tres enumeratæ Simoniæ diſtinctam malitiam ſpecificam habent, & vna includit aliam, Conuentionalis nimirum mentalem, & realis Conuentionalem, in ordine tamen ad morales effectus, quos attendimus in Iure, plurimùm differunt, quare & ab aliquibus ſpecies accidentariò diſtinctæ dicuntur.

7\. Diuiditur quartò, Simonia in veram, & fictam. Hæc poſterior eſt promiſſio vendendi ſpirituale pro temporali, abſque animo implendi eiuſmodi promiſſionem, ac proinde tota illa promiſſio, & conuentio ficta, atque deceptoria eſt, neque veram Simoniam conſtituit, & inter eius ſpecies malè numeratur. Quarè hæc vltima diuiſio rejicienda eſt, cùm diuiſum ſit æquiuocum ad membra diuidentia. Itáque Iure docent Caietan. *opuſc. de Simonia q.*2. Soto *lib.*9.*de Iuſt. q.*8.*art.*1.*§.dubiū.* Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de Reſtit.cap.* 2. *num.* 391. Tolet. *lib* 5. *cap.* 90 *n.*4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 1. Valent. *tom.* 3.*diſp.*6.*q.*16.*punct.*5.*§. Ex quo intelligi poteſt* Suar. *tract.* 3. *de Relig. lib.*4. *cap.* 42 Man. Roderi. *in Sum. ℣. Simonia cap.*56. *num.* 6. Aragon. 2.2.*q.*100.*art.* 6.*conſ.*5. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap vlt.§.* 6. *ſub finem.* Bonac. *tract. de Simon. diſput.*1.*q.*2. *num.*8. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 10.*q.*2. Ferdin. A Caſtro *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 6. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 37. *diffic.*35.*n.*9. Contra Nauarr. *Comm. in cap. vltim. de Simonia num.* 10. & *in Enchirid. cap.*23. *num.*106. Ratio perſpicua

perſpicuà videtur, cùm enim abſit intentio vendendi ſpirituale pro temporali, non eſt reuerà illa ſtudioſa & deliberata voluntas, quæ in ipſa definitione Simoniæ requirebatur. Neque dici poteſt Simonia mentalis, quæ in eo propoſito vendendi aut emēdi ſpirituale pro temporali conſiſtit, hoc enim propoſito caret, qui non habet animum præſtandi venditionem, quàm fictè, ac deceptoriè promittit; Itaque mentalem Simoniam non incurrit? ſicut neque internam hæreſim, qui exteriùs dumtaxat illam ſimulat. Non poteſt etiam hoc loco reperiri Simonia Conuentionalis, tum quia illa mentalem ſupponit, vti conſtat ex ſuperiori diuiſione, tum quia vbi deeſt animus, & conſenſus, nullus eſt contractus, ſed eius tantùm ſimulachrum quoddam. Realis denique Simonia prorsùs abeſt ab hac fictione, quia eſt Conuentionis Simoniacæ exequutio, & perfectio, hîc autem neque impletur Conuentio, neque eſt animus eam implendi, ad eamve ſe obligandi. Et ſanè ſi fictio ſit in vtroque contrahente, ſtatim, niſi fallor, apparet, nulla ex parte veram Simoniam committi: ſi verò qui promittit ſe daturum rem ſpiritualem, fingat, cùm reipſa mentiatur, & non intendat reuerà dare rem ſpiritualem pro temporali, non committit veram Simoniam, ſed fingit ſe committere. Alter verò, qui eo mendacio deceptus, promittit rem temporalem in pretium, committit quidem Simoniam mentalem, cùm habeat verum animum emendi ſpirituale pro temporali, atque ad id ſe obliget, quantum ad ſe pertinet, non tamen veram Simoniam Conuentionalem facit, quia Conuentio, & contractus non fit ſine vtriuſque contrahentis vero conſenſu, alioquin nullus eſt contractus, ſed fictus; vti videmus in matrimonio, quod nullum eſt, & fictum, non verum dicitur, quoties vnus fictè conſentit, quia etiamſi alter exiſtimet ſe verè contrahere, idque ex animo velit, non tamen conſentit niſi in fictum. Atque ita non contrahit verum matrimonium, niſi quoad affectum ſuum, non quoad ipſam rem. Quæ ratio æquè valet, quando fictio intercedit tantùm ex parte promittentis pretium temporale; quo maximè caſu contendit Nauarr. veram eſſe Simoniam, nam cùm ad verum contractum neceſſarius ſit vtriuſque contrahentis verus ſeſe obligandi animus, vti iam monuì, & latiùs ſtabiliemus alibi in ſcientia Canonica, non poterit eſſe verus contractus Simoniacus hoc caſu, ſed fictus. Hæc nihilominùs ficta promiſſio mala eſt, malitiâ mendacij, & ſcandali, atque etiam externi ſacrilegij, puniríque poteſt ab Eccleſia pœnis iiſdem, quibus vera Simonia caſtigatur; an verò id ita fiat, diſquiremus *quæſt.* 22. 8.

Dices cum Nauarr. eſſe quidem fictam promiſſionem alterius contrahentis, cum ea tamen reperiri veram commutationem rei ſpiritualis pro temporali; Eſt enim data res ſpiritualis, vti ſupponimus, & promiſſa temporalis, ſiue verbo tenus, ſiue etiam inſtrumento publico. Hæc autem promiſſio eſt quid temporale & pecuniâ æſtimabile, pérque illud aut iam ſpirituale conſecutus eſt, aut conſequi intendit, quod ad veram Simoniam omninò ſufficit, quia ibi eſt vera datio, & acceptio rei ſpiritualis non gratuita, ſed onerosa; nam ſi quis ſe obligaret pro alio quamuis fictè, poſſet pro illa ficta obligatione

ne externa aliquid abſque iniuria poſtulare;Ergo ea promiſſio, quamuis ficta, æſtimabilis eſt.

Reſp. Hoc argumento probari non modò veram Simoniam Conuentionalem,ſed etiam realem committi in eo caſu, quia iam tradita eſſet pars pretij temporalis, pro quo data eſt res temporalis; Immo nunquam daretur Simonia purè Conuentionalis, cum enim in illa ſemper promiſſio rei temporalis reperiatur, iam aliquid temporale datum fuerit ex Nauarr. Nempe ipſa promiſſio. Dicendum itaque eſt, promiſſionem non eſſe partem pretij, ſed conditionem quandam, & certitudinem rei promiſſæ obtinendæ, neque datur res ſpiritualis pro promiſſione, ſed pro re promiſſa, & qui fictè promittit, non exhibet illam promiſſionem tanquam pretium, ſed offert ſimulatè, & deceptoriè id quod alter exiſtimat futurum eſſe pretium rei ſpiritualis, quam exhibet, aut exhibiturum ſe eſſe pollicetur.

QVÆSTIO II.

Natura vera, & propriè dictæ Simoniæ, amplius explicatur: Illi rationem aliquam venditionis, vel emptionis, & pretij eſſentialem eſſe: Aduerſus nouam opinionem.

§. I.

Status Controuerſiæ.

RERVM vim ac naturam diſputationibus indagamus, non verò pro libidine fingimus, ſuas quæque cauſas habent, principiiſque conſtant ſuis, per quæ diſtinguntur ab aliis, ſeu naturales illæ, ſeu artefactæ ſiue ad vitæ normam, diſciplinamque morum pertineant,non igitur in opinione ſita eſt, earum natura; nec in noſtra eſt poteſtate, conſtituere quid cuique rei ſit proprium, & ex arbitrio definire quid ſingulis conueniat, per quod id ipſum ſit, quod eſt, perinde enim naturæ ſe habent ac numeri, quos deſtruis, quamtuluncumque demas vel adjicias, ſic illæ pereant neceſſe eſt, ſi quid detrahatur, ſi quid accedat,cum ſint, vt ait Philoſophus, indiuiduæ, itáque in ſuo genere perfectæ, ſuiſque abſolutæ numeris, vt neque abſit quidquam, neque ſuperſit. Hæ porrò naturæ latent, ſuiſque inoluunt ſe tenebris, ipſamque mentis aciem ſubtilitate fallunt. Non ergo mirum, quod in eius inueſtigatione tam multi ludant operam; labanturque tam turpiter, de rerum effectis, adiunctis, ac proprietatibus diſputantes, cum illarum naturam, à qua fluunt, cognitione non aſſequantur. Certè vt à fonte turbulento, liquidi nequeunt dimanare latices;ſic natura rei cuiuſlibet non perſpecta, ſed potius,male feriatorũ capitum commentis, futilibuſque ſententiis violata, turbidaque, vt ſic loquar, reddita; non poſſunt non erumpere opinionum inſanarum lutulenti fluctus, qui magno mœrore doctorum hominum & ingenti diſciplinarum omnium, virtutumque damno, in omnes reip.partes, ſæpè redundant. Quæ mala minimè videremus,ſi inſulſæ quædam,abſurdæ, recenterque cuſæ ſententiæ quibus, imperitis imponitur, & fucus fit indoctæ plebi, eliminarentur è ſcholis, quæ verò rationibus ſtabilitæ, vetuſtate corroboratæ, communique Docto-

rum

rum celeberrimorum teſtimonio, & academiarum authoritate confirmatæ ſunt, reſtituerentur. Hoc ipſum experimur in Simonia, de qua totum iſtum tractatum inſtituimus, quas enim hodie tragedias non excitant aliqui veterum receptas ſententias explodunt, nouas inducunt ſpecie ſeuerioris cuiuſdam diſciplinæ, viros eruditione & pietate claros damnãt, & tanquam ſanctiſſimorum morum corruptores, apud imperitum vulgus traducunt non exiguo religionis & pietatis ipſius, quam tueri ſe ſimulant, damno: Non alia profectò de cauſa, quam quia probatam omni retroacta ætate Simoniæ naturam non aſſequuntur, nouam ſibi fingunt & monſtra, quæ confodiant, pyctem ſtatarium ſibi ponunt cum quo congrediantur, atque vt clarius loquar, exploſa veteri Simoniæ definitione, aliam afferunt, ex qua deinde quæ libuerit deducunt, quamobrem viſum eſt opere pretium traditam à nobis *quæſt.* 1. & communi ſapientum conſenſu retentam Simoniæ definitionem, hoc iterum loco paulò diligentius retractare. & quærere vtrùm illa definitio ſit eſſentialis, ſi enim huiuſmodi eſt, non licebit aliam obtrudere, niſi aliam quoque Simoniæ eſſentiam objiciamus; cum duplex vnius eiuſdemque rei definitio eſſentialis eſſe nequeat, ſicut neque duplex eſſentia: deinde ſicut vbicunque id quod explicatum ea definitione reperietur, vera Simonia exiſtet; ita omnis ille actus cui non conueniet tota illa definitio, Simonia non erit, quamuis aliundè prauus & iniquus exiſtere poſſit, quæ omnia per ſeſe clara ſunt. Eſt verò vulgaris *citata quæſt.* 1. tradita definitio Simoniæ *ſtudioſa voluntas vendendi vel emendi ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa*; quæritur itaque hoc loco an vendẽdi vel emendi ſtudioſa voluntas, ſit ita eſſentialis Simoniæ, vt abſque venditionis vel emptionis ac proinde pretij aliqua ſaltem ratione, neque eſſe neque intelligi poſſit vera & propriè dicta Simonia, naturali & diuino Iure prohibita. De hac enim ſolùm Simonia diſputamus, non de alia quæ Iure tantum Eccleſiaſtico inducta eſt, quam *quæſt.* 4. *conſectario* 4. diximus eſſe potiùs quandam irreligioſitatem, quam propriam Simoniam, & eiuſdem ſpeciei cum priori, licet illam æmuletur. Quærimus itaque an veræ Simoniæ conueniat eſſentialiter aliqua venditionis vel emptionis & pretij ratio, quod fert eius definitio, neque abſque illa ratione, fingi vel eſſe Simonia poſſit. Itaque non diſputamus an venditio vel emptio rei ſpiritualis ſit Simonia, de eo enim nullus controuerſiam mouere poteſt, ſed an ſola venditio vel emptio ſpiritualis, ſit vera Simonia in eo itaque verſabitur tota noſtra diſputatio, quod diligenter animo commendandũ eſt. Dixi porrò rationem aliquam pretij, venditionis, vel emptionis requiri, quia eo nomine DD. magno conſenſu intelligunt contractum non gratuitum, quo datur temporale pro ſpirituali, vel è contrario, in quo licet non ſit formalis & explicita venditio, vel emptio, vel pretium, eſt tamen virtualiter & æquiualenter, atque vt ſapientiſſime loquitur academia Pariſienſis in ſuo decreto ſub finem diſputationis adducendo, *ſit commutatio vnius pro altero*, quod te monitum eſſe impenſiſſime volo: cum enim adducimus ſapientum omnium ſenſum, qui in venditione & emptione Simoniam conſtituunt, tantam authoritatem

eluſiſſe ſe putant aduerſarij, vbi reſponderint, non quæri an in venditione vel emptione ſpiritualis committatur Simonia, quod vnum velle indicunt authores à nobis adduci ſolitos, ſeque illud vltro fateri, ſed contendere etiam aliter quàm per emptionem & venditionem committi, quare nos qui eo etiam ſenſu duntaxat de hac quæſtione diſputamus non modo oſtendemus DD. omnes in venditione vel emptione Simoniam agnouiſſe, ſed in ea ſola, & ſi quam aliquando rationem aliam Simoniæ veræ, & propriè dictæ tradidiſſe viſi ſunt, in ea reipſa includi eiuſmodi rationem venditionis, vel emptionis, & pretij, licet non formaliter, realiter tamen, virtualiter, & æquiualenter etiam ex ipſorum Doctorum, qui eum loquendi modum vſurpant, mente atque adeo nunquam alibi quam in aliqua venditione, vel emptione Simoniam conſtituiſſe, qua de re nobis eſt hoc loco inſtituta tota diſputatio.

§. II.

Variæ ſententiæ.

In qua prima quorundam recentiorum opinio negat venditionem vel emptionem eſſentialem eſſe veræ & propriè dictæ Simoniæ, naturali diuinoque Iure prohibitæ, quam probant, quia ſi ad veram Simoniam commitendam intendere oportet venditionem, vel emptionem, vel pretium & adæquationem & commenſurationem rei ſpiritualis cum temporali, nullus vnquam committeret Simoniam; nemo enim exiſtimat ſpiritualia eſſe vendibilia aut illa vendere vult, niſi aut bardus, aut ſtolidus, vel hæreticus ſit, & quiſque facile ſumet ſibi aliam intentionem comparandi ſpiritualia per temporalia aliter quam per modum pretij. Atque ita tandem tota Simonia in quadam animi deſtinatione & intentione quam quiſque pro arbitrio capiet, aut abjiciet, conſiſtet, & phantaſticam quandam, & chimericam Simoniã habebimus, quæ etiam vix vnquam niſi à væcorde committetur, cum tamen illam frequentiorem eſſe PP. & Concilia paſſim querantur, & boni omnes hodie gemant, mutata ſiquidem intentione licebit donum Dei pecunia aliave re temporali poſſidere, quod ipſi Simoni exprobrabat Petrus.

Secunda, eaque communiſſima ſententia eſt intentionem principalem obtinendi ſpirituale per temporale, aut è contrario, temporale per ſpirituale eſſe Simoniacam; hinc Gloſſæ *in cap. vni. de Clerico non reſidente in 6. V. receperit.* Clericum, qui principaliter propter lucrum quotidianarum diſtributionum choro intereſt, Simoniam committere ſaltem mentalem; quod idem affirmat *in cap. cum eſſem de Simonia.* de eo qui ſeruit Epiſcopo principaliter propter aliquid ſpirituale. *& in cap. Cum ad noſtram. de electione.* de eo qui fit Monachus ex principali intentione obtinendi Abbatiam. Quam eandem doctrinam ſequuti ſunt Panorm. Felin. alijque DD. *in cap. ſuam. de Simonia* Hoſtienſ. *in cap. olim. de verborum ſignificat.* Turrecremata. Dominic. Archidiac. *in cap. clericus.* 1. *dist.* 91. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. *& de orat. & horis canon. cap.* 6. *num.* 12. Et *cap.* 18. *num.* 10. *&* 15. & *tract. de finibus humanorum actuum num.* 29. *& in cap. fin. de pœnitent. diſt.* 5. *n.* 56. Couuarr. lib. 1. *varia. cap.* 20. *num.* 5. Sylu. *V. Simon.* 4. *num.* 9. Gigas *conſ.* 144. *num.* 29. Vgolin. *tab.* 4. *de cenſ. cap.*

*cap.*7.*ſect.*2.*num.*5. Angel.V. *Simon.* 3.§. 12. S.Thom. *quod.* 8. *artic.* 11. Gabr. *in canon.Miſſa lect.*28. Maior *in* 4. *d.* 25. *quæſt.* 2. *ad* 2. Durand. *ibid. quæſt.*4. *num.*7. alijque veteres, & nouiſſime Moneta. 2. *part. de diſtribut.quotidian.quæſt.*28.*num.*32.& Ioan.Valer.*de differentiis* V.*Simonia. different.* 10. qui omnes Simoniam, vt dixi, ſed mentalem in hac intentione concedunt, quandoquidem volunt ſubjici pœnis Simoniæ, aut reſtitutioni; & eius nullum in foro exteriori fieri ſcrupulum, queritur Valerus, licet laborent hi DD. in explicanda ea principali intentione, ſiue fine, quod maximè faciunt Couarr. & Nauarr. *locis citatis*, qui ſapienter monent, eum non eſſe ſemper finem principalem, ſine quo non fieret actio, alioquin omnes Canonici, qui reuera non intereſſent choro, niſi diſtributio fieret, & ſtipendium daretur, forent Simoniaci & qui non faceret ſacrum, niſi ab alio rogaretur,ab illóque ſtipendium acciperet, diceretur intendere principaliter ſtipendium illud; finis igitur principalis dicitur, qui primo & per ſe mouet ad operandum, ſiue ille finis, ſit operis ipſius, qui ipſi connaturalis & intrinſecus eſt, ſiue finis operantis. Neque enim hi duo fines ſemper ſunt vnus, & idem, cum finis operantis, ſit in arbitrio ipſius operantis, qui illum ſibi præſcribit, neque enim ſemper mouetur à fine connaturali, & intrinſeco operis, quia quamuis volendo opus, velit quoque neceſſario finem ipſi intrinſecum,non vult tamen propter illum finem, ſed ad alium vlteriorem, à quo mouetur, refert, vti aliàs diximus 1.2.

Tertia ſententia eſt definitionem à nobis traditam eſſe eſſentialem Simoniæ veræ & propriè dictæ, quæ ſine aliqua ratione venditionis vel emptionis vel pretij, modo nuper explicato conſiſtere nequit, ideoque aſſerit, eum qui per medium ſpirituale intendit etiam principaliter, commodum temporale, non committere Simoniam etiam mentalem, niſi illud temporale intendat, vt pretium rei ſpiritualis. Ita Soto *lib.*9. *de Iuſtitia q.*6.*art.*2 §.*poſtremum dubium & q.*8. *art.*1. vbi Simoniam mentalem deſcribit.Valent. *tom.*3. *diſp.* 6. *q.*16. *punct.*3.*q.*2. ad 1. *rationem dubitandi* Suar. *lib. de Simonia cap.* 44. *num.*8. Filluc. *tract.*45. *cap.* 10.*q.*4. Bonac. *diſp.de Simon. quæſt.*2.*num.*9. Layman. *lib.*4. *tract.*10. *cap.vlt.* §.2. *num.* 11. Sanch. *lib.*2. *in decalog.cap.* 43.*num.*22.Caietan.*in Summa* V.*Simonia* §.*circa tertium caput.* Ratio perſpicua eſt, nam vel Simonia mentalis, eſt duntaxat deliberata voluntas dandi ſpirituale pro temporali,& habens pro obiecto venditionem externam, qua ratione dicimus, homicidium aut furtum mentale & internum eſſe voluntatem committendi homicidium & furtum externum; vel potius vti monebamus q.1. Simonia mentalis eſt actio quædam externa, quæ ex intentione Simoniaca fit, quamuis praua ea intentio ex eiuſmodi externa actione colligi nequeat,quia ex bono ac prauo fine, fieri æque poſſet. Qui enim v.g. dat facienti ſacrum pecuniam, poteſt illam dare, vel in ſtipendium, vel in Eleemoſynam, vel in munus omninò gratuitum,vel in pretium ipſius ſacrificij. Hæc quidem actio, facta illâ prauâ, & Simoniaca intentione, Simoniaca quoque eſt, latente, inquit Caietan. *intus venenoſo ſemine*, & ideo Simonia mentalis dicitur, quamuis coniuncta ſit, cum aliqua

actione externa, quam imperat, quocunque autem modo accipias mentalem Simoniam, habet pro obiecto Simoniam externam, quæ conſiſtit eſſentialiter in commutatione rei temporalis & ſpiritualis. ſiue in venditione & emptione rei ſpiritualis, ſiue in dando ſpirituali pro temporali, & è conuerſo; vbi particula *Pro* ſignificat pretium; Ergo debet intendi temporale tanquam pretium ſpiritualis, vel ſpirituale tanquam pretium temporalis, alioquin non committitur Simonia, quæ eſſentialiter, rationem commutationis, ac pretij includit; quamuis igitur intendatur temporale dando ſpirituale, aut intendatur ſpirituale dando temporale, niſi vnum ex iſtis intendatur tanquam pretium alterius, non committitur Simonia. Eſto fortaſſis peccetur in ordinando medio, ad finem improportionatum, quod alibi diſquiram, non peccabitur peccato Simoniæ. Neque intentio primaria aut ſecundaria quidquam facit, niſi enim obiectum intentionis ſit venalitas rei ſacræ, non eſt Simonia, etiamſi primario, temporale v.g. ſtipendium intendatur, deeſt enim obiectum Simoniacum, à quo ſolo interna intentio Simoniacam malitiam deriuare poteſt, quod ſi ponatur eiuſmodi obiectum, quamuis illud primo & per ſe non intendatur ab operante, ſed tantum ſecundariò, committit nihilominus Simoniam, quia quacunque intentione intendatur obiectum malum, deriuat ſuam malitiam in intentionem; Ideoque Sacerdos qui ſtipendium intenderet & acciperet vt pretium ſui ſacrificij, Simoniacus foret quamuis non conſtitueret in acquiſitione talis pretij & ſtipendij ſuum principalem finem.

Quæ omnia confirmantur, ex diſcrimine pretij & finis principalis, hæc enim plurimùm differunt contraquam exiſtimarint aduerſarij, qui idcirco intentionem obtinendi temporale per ſpirituale, quando illud temporale eſt finis principalis, exiſtimarunt eſſe Simoniam, quia non ſatis videbant, quomodo temporale poſſet intendi tanquam finis principalis operis, aut rei ſpiritualis, & non intendi tanquam pretium ipſius, quare non diſcrepant quoad ipſam rem, ſed quoad loquendi modum, dum finem principalem operis, aut rei volunt eſſe eius pretium, quæ tamen diuerſiſſima ſunt habentque reſpectus omnino diſtinctos; nam finis reſpicit 1. appetitum quem mouet, cuiuſque bonum eſt propter ſe expetendum. 2. reſpicit media, quæ propter illum expetuntur, immò nullam in ea ſerie habent aliam appetibilitatem, quam ſui finis; at vero pretium reſpicit proportionem & æquiualentiam rei pro qua datur ex iuſtitia commutatiua, ac proinde reſpicit quoque extinctionem, ſiue ſolutionem obligationis contractæ ex re accepta vel opere præſtito, cui commenſuratur ſecundum æſtimationem, ac valorem, provt iuſtitia commutatiua poſtulat. Vnde fit, vt neque neceſſarium ſit, pretium intendi, tanquam finem venditionis aut commutationis, neque finis principalis dici queat pretium, nam qui egenti triticum vendit, vt eius occurrat neceſſitati, intendit primò & per ſe ſubleuare miſeriam ſui emptoris, non autem pretium ſui tritici, quod tamen vult, vt ſe indemnem præſtet: & nemo dicet illius venditionis finem principalem eſſe pretium, quod eſt tantum materialiter volitum, quia in omni commutatione neceſſariò includitur alia res

æquiualens, quæ detur loco illius, quæ cum ea aut pro ea commutatur: ſic qui mutuat, intendit recuperare rem quam mutuat, pecunia tamen aut res mutuata, & recuperanda non eſt neceſſariò principalis finis eiuſmodi mutuationis, ſed alius quiſpiam, amicitia v.g. aut miſericordia: qui poſtulat eleemoſynam, eam intendit, primo, & per ſe, tanquam finem ſuæ illius petitionis, non vt pretium. Denique quamuis præmium ſit pretium meriti, & meritum viciſſim ſit pretium præmij qui dat præmium, non intendit principaliter meritum, ſed bonum eius, cuius meritis illud reddit, & qui meretur, etſi ſperet præmium, ac mercedem ſibi debitam, non operatur nihilominus ſæpiſſime principaliter propter illam, ſed vt ſatisfaciat amori, aut obſeruantię aduerſus illum, à quo præmium expectat, licet à præmio quoque moueatur ad operandum. Cum igitur ratio pretij, & finis principalis, diuerſæ ſint, & non ſemper coniũgantur in eadem actione, non ſatis fuerit ad Simoniam mentalem, intendere temporale commodum principaliter per medium ſpirituale, niſi ſimul intendatur, tanquam pretium, quia licet non intendat facere pactum vllum, intendit tamen dare ſpirituale, & accipere temporale, aut è contrariò dare temporale, & accipere ſpirituale eo modo, quo ſolet fieri per pactum. & cum eadem habitudine, quia nimirum accipit ſpirituale, tanquam ſibi debitum ratione rei, aut obſequij temporalis à ſe exhibiti, atque adeò in eius compenſationem, ſiue ſuſpicetur alium habere eandem intentionem, ſiue non, vti diximus q.1.

Vt verò modum loquendi aduerſariorum, intelligas, obſeruat Valent. temporale poſſe eſſe finem principalem rei, aut operis ſpiritualis duobus modis, 1. Ipſiuſmet ſpiritualis quod accipitur, quia nimirum illud temporale eſt illi proportionatum, & commenſuratum in æſtimatione, & valore, vnde fit, vt tale commodum temporale, Iure merito intendatur, per illud Spirituale tanquam ipſi debitum, & qui illud ſpirituale exhibet, exiſtimet ſibi fieri iniuriam, niſi æquiualens temporale ſibi reddatur. Secundo, temporale poteſt eſſe finis principalis ſpiritualis exhibiti, quia mouet operantem, eſtque illius finis, non autem operis ipſius, ſiue vt loquitur Valent. eſt finis *Voluntatis, ſiue applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale*, ad quod non eſt opus vlla proportione, ſecundum æquiualentiam; & æſtimationem inter temporale, & ſpirituale, ad extinguendam obligationem contractam ex iuſtitia commutatiua, quæ poſtulat æqualitatem, ſed attenditur ſola proportio inter medium, & finem, cui obtinendo tale medium vtile eſt. De primo fine loquuntur aduerſarij, illudque pretium vocãt cum S.Thom. *quod. cit.* vbi ait, in qualibet venditione, pretium accipi quaſi finem; qui loquendi modus, quamuis non ita proprius ſit, vti oſtendimus, veram tamen ſententiam communem antiquorum continet quam ita intellectam, & explicatam, hæc poſterior vltrò amplectitur tanquam ſibi omninò conſentientem.

Ex quibus colliges hanc Simoniam mentalem etiam circa ea, quorum commutatio, ſola lege eccleſiaſtica damnatur tanquam Simoniaca, committi poſſe, ſi enim quis velit, quod Eccleſia prohibet in hac parte, reuera peccat peccato ab Eccleſia

prohibito, vt in omnibus aliis Iure tantum humano vetitis conſtat. Quare rejicienda eſt gloſſa quæ *in cap. ex parte 2. de officio delegati* V. *Dimittere*, contrarium exiſtimat.

§. III.

Eligitur ſententia affirmans, rationem aliquam venditionis, & pretij eſſentialem eſſe Simoniæ.

Ex ſententiis hactenus explicatis prima & falſa, & noua eſt, duæ poſteriores verbis differunt non rebus, & quidem tertia quæ ad veram, & propriè dictam Simoniam, rationem aliquam pretij, & venditionis, ſiue commutationis non gratuitæ temporalis pro ſpirituali eſſentialiter poſtulat, verior omninò eſt, & magis propriè loquitur. Secunda verò quæ ad eandem Iuris diuini, atque naturalis veram Simoniam ſufficere exiſtimat intentionem & finem principalem commodi temporalis pro ſpirituali, aut è contrario ſpiritualis pro temporali, ſolis vocibus diſſidet à priori, & reipſa cum ea conſentit, per illam ſiquidem intentionem, & finem principalem temporalis pro ſpirituali, vel ſpiritualis pro temporali implicitè, & æquiualenter pretium, & commutationem non gratuitam primariò intentam ſignificat, vtiturque eo loquendi modo, quia ſæpiùs in datione ſpiritualis pro temporali non exprimitur pretium, aut venditio, quæ tamen reuera ineſt licet non formaliter, ſed virtualiter, aut æquiualenter duntaxat: Et quia difficilè prorſus eſt dignoſcere, quandonam implicite eiuſmodi, & æquiualens venditio reperiatur, neque enim inuoluitur in omni prorſus datione ſpiritualis pro temporali, hanc certiſſimam Regulam ſtatuerũt DD. id contingere, quoties primariò, & principaliter intenditur ſpirituale per dationem temporalis, vel è contrario, intenditur temporale per dationem ſpiritualis: atque ita in eiuſmodi intentione primaria, & fine principali, ſpiritualis pro temporali, vel temporalis pro ſpirituali veram & propriè dictam Simoniam diuino, & naturali iure prohibitam, idcóque eſſentialiter malam ſapienter agnouerunt, quamuis nulla expreſſa venditio, nec formalis, & explicita ratio pretij tunc appareat, ſufficit enim illam reipſa per æquiualentiam ineſſe. Quare non negat hæc ſententia, quod altera affirmabat, rationem pretij, & venditionis, ſiue contractus, atque commutationis non gratuitæ inter temporale, & ſpirituale, omni veræ, & propriè dictæ Simoniæ eſſentialem eſſe, ſed duntaxat tradit certiſſima indicia quibus poſſimus diſpicere, an in datione ſpiritualis pro temporali, reipſa inſit eiuſmodi aliqua venditio, licet non explicetur, ſed potiùs occultetur à dantibus, & accipientibus, vt inde certò iudicemus, an verè Simoniaci ſint, an non. Porrò nihil aliud voluiſſe DD. ſuo illo loquendi modo, dum Simoniam in intentione principali dandi temporale pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali conſtituunt, & illos nullam aliam veram Simoniam agnoſcere, quam eam, quæ eſſentialiter venditionem quampiam ſiue formaliter, ſiue æquiualenter includit, non fuerit operoſum oſtendere contra nouos quoſdam opinatores; Duo itaque noſtræ, & communis ſententiæ capita paulò fuſiùs demonſtranda ſuſcipio; primum eſt omni Simoniæ veræ, & propriè

propriè dictæ rationem aliquam pretij, ſiue venditionis temporalis pro ſpirituali, vel ſpiritualis, pro temporali ita eſſentialem eſſe; vt abſque ea non ſit vera, & propria Simonia. Alterum in intentione primaria, & fine principali dandi ſpiritualia pro temporalibus, vel temporalia pro ſpiritualibus, implicari rationem pretij, & commutationis non gratuitæ, ex mente Doctorum, qui illum loquendi modum vſurparunt. Hæc ſi præſtitero, euaneſcit illa importuna vaniſſimorum, & imperitorum hominum aduerſus nos calumnia; Vt verò promiſſa præſtem illuſtriſſimorum Doctorum, eorum maximè, qui in nobiliſſima Pariſienſi Academia iam pridem floruerunt, verba ex fide referam, & mentem paulò fuſiùs explicabo: abſtinebo tamen à noſtræ Societatis authoribus, quamuis plurimi ſint, & magni nominis, & de quorum gloria, rumpantur, licet aduerſarij, nullæ vnquam ſcholæ ſilebunt. Superuacaneus videri poterit. Viris eruditis, qui veterum ſcripta luſtrarunt, noſter hic labor, ſed oppeſſulandū fuit os importunis aduerſariis, qui vel nouas eſſe noſtras opiniones, vel authores à nobis adduci falsò, & contra quàm ipſi ſentiant apud ineptam plebeculam, ferreo ore buccinant, & atroci ſtylo ſcribunt, ſapientioribuſque ſua illa audacia nonnunquam imponunt, cùm ſibi perſuadere vix poſſint, illos tam ſplendidè mentiri, paucíque omninò ſunt qui Authores vel ab aduerſariis, vel à nobis laudatos conſulere velint, quibúſque id per otium, aut per Codicum inopiam liceat. Quare non ægrè ferent, opinor, nos eorum otio, & commodis noſtra diligentia conſuluiſſe.

§. IV.

Probatur ex vulgata definitione, & communi DD. ſenſu.

Priuſquam verò ſingulas Authorum acies recenſeam, totum illorum exercitum ſimul in aduerſarios explico, & immitto. Simoniam definiuit Gloſſa in Summ. 1.q.1. ſtudioſam voluntatem emendi, vel vendendi ſpiritualia, vel eis annexa. Quam definitionem ne vnus quidem hactenus fuit, qui improbarit, quāuis aliqua nonnulli addiderint amplioris explicationis gratia, quidam etiam, ſed ij perpauci, alias definitiones ſibi compegerint, ſed quæ illa eadem quæ iſta communis, continerent, neque eſſentialiter ab ipſa diuerſæ eſſent, vti monui q.1. omnes quoque dum allatæ definitionis ſingula verba exponunt, perpetuò per voces *Emendi, vel vendendi* contractum omnem non gratuitum circa temporale, & ſpirituale, intelligunt, eò quod in omni ſimili contractu quidpiam ſit inſtar pretij alterius, & in illo compenſentur onera, quæ ſuſcipiuntur à contrahentibus, quæ compenſatio inſtar pretij cuiuſdam obtinet, licet non fiat formalis mentio pretij; id enim quo aliud compenſatur, reipſa pretium eius eſt, ſiue vera ſit vtriuſque adæquatio, ſiue non ſit, quod nemo ſapiens negabit opinor. Cùm igitur definitio rei definitæ eſſentiam explicet, & Simoniæ veræ definitio, Doctorum omnium conſenſu, nemine prorſus repugnante, venditionem, vel emptionem alicuius ſpiritualis aut ei annexi contineat, eiuſmodi emptionem, & venditionem de natura, & eſſentia veræ Simoniæ exiſtere oportet. In omni autem venditione, & emptione

pretium aliquod neceſſario reperitur, alioquin ſine ipſo non conſiſtit, venditio, vel emptio ſi formalis ſit, ſi verò ſit æquiualens duntaxat, qualem in commutationibus, & contractibus non gratuitis reperiri diximus, in illis quoque erit quidpiam, quod licet formaliter pretium non ſit, illi tamen æquiualet: ipſique tandem aduerſarij fatentur in ſuis Satyris, dare beneficium pro pecunia tanquam pro fine principali, idem eſſe quod dare pro pretio, atque ipſo facto tunc adæquari res ſpirituales temporalibus, ex mente etiam S. Thomæ: atque hoc eſſe venditionem non ſatis cohærenter negant, vbi enim adæquatio rerum commutatarum reipſa reperitur, vnáque eſt reipſa pretium alterius, reipſa quoque reperitur venditio, licet non formaliter. Quare & qui dando temporale primariò intendit ſpirituale, intendit quoque reipſa adæquationem, & venditionem temporalis & ſpiritualis, & qui paciſcitur, aut exigit temporale pro ſpirituali cum ea intentione principali, de qua loquimur, reipſa immò & formaliter vendit temporale pro ſpirituali, aut è contrario ſpirituale pro temporali, quod iterum monebimus ſub finem, atque ita cùm in hac intentione principali temporalis pro ſpirituali, vel è contra, quam ſaltem ad veram Simoniam requirunt aduerſarij, reperiatur adæquatio quædam ſpiritualis cum temporali, vti fatentur, aliqua etiam venditio reperiatur neceſſe eſt vel formaliter, vel æquiualenter ſaltem, ſicut & aliqua ratio pretij. Cum itaque ad Simoniam veram debeat ſaltem principaliter intendi temporale pro ſpirituali, & conſequenter adquatio quædam in ea commutatione debet intendi & venditio, & adæquatio ſaltem æquiualenter, licet non formaliter.

§. V.

Theologorum maximè Pariſienſium authoritas.

Sic ſtabilitâ Simoniæ naturâ diſjiciuntur omnes aduerſariorum conatus, neque enim illi nobis nouam definitionem, aut naturam cudere poſſunt, ſingulorum deinceps Doctorum ſenſa percurro.

Ordior à Petro Lombardo Pariſienſi Epiſcopo, quem omnes Theologorum ſcholæ ſingulari quadam veneratione, & laudis prærogatiua Magiſtrum ſententiarum appellarũt, in cuius commentatione innumeri toto orbe Theologi ingenria ſcripſere volumina magna ipſius Pariſienſis Academiæ laude. Is igitur *in* 4.*d*.24. receptam, & nuper allatam definitionem Simoniæ tanquam veram ſupponit, ex eáque colligit, *Simoniacos propriè dici, qui inſtar Simonis Magi inappretiabilem gratiam pretio conducere volunt, & qui pro miniſterio ſacro pretium recipiunt in modum Giezi, Giezitas vocandos eſſe.* Vbi obſeruanda ſunt illa verba, *Licet Simoniaci propriè dicantur*, Vbi non ſolùm affirmat Simoniacos dici, qui pretium dant, & Giezitas qui accipiunt, de quo non eſt nobis contentio cum aduerſariis; ſed eos ſolùm propriè Simoniacos eſſe, qui dant, vel accipiunt, niſi enim alterum iſtorum faciant, non ſunt verè, *& propriè* Simoniaci. Objicies, illud *propriè Simoniaci* afferri à Magiſtro vt diſtinguat à Giezitis, qui ſunt illi qui accipiunt exemplo Giezi, cùm illi qui dant, imitentur Simonem, ac proinde magis propriè dicantur Simoniaci: Cùm tamen addat Magiſter,

giſter, omnes qui dant,& accipiunt, eſſe Simoniacos, quia vt paſſim eo loco commentantur Interpretes, Simon voluit emere vt deinde venderet. Illud *propriè Simoniaci*, eò etiam referri poteſt, vt ad veram, & propriam Simoniam requirat Magiſter dationem, vel acceptionem pretij ex recepta definitione, alioquin mancam nobis doctrinam tradidiſſet; Cum enim eo capite diſtinctionis, de ordinatione Simoniacorũ diſputaret, docerétque, quandonam eiuſmodi ordinatio foret irrita, quoad vſum ſcilicet eius legitimum, & quondónam eſſet *miſericorditer ſuſtinenda*, quibus etiam pœnis tum ordinantes, tum ordinati Simoniaci ſubiacerent, debuit nobis explicare Magiſter, quinam verè, & propriè forent Simoniaci, cùm de illis ſolis pœnæ ſint intelligendæ, niſi aliud in iure exprimatur. Si igitur alij ſunt *propriè Simoniaci*, quàm qui *inappretiabilem gratiam pretio conducunt, aut pro ſacro miniſterio pretium recipiunt.* Debuerat Magiſter explicare, quinam eſſent illi alij *propriè Simoniaci*, licet neque dent, neque accipiant pretium *inappretiabilis gratiæ*, & ſacri miniſterij, aut curtam, & minùs ſufficientem doctrinam, vagámque, & incertam ſententiam nobis tradidit; Cur itaque non addidit illos, qui *pro ſacro miniſterio* dant, aut accipiũt quidquam temporale, quocumque modo dent, & accipiant, ſiue in pretium, ſiue quocunque alio modo, eſſe propriè Simoniacos, ac proinde omnes illos pœnas à iure ſtatutas incurrere, vti cenſent aduerſarij; neque ſanè vllus eorum, qui commentariis Magiſtrum illuſtrarunt, hunc imminutæ doctrinæ defectum in illo reprehendit, neque eius definitioni quidquam addidit, & aliam Simoniæ veræ, & propriæ adiecit, vti illos facere oportebat, ſi aliam agnouiſſent, quam oculatiores aduerſarij ſoli vidiſſe ſe exiſtimant, cum tamen ſoliti fuerint Commentatores, & poſteriores ſcriptores, ſi quid minùs rectum, aut mancum in Magiſtro deprehenderint, non diſſimulare. Vti videbis apud Sixt. Senenſ. Biblioth. lib. 5. annot. 63. lib. 6. annot. 71. & 201.

Magiſtri mentem explicat illuſtriſſimus eius Commentator, & Magiſtro non minor interpres & Pariſienſis Academiæ ſidus S. Thomas Aquinas in citatam diſtinct. 25. q. 3. Nam 1. in expoſitione textus ſic ait. *Simoniacus propriè dicitur, qui eſt reus huius peccati, vel dando, vel accipiendo aliquid ſacrum pro pretio.* Igitur qui non dat, vel accipit pro pretio non eſt propriè Simoniacus ex S. D. In ipſa deinde diſputatione, & ampliori materiæ iſtius explicatione ſibi perpetuò conſtat, & Simoniam in ſola venditione, & emptione ſpiritualis agnoſcit: Nam art. 1. q. 1. tuetur vulgatam definitionem Simoniæ, nempe eſſe *ſtudioſam voluntatem emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Et ait, *peccatum Simoniaci eſſe, cùm vendit, aut emit; quod non cadit ſub pretio.* Addit deinde *materiam proximã huius peccati eſſe emptionem, & venditionem.* Ad id quod tertio loco contra allatã definitionem obiectũ erat, emptionem ſpiritualis eſſe impoſſibilem, reſpondet ſpirituale per eſſentiam, cuiuſmodi ſunt, gratia, & virtutes, non poſſe aliquo modo vendi, ſpiritualia autem per cauſam, ſicut Sacramenta, quæ ſunt cauſa gratiæ in quantum ſunt corporalia quædam, habent ſpeciem quod vendi poſſunt, quamuis non ex hoc quod ſunt ſpiritualia,

ritualia, & ſic in eis committitur Simonia! Quæ videlicet non committeretur, ſi nullo modo vendi poſſent. Ad quartum ait, Simonem Magum emere voluiſſe ſpiritualia, vt poſtea venderet, atque ideò in eius emptione venditionem fuiſſe implicitè contentam. *Idcòque ſecundum communem vſum loquendi vterque vocatur Simoniacus, emens, & vendens.* quæſt. 2. quærit, an Simonia ſit hæreſis. *Simoniaci non ſunt propriè, & per ſe loquendo hæretici, cum non habeant aliquam falſam opinionem: ſed dicuntur hæretici propter ſimilitudinem actus, quia ita operantur ac ſi æſtimarent donum Spiritus ſancti pecuniâ poſſideri, quæ æſtimatio eſt hæretica.* Hanc porrò hæreticam æſtimationem conſiſtere in eo, quod æſtiſtimet Spiritum ſanctum emi, & vendi, ſtatim explicat in reſponſione ad ſecundum, vnde infert grauiorem eſſe hanc hæreſim Macedoniana, quia, inquit, Macedonius *Poſuit Spiritum ſanctum eſſe Patris, & Filij ſeruum: Simoniaci autem oſtendunt in ſuo actu ſe æſtimare, quod ſit ſeruus hominis, ſi ab homine poteſt emi, & vendi.* quæſt. 3. ad 3. ait, Eum qui pretio accipit ordines, non intendere, *Emere illud quod eſt per ſe ſpirituale, vt characterem, ſed operationē miniſtri, quæ eſt corporalis, & cauſa Sacramentalis rei ſpiritualis.* In quibus omnibus vides à S. Thom. Simoniam conſtitui in emptione, & venditione rei ſpiritualis, & non aliqua alia ratione. Art. 2. proſequitur caſus ſingulares, in quibus Simonia committitur, atque adeò ſuam mentem de natura Simoniæ diſtinctiùs explicat: Et quidem q. 1. oſtendit Sacramenta tribus de cauſis vendi, & emi non poſſe. 1. quia Miniſter eorum diſpenſator tantùm eſt, & non dominus, res autem à Domino vendi debet. 2. *Quia pretium emptionis ponitur quaſi menſura adequans illud quod emitur, vnde à menſurando numiſma dicitur: gratia autem non poteſt commenſurari alicui corporali bono: vnde iniuriam gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ vendit, aut emit.* 3. quia *contra rationem gratiæ facit, qui ſacramenta gratiæ quaſi venalia tractat.* Simonia itaque quæ in adminiſtratione Sacramentorum committitur, non conſiſtit ex S. Thoma niſi in ipſorum emptione, & venditione, quod in ſingulis deinde oſtendit in reſponſionibus ad argumenta contraria. Ait ſiquidem Matrimonium, *Quā eſt Sacramentum non cadere ſub emptione, & ſecundum Canones committere Simoniam, qui pro nubentium benedictionibus pecuniam exigit.* Quod verò ad celebrationem Miſſæ pertinet, *Conductos Sacerdotes ait accipere denarios non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentationem vitæ*; atque adeò expertes eſſe Simoniæ. Quod idem affirmat in reſponſ. ad 7. de eo qui ad beneficium electus dat litiganti aduerſario aliquid *Non in pretium prælationis, ſed in redemptionem vexationis propriæ.* quæſt. 2. in qua diſputat de quibuſdam actibus Miniſtrorum Eccleſiæ, qui videntur temporali aliquo compenſari. Diſtinguit duo genera actuum ſpiritualium, vti etiam fecit quod. 8. art. 11. quidam enim eiuſmodi ſunt ex parte principij, quod eſt aliquod ſpirituale donum, vel officium; quidam ex parte finis, quia per ipſos ad aliquid ſpirituale peruenitur. *In actibus primi generis nullo modo ſine Simoniæ poteſt aliquis locare actus ſuos, ſed poteſt aliquid accipere in ſuſtentationem vitæ: in ſecundis autem actibus, quia ſpiritualitas non eſt ex parte*

agentis, poteſt etiam emere, vel vendere operas ſuas, ſed non vendere hoc ſpirituale, quod ex eius actu acquiritur. In primo igitur caſu committitur Simonia, & non in altero, quia in illo primo venditur ſpirituale, non in ſecundo. Vnde colligit 1. Pro anniuerſario celebrando nullo modo licere paciſci, quia eſt ſpiritualis actus primo modo. q. 3. diſtinguit iterum duplex ſpirituale *quod ſub pretio poni non debet*, nempe res ſacra, vt Sacramenta, & actus alicui competens ex officio ſacro, ideóque duplex eſt ſpirituali annexũ. Tum concludit. *In vtroque committitur Simonia quantum ad id quod de ſpiritualitate habet.* Nempe vt antè dixerat, *Cum ponitur ſub pretio.* Inde colligit ad 1. Vaſa conſecrata nullo modo ratione conſecrationis vendenda eſſe, vt ſcilicet pro conſecratione eorum aliquid plus exigatur. Et vendi tantùm ratione materiæ, & eo modo de ſepulturæ, Iuriſpatronatus, & decimarũ venditione ratiocinatur. Ad 3. quærit, quibus modis committatur Simonia, dando aliquid temporale, & quæſtionem ſic definit. *Dicendum eſt, quòd Simonia, vt dictum eſt, conſiſtit in emptione, & venditione ſpiritualis, vel eorum, quæ ſunt eis annexa: Emptio autem, vel venditio non ſolùm in datione, vel acceptione pecuniæ, ſed omnium eorum, quorum poteſt pretium numiſmate menſurari; omnis autem actus temporalis commodi pretium poteſt numiſmate menſurari, & ideo quicunque pro aliquo temporali commodo dat aliquod ſpirituale, vel annexum, Simoniam committit.* Bonum deinde illud temporale diuidit in munus à lingua, ab obſequio, & à manu. In his S. Doctoris verbis qui non videt, dationem temporalis commodi, aut boni pro ſpirituali, per quam committitur Simonia, eſſe venditionem, & emptionem ſpiritualis pro temporali, cæcus profectò eſt. Cùm idcirco dicat S. D. non ſola donatione pecuniæ contineri emptionem, ſed eorum omnium, *quorum poteſt pretium numiſmate menſurari.* Commodi autem omnis temporalis pretium poſſe numiſmate menſurari, & idcirco qui pro aliquo commodo temporali dat ſpirituale, aut ei annexum, committit Simoniam; in qua argumentatione, niſi datio commodi temporalis ſit emptio, parum aptè ratiocinatur S. Thom. Sic enim eius argumentum formandum eſt. Simonia conſiſtit in venditione, & emptione ſpiritualis, aut ei annexi pro temporali: atqui datio commodi temporalis pro ſpirituali eſt venditio, & emptio. Igitur eſt Simonia. Maior ſupponitur ex ipſa natura Simoniæ, eiúſque receptiſſima definitione. Minorem verò ſic probat. Emptio, & venditio conſiſtit in donatione, & acceptione pecuniæ, vel eorum quorum pretium poteſt numiſmate menſurari: omnis autem commodi temporalis pretium poteſt numiſmate menſurari; ergo datio, & acceptio commodi temporalis eſt venditio, & emptio. Huius ſyllogiſmi Minor patet ex ipſa natura boni, & commodi temporalis, quod omne pecunia pretiabile eſt, & numiſmate menſurabile, cùm omne temporale ſub pretio etiam temporali cadat, omniſque pretij menſura ſit numiſma, & pecunia. Maiorem oſtendit, quia contraria circa idem verſantur, datio autem liberalis, & venditio ſunt contraria, cùm hæc ſit oneroſa, & non liberalis; ergo circa idem verſantur. At verò liberalitas non ſolùm verſatur in donatione pecuniæ, ſed eorum etiam quorum pre-

tium poteſt numiſmate menſurari ex Philoſopho lib. 4. Ethic. cap. 1. Igitur & venditio reperitur in datione non modò pecuniæ, ſed eorum quoque omnium, quorum pretium eſt menſurabile numiſmate, cuiuſmodi eſt omne bonum, & commodum temporale. Qui itaque dat commodum temporale pro ſpirituali, emit illud ſpirituale, atque adeò Simoniam committit. Quæ S. Thomæ ratiocinatio aut prorſus inepta eſt, aut dationem accepit non pro liberali donatione, ſed pro venditione, aut datione oneroſa liberali contraria, vt ipſemet loquitur. In qua eadem ſignificatione toto reliquo articulo accipit donationem temporalis pro ſpirituali; vnde nunquam vſurpauit vocem donationis, quæ liberalitatem ſonat, & alia ibidem addidit, quibus dationem non liberalem ſed oneroſam, & quæ reipſa venditio ſit, euidenter ſignificat. Quare ad primum ait, Iudicem ſpiritualem Simoniacum eſſe ſiue paucis, ſiue magnis muneribus flectatur, in paruis tamen vix exiſtimari Simoniacum: *quia non eſt probabile, quod animus Iudicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro paruo munere.* Vbi illud *pro* pretium ſignificat, vt diximus nuper ex Nauarro, alioquin non loqueretur conſequenter S. Thomas, qui dixit idcirco in datione commodi temporalis pro ſpirituali, Simoniam committi, quia ea datio eſt alicuius, cuius pretium poteſt numiſmate menſurari; hoc eſt venditio, & non liberalis tantùm datio. In reſponſione ad ſecundum ait Papam fore Simoniacum, *ſi ſpiritualia pro temporalibus rebus Eccleſiarum daret.* Quæ datio ſanè non excludit aut gratitudinem, aut liberalitatem, qua ſæpiùs vſa eſt Eccleſia aduerſus Principes, alióſque eximios benefactores, quibus plura priuilegia etiam ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa impertiuit. Quod qui neget, peregrinus, & infans in ſacris monumentis eſt. Ad tertium fatetur poſſe aliquem *abſque Simonia beneficium Eccleſiaſticum dare ei qui obſecutus eſt, vt non habeatur oculus ad obſequium principaliter, ſed ad dignitatem perſonæ. Si pactio non interuenit.* Atque ita explicat Greg. dum ait, dignum eſſe, Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes Eccleſiaſtica remuneratione gaudere, vt refertur 12. q. 1. *cap. Eccleſiaſticis* 67. quanquam eo loco qui ſumitur ex Regiſtro *lib.* 2. *Indict.* 11. *Ep.* 18. non agat Gregor. de remuneratione aliqua ſpirituali, ſed omninò temporali; tradit enim Theodoro Conſiliario Acoſimum puerum in mancipium. Verùm de mente ſanctiſſimi Pontificis non diſputamus modò, ſed de S. Thomæ ſenſu, qui eam remunerationem ſpiritualem & Eccleſiaſticam ſiue ſacram fuiſſe exiſtimauit, & tamen licet pro impenſis obſequiis datam, expertem Simoniæ eſſe dixit, *quia non interuenit pactio, & non habebatur oculus ad obſequium principaliter, ſed ad dignitatem perſonæ.* Cùm enim nulla interueniſſet pactio, non erat oneroſa repenſio obſequiorum, neque ipſorum pro ſpirituali emptio: dignitas, & merita perſonæ, quibus dignum ſe exhibuerat ea renunciatione Theodorus attendebatur, non verò *oculus habebatur ad obſequium principaliter,* tanquam in eius videlicet compenſationem, atque præmium daretur illud ſpirituale. *Qui finis principalis, aut reſpectio principalis, aut oculus principaliter intentus*, eſt acquiſitio illius temporalis, quod primò, & per ſe mouet ad dandum ſpirituale in compenſatio

penſationem, & veluti pretium, alioquin cum in illa Eccleſiaſtica remuneratione dationem ſpiritualis agnoſcat S. Thom. neque alia de cauſa facta fuerat, quàm vt remunerarentur obſequia exhibita Eccleſiæ, quæ digna erant ſuo præmio, & gratitudine, non potuit illam S. Thomas à Simonia excuſare, ſi omnis, & quæcunque datio temporalis pro ſpirituali, aut ſpiritualis pro temporali ſit Simonia. Quare eam ſolùm dationem, quæ venditio, & emptio eſt, & in qua aliquid ſubit vicem pretij alterius, ſapienter ſtatuit eſſe Simoniam S.D. eiuſmodi autem eſſe eam dationem conjicimus quæ mouetur duntaxat voluntate acquirendi bonum illud temporale, & non vllo alio motiuo, quod explicat ipſe S. Thom. ad quartum cum agit de Simonia, quæ committitur per munus à lingua, ait enim, quando fiunt preces pro indigno, vel aliquo potente periculum comminante, manifeſtè committi Simoniam: rationem reddit, quia ſatis apparet, quod nihil aliud mouet illum niſi fauor, aut periculum vitandum. Si igitur alia quapiam ratione moueretur ad dandum beneficium indigno, non peccaret peccato Simoniæ, quia non moueretur intuitu ſolius commodi temporalis in illa conceſſione beneficij, quando enim ſolo illo intuitu, & fine mouetur, intendit primò, & per ſe commutationem rei temporalis pro ſpirituali, & non aliud quidpiam: in omni autem commutatione vna res eſt pretium alterius, ac proinde venditio reperitur, quæ olim non fiebat niſi commutatione. Vides itaque illum finem principalem includere commutationem, & proinde pretium. Ad ſextum negat Hypocritam, qui bona ſpiritualia facit propter laudes humanas eſſe Simoniacum; quia *venditio, & emptio in quibus Simonia conſiſtit, ſunt voluntariæ commutationes, quia ex conſenſu vtriuſque fiunt: at verò hypocrita fauorem humanum ſibi vſurpat per modum furti, quod eſt inuoluntaria communicatio.* Nunquid hypocrita aliquid temporale tanquam finem principalem ſui operis ſpiritualis intendit? Cur igitur Simoniacus non eſt, ſi datio ſpiritualis intendendo principaliter temporale, Simonia eſt: quod enim illud temporale ſibi vſurpet furtiuè, auget peccatum, ſed Simoniam non diluit: Nam qui choro aſſiſtit principaliter propter diſtributiones temporales, Simoniæ mentalis reus eſt ex aduerſariis, & tamen ſibi illas indignè vſurpat. Neque dicas, dari illas ab iis, qui exiſtimant rectè illum perfungi ſuo officio, nam etiam laudes dantur hypocritæ libentiſſimè ab iis, qui ex operibus externis eius piam mentem iudicant, neque quidquam magis voluntarium eſt, quàm laudes, quas aliis ob egregia facta rependimus. Quod ſi dicas, operi externo, quod ex ſe laudem meretur, illam exhiberi: dicam & ego, externo illi officio quod exercetur ab iſto Simoniaco mentali, vti contendunt aduerſarij, ſtipendium, & diſtributiones rependi; Neque inter hypocritam, & aſſiſtentem choro propter ſolas diſtributiones, diſcrimen vllum afferre poſſunt aduerſarij hac in parte. Ratio igitur propter quam hypocrita non eſt Simoniacus, eſt illa quam affert S. Thom. quia in hypocriſi non reperitur emptio, & venditio, in quibus Simonia conſiſtit; in omni enim venditione, & emptione eſt commutatio quædam voluntaria, & tacita pactio, quod non contingit in hypocriſi. Neque

C 3 quod

quod ſubdit de laudibus furtiuè quodammodo vſurpatis ab hypocrita, ſauet aduerſariis, qui enim principaliter aſſiſteret choro, & interea quidpiam ſubriperet, an amabo, excuſaretur ab aduerſariis à Simonia, licet cum illa coniungeret furtum: igitur neque excuſabitur hypocrita, qui propter laudem humanam principaliter opus ſpirituale facit, licet ſimul cum Simonia furtum committat. Voluit igitur S. Thom. explicare, quodnam eſſet peccatum hypocritæ, quod negabat eſſe Simoniam, dixitque eſſe quoddam furtum, non autem non eſſe Simoniam, quia furtum quoddam eſt, ſed quia non eſt venditio, & emptio, in quibus Simonia conſiſtit. Ad ſeptimum explicat, quomodo committatur Simonia in conceſſione beneficiorum facta conſanguineis, quando datur principaliter ratione conſanguinitatis, vtiturque diſtinctione; Nam vel conferens intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius, *Et ſic peccat grauiter, ſed Simoniam non committit, quia non vendit, cùm nihil accipiat.* Vel. *Intendit aliquod bonum in ſeipſum redundans*, cuiuſmodi eſt domus, & familiæ magnificentia, nobilitas, & potentia, *Et ſic aliquid accipere ſperat pro quo ſpiritualia dat, & Simoniam committit.* Additque eſſe Simoniam à munere, in quo continetur commodum quod ex tali datione ſperat. Vt ratiocinatio S. Thomæ firma ſit, debet iſta datio beneficij, & præbendæ pro commodo proprio temporali quod inde ſperans intendit, eſſe venditio, quandoquidem conceſſionem præbendæ pro commodo ſolius conſanguinei, negat eſſe Simoniam, quia *non eſt venditio.* Igitur datio pro commodo proprio, quæ Simoniam facit, debet eſſe venditio: Nam ſi in illa non reperietur Simonia, cùm ideò in conceſſione pro commodo temporali alterius, non ſit Simonia, quia in illa non reperitur venditio, quæ eſt vnica ratio, quam reddit S. Thomas, & propter quam diſtinguit inter conceſſionem beneficij pro commodo alterius, & pro commodo proprio, quod attinet ad Simoniam, quia in priori conceſſione non eſt venditio, in poſteriori autem eſt. Quare cùm ait in priori illa conceſſione cum concedens ſolum bonum temporale conſanguinei reſpicit, non eſſe venditionem, quia nihil accipit; In poſteriori verò intendendo bonum temporale, proprium aliquid ſperat accipere, nimirum ſuæ familiæ decus, aut diuitias; illa acceptio, & datio eſt acceptio, & datio, quæ venditionem inuoluit, quod non facit omnis datio, & acceptio, vt patet. Denique ad nonum ait Prælatos, qui beneficium conferunt retentâ ſibi aliqua parte fructuum deinceps percipienda, quam antea ex nulla iuſta cauſa percipiebant, ſi eſt conuentio, & pactio aliqua inter ipſos, & eos, quibus concedunt, eſſe Simoniam, quia nimirum in illa pactione, & conuentione, ſtatim arguitur conceſſio onerosa, & venditio quædam.

In ſecundo ſcripto, *Ead. diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. Non aliter de Simonia diſputat, quàm ratione venditionis, & emptionis, quod legenti non Cæco patebit, neque enim opus eſt iterum eius verba exſcribere.

Verùm qui S. Thomæ mentem ex eius nouiſſimo, & elaboratiſſimo opere ſummæ Theologicæ inquirere ſolent Theologi, videamus, an in illo quidpiam emendauit circa doctrinam, quam de Simonia tradiderat,

rat in aliis nuper adductis ſcriptis. Igitur 2.2.q.100.diſputans de Simonia, vulgatam imprimis Simoniæ definitionem, qua dicitur eſſe ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale, tuetur *art.1.* & inde probat Simoniam eſſe malam, quia actus qui cadit in materiam indebitam, malus eſt ex ſuo genere. Res autem ſpiritualis eſt materia indebita emptionis, & venditionis triplici de cauſa. 1. *quia non poteſt aliquo terreno pretio compenſari.* 2. quia qui vendit ſpiritualia, non eſt eorum dominus, ſed diſpenſator, res autem à ſolo domino vendi poteſt. 3. Quia ſpiritualia gratis danda ſunt ex iuſſu Chriſti. Matth.10. qui itaque vendit ſpiritualia gratiam DEI vendit. Quænam, amabo, erit iſta S. D. argumentatio, qua probat Simoniam eſſe malam, quia cadit in materiam indebitam, quod oſtendit, quia materia indebita venditionis, & emptionis, eſt res ſpiritualis, niſi ſupponat, Simoniam eſſe eſſentialiter, ſiue, vt ipſe loquitur *ex genere*, & natura ſua emptionem & venditionem rei ſpiritualis, & non quamcunque dationem ſpiritualis pro temporali, niſi illud *pro* ſignificet pretium, vt quondam ex ipſomet S.D. monebamus. Inde ad ptimum oſtendit, Simoniam continere quandam ſpeciem hæreſis externæ. *Secundum hoc ergo Simonia hæreſis dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem, quia in hoc quod aliquis vendit donum Spiritus ſancti, quodammodò proteſtatur ſe eſſe Dominum ſpiritualis doni, quod eſt hereticum.* Si quæ igitur hæreſis in Simonia reperiri, aut fingi poſſit, ex venditione doni ſpiritualis, quæ illam includit, petenda eſt ex Thoma: atque vt oſtendat ſe de vera, & propriè dicta venditione loqui, non autem impropria, & in ampliori quadam ſignificatione in reſponſ. ad tertium diſtinguit illam ab ea emptione, qua dicimur emere cælum, *largo ſumpto nomine emptionis ſecundum quod accipitur pro merito.* Idcóque malè arguebant aduerſarij aliquid ſpirituale emi poſſe: Qualis verò ſit emptio; & venditio Simoniaca ampliùs exponit art.5. Eo ſiquidem nomine *intelligitur omnis contractus non gratuitus*, eoque comprehendi permutationes, & tranſactiones. Deinde ad ſeptimum ait, ipſum Papam committere poſſe Simoniam, ſi pro re ſpirituali accipiat pecuniam, acceptione nimirum quæ ſit venditio, alioquin non loqueretur conſequenter. Art.2.docet, quomodo aliquid pro adminiſtratione Sacramentorum accipi poſſit aliquando, *quia non ſumitur tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis*: alioquin autem *accipere pecuniam pro ſpirituali Sacramentorum gratia, eſt crimen Simoniæ, quod nulla conſuetudine poteſt excuſari.* Quænam autem ſit illa acceptio explicat, dum ait. *Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretium poteſt pecunia æſtimari.* In acceptione igitur, & datione Simoniaca datur aliquid per modum pretij ſolo intuitu obtinendi illud ſpirituale per temporale, ſiue ex fine principali obtinendi temporalis; Nam ſi aliis ex cauſis detur, & accipiatur temporale etiam æſtimabile pecunia, *vt in ſtipendium neceſſitatis*, non erit Simonia. Ad ſecundum ait, Sacerdotem *non accipere pecuniam quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ, hoc enim eſſet Simoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis.*

Ad tertiū, idem affirmat de abſolutione pro qua non datur pecunia tan-

quam

quam pretium, ſed pro pœna culpæ commiſſæ. Ad quartum, ſic interpretatur conſuetudines quidpiam capiendi pro quibuſdam miniſteriis ſacris: verba verò S. Doctoris diligenter expendenda ſunt, manifeſtè enim oſtendunt in Simonia requiri, & pretium rei ſpiritualis, & intentionem emendi, vel vendendi. *Si aliqua ex conſuetudine exiguntur, quaſi pretium rei ſpiritualis cum intentione emendi, vel vendendi eſt manifeſtè Simonia, & præcipuè ſi ab inuito exigantur. Si verò exigantur quaſi quadam ſtipendia per conſuetudinem approbatam, non eſt Simonia, ſi tamen deſit intentio emendi, vel vendendi, & intentio referatur ad ſolam conſuetudinis obſeruantiam, & præcipuè quando aliquis voluntariè ſoluit.* Monet tamen in his omnibus ſollicitè cauendam eſſe ſpeciem Simoniæ, & cupiditatis. Ex his elicies 1. ex mente S. Thomæ exigi ad Simoniam vt detur aliquid tanquam pretium ſpiritualis, & vt habeatur intentio emendi, vel vendendi, quandoquidem, vbi quidpiam ita datur, aut exigitur, Simoniam eſſe pronuntiat S. Thomas, vbi autem iſta deſunt, licet quidpiam temporale detur, aut exigatur, negat eſſe Simoniam. Secundo, Colliges, aliquid dari tanquam pretium, & intentionem vendendi, vel emendi idem omninò eſſe; nam in vno caſu requirit ad Simoniam *pretium rei ſpiritualis cum intentione emendi, vel vendendi.* In altero autem requirit tantùm ad excuſandam Simoniam, *vt deſit intentio emendi, vel vendendi:* atqui ad tollendam malitiam alicuius actus, tollenda ſunt omnia, quæ illam eſſentialiter conſtituebant, cùm igitur pretium rei ſpiritualis, & intentio emendi, vel vendendi Simoniam conſtituant, vt illa non exiſtat, debet non reperiri in actu, neque pretium rei ſpiritualis, neque intentio emendi vel vendendi: atqui S.D. vt excuſet Simoniam in datione rei temporalis pro ſpirituali, requirit aliquando tantum, vt deſit intentio emendi, vel vendendi; ergo illam accepit pro datione pro pretio: Et ſanè omnis venditio pretium includit, & omne pretium venditionem, neque iſta diſtingui poſſunt. Colliges tertio, Quo ſenſu accipiat S. Thomas finem principalem, ſi quando dixit dationem temporalis principaliter pro ſpirituali continere Simoniam, nempe quando nullum aliud motiuum habetur niſi commutandi illud temporale pro ſpirituali; nam conſuetudinem exigendi temporale pro ſpirituali excuſat hic S. Thom. *Quando intentio refertur ad ſolam conſuetudinis obſeruantiã.* Tunc enim exigitur temporale non pro ſpirituali, ſed pro conſuetudine, & tamen non daretur ſpirituale, niſi conſuetudo dandi temporale ſeruaretur, *Non pro pretio*, ſed pro obſeruantia conſuetudinis, & propter cauſas, propter quas illa fuit introducta. Hanc eandem doctrinam & repetit, & denuò confirmat *toto art. 3.* Vbi quærit an quid accipere liceat pro actibus ſpiritualibus, & diſertè aſſerit. *Vendere quod ſpirituale eſt in eiuſmodi actibus, aut emere, Simoniacum eſt.* Licitum tamen accipere *in ſuſtentationem ſecundum conſuetudinem approbatam, & ordinationem Eccleſiæ.* Statimque addit, *ita tamen quod deſit intentio emptionis, & venditionis, & quod ab inuitis non exigatur per ſpiritualium ſubſtractionem, quæ ſunt exhibenda. Hoc enim quandam haberet venditionis ſpeciem.* Simoniam itaque conſtituit ex emptione,

ne, & venditione! S. Thomas, & illam excuſat ex defectu talis intentionis, ſpeciem denique Simoniæ agnoſcit, vbi ſpecies venditionis, non verò alibi, vt ex tota iſta quæſtione, & ex caſibus particularibus quos ſubjicit, euidenter conſtat; munera ſiquidem data quondam Prophetis fuiſſe ſine Simonia fatetur, quia non exhibebantur *quaſi ad emendum prophetiæ vſum*. Qui Eleemoſynas dant pauperibus ad eorum orationes impetrandas, *Non eo tenore dant quaſi intendentes eorum orationes emere*. Prædicantibus temporalia debentur, *Non ad emendum prædicationis verbum; neceſſitatis eſt accipere vnde viuitur, charitatis eſt præbere: non tamen venale eſt Euangelium, vt pro his prædicetur: ſi enim ſic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt*. Pro officiis Eccleſiaſticis dari ſine Simonia quidpiam, *non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium*. De iis quæ pro funeribus dantur. *Si autem huiuſmodi pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, & venditionis, Simonia eſſet*. Simili diſtinctione vtitur circa vſum ſpiritualis poteſtatis, & circa ingreſſum Monaſterij. Ad quartum, quærit, quomodo committatur Simonia in iis quæ ſunt annexa ſpiritualibus, reſpondet committi quoties vendito temporali intelligitur neceſſariò vendi ſpirituale, cui annexum eſt. Itaque hoc etiam loco Simoniam non niſi in venditione ſpiritualis agnoſcit, indeque ſolita diſtinctione ſingulares caſus explicat in reſponſionibus ad argumenta. Art. 5. oſtendit committi Simoniam per munera *ab obſequio, & à lingua*. quia iſta ſunt pretio pecuniæ æſtimabilia, rationem itaque pretij poſtulat S. D. Ad Secundum, negat collationem beneficij *propter conſanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem*, quamuis illicita, & carnalis ſit, eſſe Simoniacam, *quia nihil ibi accipitur, vnde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia*. Quid hic obganniet aduerſarij? an fortaſſis quod S. D. in reſponſione ad tertium vbi de precibus & laudibus ad beneficia concedenda ſubjicit, *ſi aliquis principaliter ad hoc intendit Simoniam committit*. Verùm hæc intentio principalis eſt muneris à lingua, *quod*, inquit, *ſub pretio cadit*. quia igitur principaliter iſta intendit, quod eſt pretium beneficij, quod concedit, idcirco Simoniacus eſt. Deinde explicat, quando ſit iſta principalis intentio. *Videtur autem ad hoc principaliter intendere qui preces pro indigno porrectas exaudit*. Quia nullum aliud poteſt eſſe motiuum, & ſubeſſe *debita cauſa*, vt loquitur S. D. *Ex qua illi pro quo porriguntur, ſpirituale aliquid conferatur*. Vnde in vno caſu *ipſum factum Simoniacum eſt*, in altero *ipſum factum non eſt Simoniacum*. Hoc eſt ipſa collatio beneficij, prout pro principali, & primario motiuo habet pretium, ſiue quidpiam pretio æſtimabile, vel non habet. Quare ait in eo etiam qui exoratus digno confert, poſſe reperiri Simoniam *in intentione ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad fauorem humanum*. Nimirum tanquam pretium, vti ſæpius dixit idem D. S. Quodlib. 8. art. 11. diſputans *de eo qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus*. Diſtinguit duplicem actum ſpiritualem, *vnum ex parte principij, quia competit alicui perſonæ propter aliquid ſpirituale quod in ipſo eſt, ſicut Epiſcopo conſecrare Baſilicas, Diacono legere Euangelium*. Alter

actus eſt ſpiritualis ex parte finis tantùm, ſicut docere liberales artes, quarum doctrina ſpiritualis eſt, ſed huiuſmodi doctrina non competit alicui propter aliquod ſpirituale officium, cùm etiam gentilibus liceat eas artes docere. Ait verò celebrare diuinum officium in Eccleſia eſſe actum ſpiritualem primo modo, quia competit alicui ex hoc, quod eſt clericus. In actibus porrò illo primo modo ſpiritualibus *committitur Simonia, ſi aliquis intendat ſuum actum vendere.* In actibus ſecundo modo ſpiritualibus *committitur Simonia ſi vendatur finis.* Inde ad quæſtionem propoſitam de Clerico, *qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones* reſpondet, cum celebrare diuinum officium in Eccleſia ſit actus ſpiritualis primo modo, *Simoniam committit, qui eiuſmodi actum vendere intendit, in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis,& ideò in prædicto caſu diſtinguendum eſt, ſi enim eiuſmodi diſtributiones accipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat, ſi autem habet principalem finem* DEVM *in tali actu, ad huiuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat quod non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit.* Ex quibus omnibus vides 1. S.Thomam conſtanter, & perpetuò conſtituere Simoniã ſolùm in venditione actus ſpiritualis, ſiue talis ſit ex parte principij, ſiue ex parte finis duntaxat. Quare quoties eiuſmodi venditio non repetitur, non committitur Simonia ex S. Doctore. Vides 2. S.Thomam confundere in qualibet venditione finem principalem cum pretio, neque alia de cauſa Clericum qui accipit diſtributiones quaſi finem ſui operis principaliter intentum committere Simoniam, quam *quia eiuſmodi actum vendere intendit.* Finis enim ille quem intendit, pretium eſt, quod non contingit in fine ſecundario, quia non eſt pretium. Vnde reſpondet ad argumentum initio propoſitum, & negat *ponere impretiabile ſub pretio.* Atque idcirco committere Simoniam. Ad illam igitur neceſſarium eſſe exiſtimauit S.Doctor, *vt diuinum obſequium impretiabile* ponatur ſub pretio rei temporalis, vti objiciebant aduerſarij.

Habes explicatam S.Thomæ mentem de pretio, & venditione, atque emptione ad eſſentiam Simoniæ neceſſaria, quam paulò fuſiùs referre placuit, vt eorum vel proteruiam, vel imperitiam caſtigarem, qui vulgare auſi ſunt, in alia omnino ſententia fuiſſe S.Doctorem, & in datione ſpiritualis pro temporali ex principali fine Simoniam agnoſcere, quamuis neque pretium, neque venditio, emptiove, aut vt pactio vlla aut intenderetur, aut interueniret, & à nobis pro noſtra, eaque communi ſententia falsò adduci Imponent fortaſſis illi imperitæ plebeculæ cui ſcribunt, ſed non viris eruditis, ſi vel S. Thomæ Codicem aperire ſuſtineant

Cæteri Theologi, qui Magiſtrum interpretati ſunt, & eiuſdem preſsêre veſtigia, quod oſtendo; & quidem S.Bonauentura in expoſitione litteræ Magiſtri in 4. diſt.25. dub.6. *dicendum quod propriè loquendo Simonia eſt in pretio.* Deinde ait eſſe aliam Simoniam *generalius acceptam, à qua pauci hodiè ſunt immunes in clero reſpectu multitudinis, vtpote quando ille, qui ordines tribuit, vel alius*

ex cauſa inordinata ſiue ordinem, ſiue beneficium confert. Neque ſanè nos negamus eum qui ex cauſa aliqua, & ſine inordinato ſpiritualia confert, aut petit, peccare, atque etiamſi velint aduerſarij Simoniam quandam impropriam, & *generaliùs acceptam* committere; Nos verò diſputamus de Simonia propriè, & eſſentialiter dicta, quam Magiſter, eiúſque celeberrimi Commentatores in pretio, & venditione communi conſenſu conſtituunt. Sed pergamus in examinanda ſanctiſſimi viri mente. Ille igitur *in diſt. 25. citatam art. 1. q. 3.* multiplicem facit rem ſpiritualem, cuius aliqua talis eſt purè, vt gratia, & virtutes, quæ neque de Iure vendi poſſunt, neque de facto, alia adiungitur rei corporali, quæ per illam tamen conſecratur & fit ſpiritualis. Hoc ſpirituale *de Iure non poteſt vendi, pro eo quod non poteſt poni ſub pretio: de facto tamen ratione rei corporalis vendi poteſt; alia ſunt Sacramenta.* Alia quædam ſunt annexa ſpiritualibus, & manent tamen corporalia in ſe, vt Calix conſecratus, fundus cui annexum eſt Ius patronatus. Inde dilabitur S D. ad ordines de quorum collatione Simoniaca diſputabat; In illis verò ait eſſe aliquid purè ſpirituale, nempe gratiam ſanctificantem, quæ per eos confertur; & aliquid de ſecundo genere ſpiritualium, cuiuſmodi exiſtit, *Poteſtas miniſterialis per aliquod ſignum exterius diſpenſata, cui inſeparabiliter eſt adiuncta: primam (ſcilicet gratiam) impoſſibile eſt pretio comparare, nec vendere: ſecundam verò poſſibile eſt, pretio dari, quia impoſſibiliter eſt adiuncta Sacramento exteriori, & cum illud poſſit pro pecunia dari, poteſt & illa poteſtas vendi. Et ſic patet, quod Simoniacus Simoniacè ordines dare poteſt.* Quæ poſtrema verba diligenter expendenda ſunt, idcirco enim aſſerit S. Bonauentura, committi poſſe Simoniam in collatione Ordinum, quia in illis eſt aliquod *ſpirituale quod vendi poteſt, & poni ſub pretio.* Itaque ſi nihil in illis venderetur, non eſſet Simonia, ſed quædam alia inordinatio. Et ſanè communis illa difficultas, quam proponunt DD. qua nempe ratione in Sacramentis, Ordinibus, & aliis eiuſmodi reperiri poſſit Simonia, non aliunde petitur, quàm ex eo quod non appareat, quomodo ſpirituale vendi poſſit, vt ex eorum argumentis conſtat; ideóque vt illa diluant DD. & totam difficultatem explicent, multi ſunt in aperienda natura, & diſtinctione rerum ſpiritualium, vt oſtendant quomodo aliquæ ex illis *de facto*, licet non de iure, vt dicebat S. Bonauent. vendi poſſint. Venditionem igitur, & pretium ita eſſentialia eſſe Simoniæ exiſtimarunt, vt abſque illis neque in Sacramentorum adminiſtratione, neque in ordinum collatione, neque in aliis actibus ſpiritualibus Simoniam veram, & propriam agnoſcant, ſed inordinationem aliam quampiam, & quoties in re aliqua Simoniam committi dicunt, id non niſi ex venditione, quæ inibi reperiatur, demonſtrant, vt manifeſtè fieri vides hoc loco à Bonauentura, qui in reſponſione ad obiecta, ait gratiam vendi quantum ad poteſtatem ſpiritualem miniſterialem, *quæ iuncta eſt rei exteriori poſita in hominis diſpenſatione,* dona Spiritus ſancti habere ratione ſui Spiritum ſanctum diſpenſatorem, *Quantùm verò ad annexum habere diſpenſatorem hominem purum, & primus nunquam vendit, ſed ſecundus vendere poteſt annexum illi, quod eſt*

quodammodo ſpirituale, & propter illud emitur, & ideo ipſa dona dicitur vendere, & poteſt, cùm in eius poteſtate commiſſa ſunt temporalia diſpenſanda. Denique ad id quod objiciebatur, ſpiritum ſanctum non poſſe redigi in ſeruitutem, reſpondet, *quod in ſeipſo vendi non poteſt, tamen eius effectus vendi poſſunt, pro eo quod eius effectus ſunt in humano dominio conſtituti.* Ex quibus tandem concludit, veros Ordines à Simoniacis poſſe dari, parum ſanè prudenter, & inutili labore ſe torquet Bonauentura, alijque paſſim DD. in quærenda ratione venditionis in gratia ſanctificante, donis Spiritus ſancti, & aliis, vt doceant in illis committi Simoniam, ſi ad illam neque venditio, neque pretium neceſſaria ſunt. Quid enim facilius erat quàm dicere, Simoniacè iſta conferri, quoties ex aliquo fine temporali inordinato conferrentur, ſiue in illis reperiretur ratio pretij, & venditionis cuiuſdam, ſiue non reperiretur. Perſuaſum igitur illis fuit ex communi ſenſu Simoniam includere eſſentialiter pretium, & venditionem, atque in omni Simonia illa eſſe demonſtranda. Ex hoc eodem principio colligit q. 4. grauitatem huius peccati, & an ſit hæreſis; grauitatem quidem, *quia illud quod erat impretiabile ſub pretio ponit, quod nullo modo poteſt fieri, quin fiat contumelia Spiritui ſancto.* An verò ſit hæreſis hac diſtinctione definit. *Dicendum quod ille qui emit, vel vendit ſpiritualia, aut credit ea pro pretio poſſe æſtimari, & valori rei terrenæ æquari, & pro pecunia poſſideri, & hæc eſt hæreſis manifeſta, & ſic æſtimauit Simon Magus: aut ille qui vendit, & emit, non credit quod gratia* DEI *per pecuniam comparetur, ſed tamen ardens auaritia nititur aliquid aſſequi, & impetrare per pecuniam quod ad humanam ſpectat diſpenſationem, & ſic non eſt peccatum fidei, ſed morum, quoniam talis peroptimè nouit, & malè facit, ſicut & ille qui fornicatur, ſciens fornicationem eſſe peccatum, non errat in fide, ſed in via morum.* Inde concludit Simoniacum eſſe auarum, & in peſſima ſpecie auaritiæ, & non propriè hæreticum, talem tamen ſæpiùs dici, quia operatur per modum hæretici, aut quia ejicitur à diuino ſeruitio tanquam hæreticus, & propter enorme ſcelus quod admittit. Ex hac porrò communi hæretici appellatione, quam Simoniacis tribuunt PP. vti diximus nuper *quæſt. 3. Conſ. 2.* Confirmatur noſtra, communiſque ſententia, quam tuemur: idcirco ſi quidem dicitur hæreſis Simonia, quia qui illam admittunt, exiſtimant, aut ita ſe gerunt, atque ſi exiſtimarent gratiam, & dona Spiritus Sancti, aliáque ſpiritualia vendi, & emi poſſe, *& impretiabile ponunt ſub pretio*, quam ob cauſam Simoniacum ſceleratiorem eſſe Macedonianis referebamus ex S. Thoma; quæ omnino falſa forent, ſi Simonia committeretur ſine venditione, & emptione ſpiritualium, neque neceſſariò *poneret ſub pretio quod eſt impretiabile.* Idem *ibid. q. 4.* explicans illud. 1. *ad Cor.* 9. qui ſeminat ſpiritualia, &c. Sic habet. *Si hoc non intendit principaliter, immò carnalia metit, vt ſe ſuſtentet, & ſpiritualia ſeminat, nulla eſt auaritia, nulla mercatio, ſed manifeſta iuſtitia, vt multiplici exemplo probat Apoſtolus.* Quæ verba exſcripſit Adrianus infra referendus. Quomodo verò in intentione principali metendi temporalia pro ſeminatione ſpiritualium, non autem in intentione minùs principali mercationem eſſe dixit

Bonauent.

Bonauent. niſi quia in illo fine principali pretium agnoſcit interuenire ſaltem æquiualenter.

Albertus nomine & doctrina Magnus, S. Thomæ Magiſter, & Pariſienſis Doctor, cùm ibi & laurea Doctoratus inſignitus fuerit, & magna nominis celebritate docuerit, diſputans de Simonia *in* 4. *d.* 25. imprimis *a.* 2. probat, & explicat Simoniæ definitionem, quam dicit *eſſe Iuriſperitorum communiter, nempe, ſtudioſam voluntatem emendi*, vel *vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, aitque illis verbis, *vendendi, vel emendi contineri proprium actum Simoniæ.* Et reliquo articulo oſtendit, quomodo ſpirituale, in quantum ſpirituale vendatur, *ſi ſpiritualitas augeat pretium.* Art. 3. demonſtrat Simoniacum eſſe hæreticum, quia ex Auguſt. *Hereſis eſt attribuere Deo quod ſibi non conuenit, & hoc facit Simoniacus, quia dicit ſibi conuenire, quod ſua ſub pretio ponantur*, & ipſe, hoc eſt, & Deum, & diuina ſub pretio ponit. ſubdit deinde Simoniam *ponere ſpiritualia viliora temporalibus pro quibus ea vendit, & emit, & ideo dicitur hæreſis.* Et ad primum Simonia peccat contra valorem, quem credere debet eſſe in ſpiritualibus ipſis. Art. 5. explicat modos quibus committitur Simonia circa quoſdam Caſus particulares, & in illis ſemper aſſignat aliquam venditionis ſpeciem, & quia obiiciebatur *emptionem, & venditionem* non fieri ſine contractu, *parentelam* autem facere, vt ſine contractu donum ſpirituale detur, atque adeo in ea datione non eſſe Simoniam, reſpondet, *Dicendum quod non ſumitur ita ſtrictè venditio, & emptio in definitione Simoniæ: ſed dicitur venditio, quando quodcumque pretium facit dari ſpiritualia pretio largo modo ſumpto pro temporali omni, quod eſt tota, & ſola cauſa dationis.* Vides itaque ad Simoniam requiri aliquam veram venditionem licet non ſtrictam pro contractu illo formali, quem eo nomine ab aliis omnibus diſtinguimus, ſed quæ ſit commutatio aliqua, & datio non gratuita, & deinde neceſſarium eſſe pretium, non illud proprium quod in pecunia vulgò conſtituimus, quia pecuniâ omnia menſurantur, vt dicebamus ex S. Thoma, & Ariſtotele; ſed omne temporale vicem pretij ſubit, & pretium largo modo dicitur, ſi cum pecunia nimirum comparetur. Demum explicat quandonam temporale detur per modum pretij pro ſpirituali, licet non appareat expreſſus, & explicitus Contractus emptionis, & venditionis, quando illud *eſt ſola, & tota cauſa dationis.* Non datur ſiquidem ſpirituale niſi propter illud temporale obtinendum, tunc eſt pretium illius ſpiritualis quod cum ipſo commutatur. Atque hoc ipſum, neque aliud voluère S. Thomas, aliique, qui aliquando dixerunt committi Simoniam, quando datur ſpirituale propter temporale principaliter, aut tanquam propter finem principalem; ſignificant enim ſolam, & totam cauſam dationis illius eſſe temporale, & ſumunt. vti ſæpiùs monui, finem illum principalem, ſiue totalem, & ſolam illam cauſam dationis pro pretio cum noſtro iſto Doctore, quod pretium non eſt quidem pecunia, ſed aliquid æſtimabile pecunia, ac proinde pretium *largo modo*, cùm, vt ait inferiùs, *ad hoc habeant oculum in collatione.* Initio illius Articuli 5. retulerat verſus

vulgatos à Iuriſperitis, quibus colligunt omnes modos committendi Simoniam, ſed in illis non gratuitam donationem, ſed venditionem ſignificant.

Munus, lingua, timor, Caro, cum fama populari,
Non faciunt gratis ſpirituale dari.
Lauſque, parentela, violenta rogatio, dona,
Obſequium vite, vendunt ſpirituale.

ALEXANDER DE HALLES, Anglus Ordinis Minorum, SS. Tho. & Bonauenturæ Pariſiis præceptor, ibidémque Doctor irrefragabilis nuncupatus Innocentij III. iuſſu Summam totius Theologiæ ſcripſit, quam Alexander IV. ſuo diplomate, & LXX. virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobauit. In eius verò Summæ. 2. *parte q.* 167. de Simonia diſputans imprimis memb. 2. Vulgatam definitionem explicat, & probat, Circa illam verò definitionis partem, *emendi, vel vendendi* hæc habet. *Dicendum quod nomine emptionis intelligitur omnis contractus circa ſpiritualia &c.* vnde large accipitur ibi *pro illicita conuentione circa ſpiritualia, mediantibus temporalibus.* Quo nomine intelligi pretium quis non videt, & oſtenditur ex ſequentibus, in quibus perpetuò eo nomine vtitur; Nam §. 1. idcirco Simoniacum eſſe hæreticum ait, *quia non appretiatur gratiam ſpiritus ſancti* in rebus ſacris prout deberet &c. *Spiritui ſancto detrahunt ponentes impretiabile ſub pretio.* §. 2. de comparatione Simoniacæ hæreſis cum Macedoniana, explicat illud 1. *q.* 1. *cap. eos qui. Simoniaci ſic agit vendendo gratiam Spiritus ſancti in ſacramentis, quaſi Spiritus ſanctus in effectu eſſet ſubiectus*, &c. *Omnis enim Dominus, quod habet, ſi vult, vendit.* mēb. 3. agit de varijs modis, quibus committitur Simonia, & non ſolâ pecunia. art. 1. vbi de munere à manu. *Si moueatur voluntas iudicis Eccleſiaſtici ad ferendum iudicium pretio muneris magni, vel parui, ſemper eſt Simonia; Eccleſia verò reſpicit opus exterius, & quia modica munera non videntur debere corrumpere animum iudicis Eccleſiaſtici, non reputatur apud Eccleſiam Simonia.* Igitur vt munus à manu conſtituat Simoniam, debet habere rationem pretij ex Alenſi, quæ ratio cum vix exiguo muneri conueniat, non præſumimus Simoniam ex illo. Ex hoc principio reſpondet ad Caſus ſpeciales, in quibus exponit, quomodo pecunia, & venditio non cadat ſuper ſpirituale. Art. 2. de munere ab obſequio, ſi dignum, & honeſtum exhibeatur ſeruitium, *nec interueniat pactio, nec, principaliter habet animum ad hoc, licet habeat ſecundariò, non committit Simoniam,* Igitur neceſſaria eſt pactio, & principalis animus ad illud temporale tanquam ad pretium, & compenſationem ſpiritualis, vt committatur Simonia. *Art.* 3. quoad munus à linguâ, reſpondet. *Quod cùm preces carnales ſuccedunt loco pretij, & hoc maximè fit cum pro indigno fiunt, Simonia dicitur perpetrari.* Quare niſi preces vicem pretij ſubeunt, non fit Simonia, quod accidit quando fiunt pro digno, quia tunc præſumitur recta intentio, & non principalis reſpectus ad preces. Quia verò aduerſus iſtam diſtinctionem obiici poterat pecunia pro digno oblata, æquè committi Simoniam. atque ſi pro indigno collata eſſet, idémque dicendum eſſe in precibus ſiue pro digno, ſiue pro indigno

indigno fiant, reſpondet, preces *ordinari ad manifeſtandum quod congruit talem ordinari, vel beneficiari, ad hoc enim eſt ſermo deprecatorius pro digna perſona: pecunia verò non eſt ad hoc, ſed vt inordinatè moueat affectum conferentis ordines, vel beneficium.* Itaque poterit quis moueri precibus, vt alicui digno conferat Ordines, non tamẽ moueri pecuniis: quia in iſto caſu eſt neceſſario inordinatio, cùm intendatur duntaxat tẽporale pro ſpirituali, non in primo, quia non neceſſario attenditur fauor illius qui preces adhibet, ſed principaliter attenditur dignitas perſonæ cui confertur, quod in aliis ſimilibus Caſibus contingere poſſe nemo negabit: Vnde quoque vides, quid S. Thomas, aliíque DD. nominent hoc loco finem principalem, nempe ſolam, & totam cauſam dationis ſpiritualis, vt loquebatur Albertus, quæ ſi ſit aliquid temporale, nihil aliud tunc intenditur, aut intendi tunc poteſt, quàm commutatio illius temporalis cum ſpirituali, in qua commutatione implicatur quædam venditio cum vnum adæquetur alteri, ſintque ſibi inuicem pretium alterius. *memb.* 4. explicat diuerſos caſus circa diuerſam materiam Simoniæ. A. 4. vbi de denariis datis pro Miſſa, ait dari vt prouocetur Sacerdos ad Laudes DEI, vel in pretium, vel in finem, quando datur in pretium, eſt Simonia; quod etiam fit quando qui habet ſumptus neceſſarios, & ex officio tenetur exigere, erit Simoniacum; quia reuera tunc non poteſt aliud intendere, quàm mercedem temporalem actûs ſui ſpiritualis: ſi autem habeat ſumptus ſufficientes, & non tenetur *exigere, habebit ſpeciem mali*, à qua erit abſtinendum. Cur verò tunc non ſit Simonia, ſed eius duntaxat ſuſpicio, reſpondet, quia poterit hic Sacerdos etiam in ſtipendium, & ſuſtentationem exigere, & non in pretium; nam non obligatur, quam aliunde habet ſuſtentationem, in hunc actum ſibi arbitrarium impendere. Quærit deinde numquid accipiendo pecuniam pro beneficio abſolutionis ab Excommunicatione committatur Simonia, quia ſic *ponunt inpretiabile ſub pretio.* Negat verò eſſe Simoniam; quia pecunia non datur pro beneficio abſolutionis, ſed in pœnam, ac proinde non in pretium. Quoad orationes pro quibus obtinendis fideles dant ſæpiùs temporalia, negat ibi eſſe Simoniam quod oſtendit his verbis. *Hæc enim dictio, pro, non notat ibi rationem appretiationis, ſicut cum dicitur, do pecuniam pro Panno, ſed notat rationem prouocationis, vt ſcilicet prouocentur in amicitiam ſpiritualem, & per conſequens ad orandum pro ipſis; & hoc modo licitum eſt, nec ponitur ibi impretiabile ſub pretio temporali.* Art. 2. diſputat de Simonia commiſſa circa annexum ſpirituali; dum verò quęrit, an collatio beneficij facta conſanguineis intuitu cõſanguinitatis ſit Simoniaca, quod aliqui contendebant, ideóque *Cantor Pariſienſis præter triplex munus Cordis, linguæ, & manus, ponebat unus ſanguinis, eo quod tantùm reprehenditur in ſcriptura ædificatio Eccleſiæ in ſanguinibus.* Quęſtionem ita diſſoluit Alenſis vt noſtram ſententiam diſertiſſimè explicet, eius verba reddo. *Videtur tamen aliter dicendum, quod licèt ſit graue peccatum, non tamen eſt Simoniacum, & licet detur annexum ſpirituali pro temporali, tamquam pro fine, vel motiuo, non tamen tamquam pro pretio,*

tio, & ita non eſt Simonia. Si verò opponatur, quod non gratis dat, qui non tantùm propter Deum, dicendum eſt quod gratis dat, quoad hoc, quod pro nullo pretio dat. Vides igitur Alenſem omnino exigere pretium ad Simoniam, eóque ſublato, quamuis ſit quædam grauis inordinatio, non tamen eſſe Simoniam. Vides ſecundò, Non ſufficere motiuum, & finem temporalem in datione ſpiritualis ad Simoniam conſtituendam niſi ſit pretium. Vides tertiò, quod dicitur, ſpiritualia conferenda eſſe gratis, illud, *gratis*, reſtringi ad id quod oppoſitum eſt pretio, & compenſationi, & ſignificare *ſine pretio.* Itaque quoties quid confertur ſine pretio, confertur gratis, & quod inde ex doctrina tanti Doctoris neceſſariò ſequitur, ſine Simonia, licet fortaſſis in illa collatione, aliunde ex prauo motiuo, & fine peccetur. Vides denique quoties veteres aliqui voluerunt eſſe Simoniam in collatione ſpiritualis pro temporali tanquam fine principali, finem illum confudiſſe cum pretio, vti ſæpiùs fuit explicatum, alioquin non ſibi ipſis conſtarent, vt vides. Et iterum ſignificat Alenſ. art. 3. vbi de prædicatione. *Non eſt licitum prædicare pro temporalibus, vt noscetur pretium ſuæ prædicationis, ſed licitum eſt prædicare ſecundaria intentione, vt audientes moueantur ad opera pietatis, & ſic ſubueniant aliis; principalis enim intentio eſt, vt propter* DEVM *fiat prædicatio quod Apoſtolus prædicauerit pro collectis faciendis, hoc fuit ſecundariò, non quod ibi conſtitueretur finis principalis, nec quod hoc eſſet pretium ſuæ prædicationis* Niſi finis itaque temporalis ſit pretium, aut pro illo vſurpetur ea vox, non intelligitur Simonia. Hactenus Alenſis.

PETRVS TARTARETVS Franciſcanus, qui ex Trithemio claruit Pariſiis Iulio II. Pontifice, & Ludouico XII. Rege, in reportatis ad *d.*25. *in* 4. Vulgatam definitionem Simoniæ & probat, & explicat, & voce emptionis, atque venditionis. Deinde ait, non committi Simoniam niſi fiat pactum *verè, formaliter, vel ſimilitudinariè.* Cuius vltimi exemplum affert in Sacerdote, cui dicitur, *Ecce quatuor albos, dicatis Miſſam,* dicit, ſum impeditus, *dicitur ſibi, Ecce ſex albos, & dicit vado ad celebrandum, nonne ſimilitudinariè videtur committere Simoniam, licet non committatur, & eſt hîc ſpecies mali.* Cur in hoc caſu negat iſte Doctor veram Simoniam, & ſimilitudinariam ſolùm admittit, niſi quia in eo non eſt verum pactum, quod neceſſarium nimirum eſt ad veram venditionem, in qua conſiſtit Simonia, & quia hic idem Doctor admittit Simoniam, dum datur temporale propter ſpirituale tanquam propter finem, vltimum, ita illud ſuum dictum explicat, vt finem vltimum hoc loco accipiat pro pretio, & recompenſatione eius quod datur ob illud. *Dico vltra, quod homo non dicitur committere Simoniam dando aliqua bona propter ſpirituale, niſi principaliter det illud propter ſpirituale, tanquam propter finem vltimum. Exemplum. Porto quatuor Cuniculos Epiſcopo, non vt habeam ordines, ſed vt ſupportet me; & per hoc ſoluuntur aliqua dubitationes, ſeruitores Epiſcoporum recipiunt aliqua beneficia ab ipſis; videndum eſt, qua intentione iſte recipit; ſi Epiſcopus dat beneficium principaliter in recompenſationem ſeruitutis, eſt Simoniacus: ſi autem, vt poſſit viuere in futurum, tunc non eſt Simoniacus. Requiritur igitur ad*

Simoniam veram quod ſit cum pacto, & quod principaliter fiat propter illud. Exigit itaque Tartaretus tum pactũ, tum intentionem principalem recompenſationis ad Simoniam; & idcirco expendendum qua intentione detur, & recipiatur temporale, an ex pacto, & ex fine principali *recompenſationis* ſiue pretij, alioquin non exiſtet Simonia.

Richardus à Media Villa, Anglus, eiuſdem Seraphici Ordinis in Iure Pontificio, & Theologia Doctor celeberrimus *in 4. diſt. 25. art. 2. quaſt. 1.* vulgatam definitionem Simoniæ tuetur, & in voluntate vendendi, & emendi ſpiritualia collocat. *q. 2.* à Simone iure merito nominari contendit, quia fuit in eo vitium huius emptionis, & venditionis. *Ad hoc enim voluit emere pecunia donum Spiritus ſancti, vt poſtea aliis venderet. q. 3.* Giezi peccatum triplex agnoſcit. 1. quia mentitus eſt. 2. quia famam domini ſui læſit. 3. *quia directè, & ex intentione pecuniam pro beneficio Spiritus ſancti, quamuis iam exhibito, exegit: aliud enim eſt pro beneficio iam recepto liberaliter dare pecuniam, non ſicut pretium, ſed loco actionis gratiarum quod licitum eſt, & aliud pecuniam exigere, ſicut pretium quod fecit Giezi.* Riccardus itaque ad Simoniam dari, & intendi pretium, aut aliquid aliud ſicut pretium omnino vult. Quod totum amplius explicat art. 3. nam *quaſt. 1.* in Sacramentorum venditione agnoſcit Simoniam. 1. quia eſt contra rationem gratiæ vendi, vel emi. 2. quia *Cauſa diſpoſitiua, cuius effectus menſurari non poteſt aliqua re temporali, excedit pretium cuiuſcumque rei temporalis, & ideo cum pro Sacramentis pecunia datur, res inappretiabilis ſub temporali pretio ponitur.* 3. quia non poteſt emi niſi à Domino, homines autem non ſunt Domini gratiæ, aut Sacramentorum, ſed miniſtri. *In reſponſione ad primum* agnoſcit Simoniam aliquam, cum pro gratia datur ſpirituale, quia nullum aliud donum *poteſt eſſe ſufficiens pretium gratiæ, & eſt contra rationem gratiæ vt vendatur quocumque pretio.* Deinde in Sacramentis *res emitur à non Domino*; licet verò mutuas preces promittere, quia *hoc non eſt vendere, nec emere ſpirituale pro ſpirituali, quia hic nulla eſt pactio*, nimirum qua vnum detur in pretium alterius. Eadem diſtinctione ſoluit ſequentes difficultates. *Ex pacto non eſt licitum aliquid dare, tanquam pretium Miſſæ:* Neque etiam *accipere pecuniam pro ipſa electione.* Matrimonium quà eſt Sacramentum *non cadit ſub venditione.* Non licet accipere pecuniam *tanquam abſolutionis pretium.* q. 2. & 3. alios caſus ſingulares explicat conſtanti illa diſtinctione, & ad Simoniam vbique pretium exigit, & tandem ſuam diſputationem concludit, non tantùm committi Simoniam *Cum pro ſpiritualibus, vel annexis eiſdem datur ex pacto pecunia, ſed etiam cum ex pacto datur munus quodcunque. Si tamen ſine pacto ex libertate munus aliquod benefactori poſt beneficium iam receptum, accipi poteſt. Si etiam ſine aliquo pacto aliquis ſeruit alij, ille qui ſeruitium recipit, ſi ipſum remunerat aliquod beneficium Eccleſiaſticum conferendo, ſi tamen aliàs dignus ſit, non peccat, niſi principalem aſpectum habeat ad ſeruitium quod ab ipſo recipit. Clericus etiam ſeruiens Epiſcopo ſpe futuræ remunerationis, Simoniam non committit, ſi ſine omni pactione, vel conditione ſeruiat, dummodo principaliter hac intentione non ſeruiat; Nec Epiſcopus directè pro hoc ſeruitio Præ-*

bendam ei aſſignet. Allegat gloſſam. *in cap. Cum eſſent. Extra. de Simonia.* Addit ſi ſeruiat principali intentione beneficium obtinendi, nullo tamen pacto interueniente, grauiter peccare, & incurrere Simoniam mentalem, non tamen illam quæ obliget ad beneficij reſignationem. Vides primo non incurri Simoniam niſi ex pacto detur temporale pro ſpirituali, etiamſi detur ſpe obtinendi illud ſpirituale tanquam remunerationem quandam, aut intentione principali propter illud. Ratio eſt, quia pactum illud indicat venditionem quandam, & dari vnum tanquam pretium alterius, vt hactenus voluerat Richard. Vides ſecundo quid ſit illa intentio principalis, & directa, quæ æquiualet pactioni, nempe ea, qua quis eodem modo mouetur, atque ſi pactione ſe obligaſſet, atque ita intendit illud ipſum quod per pactionem, & vi pactionis intenderet. Vides tertiò Simoniam, quæ illa intentione committitur, non obligare ad beneficij ſic acquiſiti reſignationem, quod tamen faceret, ſi illa eſſet vera, & propriè dicta Simonia, quæ iniuſtitiam continet, & inæqualitatem; ſed ea de re inferiùs.

Henricvs à Gandauo, Ordinis ſeruorum, ob inſignem eruditionem à Scoto commendatus, & Pariſiis Doctor ſolemnis nominatus, & Socius Sorbonicus, *Quodlib.* 1. *q.* 34. quærit, an Doctor intendens principaliter honorem ſuum in docendo, peccet mortaliter, & peccare reſpondet, quia præfert honorem ſuum honori diuino, non tamen ait committere Simoniam; quod tamen ex aduerſariis dicendum eſſet, ſi intentio principalis temporalis alicuius in miniſterio aliquo ſpirituali exhibendo, qualis eſſet doctrina Chriſtiana, ſufficeret ad Simoniam. Debet igitur eiuſmodi eſſe illa intentio principalis, vt æquiualeat pactioni, vt dicebamus ex Riccardo, quod fit quoties aliquid intenditur principaliter per modum præmij, & remunerationis, vti dicebat idem Riccard. Nam intendere principaliter remunerationem, & ex illo fine ſolo agere, eſt propter pretium ſui laboris, & actionis agere, & illud intendere, vt conſtat ex ipſis terminis.

Eodem ſenſu *quodlib.* 4. *q.* 30. ait eum qui aliunde idoneus eſt ad beneficium obtinendum, & offert Prælato munera, quæ vel Prælatus reſpuit, aut ſi acceptat, non propter illa confert beneficium, ſed quia petens eo dignus eſt, peccare, non autem Prælatum: ſi verò Prælatus propter munera conferat, peccat, *tanquam acceptor perſonarum pro munere, & ita quantum in ipſo eſt*, *Simoniacus eſt.* Cur non dixit ſimpliciter eſſe Simoniacum, *ſed quantum in ipſo eſt*, quia nempe deerat pactio; ipſe tamen eodem modo ſe geſſit, atque ſi propter illud munus, & ex pactione conferret beneficium.

Quodlib. 6. *q.* 26. diſputans de vſura, & de diuerſis ſpeciebus Simoniæ diſtinguit duplicem pactionem, quarum *vna eſt vera, quæ eſt in ſermone vel ſigno expreſſa*, & *alia interpretatiua in Simonia mentali, quando quis per temporale factum, abſque alia pactione intendit allicere ad receptionem alicuius purè ſpiritualis: & ita intenta allectio, eſt quaſi quædam pactio doloſa.* Vides igitur intendi illud ipſum quod fieret per

per expreſſam pactionem, quoties ex praua intentione committitur Simonia mentalis.

Neque ſanè nos aliud volumus, quàm in omni Simonia interuenire temporale tanquam pretium ſpiritualis, aut è contrario, ſiue per expreſſam pactionem, ſiue per interpretatiuam, per intentionem prauam, *& intentam allectionem* ad receptionem temporalis pro ſpirituali, *quæ eſt quædam pactio doloſa.*

Quodlib. 12. *q.* 15. quærit, an Iudex poſſit reis pecuniariam pœnam in vſum pauperum, vel Eccleſiæ, vel proprium conuertendam infligere. Reſpondet primo pœnam ordinari per ſe, & principaliter *in emendam, & ſatisfactionem*, & pecuniariam pœnam, eſſe commutationem pœnæ in pecuniam, quam fieri aliquando poſſe negari nequit. Quare tota difficultas eſt quando conuertitur ea pœna in vſus proprios Iudicis, quia hoc erit *iudicare in muneribus*, quod prohibetur Mich. 3. & 1. *q.* 1. obſeruat in Eccleſiæ iudicio tria iſta differre. *Iudicare in muneribus acceptis, aut accipiendis, iudicare pro muneribus, & pro ipſo iudicio munera accipere. Iudicare in muneribus dicitur ille, qui pecunialem ſatisfactionem iniungit non propter vtilitatem correcti, ſed propter commodum proprium, & ſic non propter diſpenſationem & commutationem pœnæ in pœnam, ſed per quandam exactionem pœnæ muneris, & hoc non ad ſatisfaciendum DEO, & Eccleſiæ, ſed ſuo prauo deſiderio, quod non licet,* &c. *propriè autem iudicare pro muneribus, quod tamen non eſt iudicare in muneribus, & iudicium integrum exercere ſecundum tres eius partes, non propter aliud, quàm propter muneris mercedem, vel principaliter propter illud, quod ſimiliter nullo modo licet : pro iudicio autem munus accipere contingit dupliciter, vno modo ratione ipſius iudicij, vt ſcilicet munus ponatur merces propter quam exercetur iudicium, vel principaliter, vel ſecundario, hoc nullo modo licet, quia illud ſub pretio temporali non cadit, & ideo in omnibus prædictis Caſibus puto committi Simoniam.* Alio modo pro iudicio ſumitur munus, nempe pro ratione laboris in iudicando. Vt igitur in iudicio committatur Simonia vult Henricus munus capi tanquam mercedem ipſius Iudicij.

Dvrandvs à S. Portiano, Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopus, illum tamen Leodienſi præfuiſſe vult Poſſeui. in Apparatu, & Baroni. an. 1035. vbi eius Epiſtolam ad Henricum Regem contra Brunonem Andegauenſem Epiſcopum, & Berengarium Turonenſem Archidiaconum reffert. Sed hic Leodienſis Epiſcopus Durandus alius fuiſſe videtur à noſtro hoc ſcriptore, qui tantùm circa annum 1318. floruit ex Trithemio. Is Romæ in ſacro Palatio docuit, quem Ioan. Gerſon doctorem reſolutiſſimum nominauit, eiúſque ſcripta Theologis in Collegio Nauarræo Pariſiis ſtudentibus conſuluit. Is autem *in* 4. *d.* 25. *q.* 3. oſtendit, illicitam eſſe Simoniam, quia illicita eſt venditio, & emptio ſpiritualium ſiue eiuſmodi ſint per eſſentiam, ſiue per attributionem, ſiue per cauſam, quia in omni venditione res vendita fit ementis vel de iure, vel de facto, recompenſatur per pretium datum ab emente, eſtque contractus oneroſus, & non gratuitus; venditor denique debet

eſſe dominus rei quam vendit. Nullum autem iſtorum reperiri in venditione ſpiritualium oſtendit ibid. Durand. proinde malam eſſe eiuſmodi venditionem, quæ Simoniaca dicitur à Simone, qui voluit emere gratiam conferendi Spiritum ſanctum, neque vllam aliam Simoniam, quam in venditione rei ſpiritualis agnoſcit tota illa q. Durand. vt legenti conſtabit. Vnde num. 11. dum loquitur de licita acceptione ſtipendiorum à Miniſtris Eccleſiæ, *ſi quid ergo licitè recipit Miniſter Eccleſiaſticus diſpenſando ſacramenta, non recipit illud in pretium operis, vel laboris, ſed in ſuſtentationem Miniſtri.* Simili modo loquitur in reſponſione ad argumenta contraria, vbi ſemper diſtinguit inter acceptionem tanquam pretium pro anniuerſariis, prædicatione, atque aliis ſimilibus officiis, & acceptionem aliis titulis factam, & priorem illam Simoniacam dicit, non poſteriorem. *q.* 4. demonſtrat, Simoniam non ſolùm committi pecuniâ, ſed etiam quocumque alio temporali; atque ita verum eſſe quod paſſim dicitur committi per munus à lingua, à manu, & ab obſequio. *Ratio huius eſt, quia Simonia conſiſtit in emptione, vel venditione ſpiritualium: emptio autem, & venditio non ſolum conſiſtunt in datione, & emptione pecuniæ, ſed omnium eorum quorum pretium poteſt numiſmate menſurari*, &c. Quæ fuerat ratio S. Thomæ, & aliorum communiter. Oſtendit deinde *n. 6. & 7.* æquè committi Simoniam pro munere magno, aut paruo, atque pro maiori, aut minori pecunia, quamuis ſæpiùs Eccleſia pro exiguo munere non præſumat Simoniam, quia vix præſumere licet exiguis illis muneribus affectum conferentis inclinari, vbi vides illud *pro munere* eodem modo vſurpari à Durando, atque *pro pecunia*, & ideo ſumi pro pretio, vnde ſtatim *n. 9.* concludit. *Licet emptiones, & venditiones communiùs fiant mediante pecunia, fiunt tamen mediantibus aliis, quæ per pecuniam poſſunt compenſari.* Et ideò ait Simoniam etiam aliis modis, quàm per pecuniam committi poſſe. Quæ argumentatio puerilis, & inepta eſt, niſi ſupponat Simoniam eſſe venditionem, quæ cùm aliter quàm mediante pecunia exerceatur, idcirco Simonia non ſola pecunia committitur. *q.* 5. demonſtrat, Papam poſſe eſſe verè Simoniacum, & perpetuò vtitur ratione petita ex venditione rei ſpiritualis pro pecunia, aut alio ſimili; Vbi illud *pro* indicat *pretium*, vti iam diu monere cogimur.

Petrvs de Palvde Dominicanus, Patriarcha Hieroſolymitanus, vel vt alij, Conſtantinopolitanus, ſummus Theologus, & Iuris conſultiſſimus, *in 4. diſt. 25. quæſt. 4.* in ſolenni illa quæſtione, an Papa poſſit eſſe Simoniacus, maximè in collatione ſimplicis Canoniæ non habentis curam animarum, poſita ſolita diſtinctione Simoniæ ex Iure diuino, & ex ſolo iure poſitiuo, non aliter diſputat, quàm ex venditione, & emptione ſpiritualis pro temporali, quod legenti conſtabit, ne quæſtionem integram exſcribere cogamur; Neque aliter impugnatur communis illa diſtinctio duplicis Simoniæ, quam quia licet Ius poſitiuum prohibeat venditionem aliquarum rerum Eccleſiaſticarum, non mutet tamen naturas rerum, & non faciat, vt illa ſit venditio rei ſpiritualis,

tualis, ſi talis ex natura ſua non exiſtat, ac proinde illa venditio contra prohibitionem ſolùm Iuris Eccleſiaſtici, non erit vera Simonia, ſed minùs propria, atque vt nos quondam argumentabamur, quædam Irreligioſitas. *quæſt.* 5. *art.* 1. explicat duplicem definitionem Simoniæ, vnam communem Iuriſtarum iam ſæpiùs allatam, vbi per emptionem intelligit *omnem non gratuitum contractum, & permutationem.* Altera eſt Cantoris Pariſienſis, *Simonia eſt ſpiritualium acceptio, vel collatio non gratuita.* Quæ ſine dubio priori æquiualet, ſi enim gratuita non eſt ea collatio, habet aliquid loco pretij. Art. 2. refert integrum Durandi locum paulò ante à nobis relatum, ipsáque eius verba exſcribit, & nonnulla, eáque leuia exponit. Art. 3. ponit communes concluſiones de venditione ſpiritualium, & eis annexorum, & de aliis titulis in ſuſtentationem, quibus aliquando licet quidpiam accipere. De prædicatione autem ſigillatim ſic habet. *Non autem in pecuniæ collatione finem prædicationis conſtituere ſicut illi qui quæſtum æſtimant pietatem, ad nihil aliud prædicantes, niſi vt pecuniam colligant.* Ecce quid ſit quod alij appellabant dare ſpirituale pro temporali *principaliter*, aut *propter finem principalem. Art.* 3. *ſecundum quod hæc propoſitio, pro, denotat appretiationem, vel cauſam proximam, vel principalem.* Inde iudicandum eſſe dicit, vtrum ſit Simonia, an non. Deinde de muneribus ſiue exiguis, *Quoad conſcientiam ſiue paruum, ſiue magnum ſit, pro quo ſpirituale emitur, vel datur, Simonia eſt.* Vbi ne exiſtimes, dationē illam opponi emptioni, tum quia ſecum ipſe pugnaret Paludanus, tum quia requirit, vt illud paruum munus moueat cor, & ſit cauſa proxima, vel principalis; tum quia iam ſæpiùs dixit eſſe in illa propoſitione, *pro*, pretium, aut finem principalem: ait igitur *emi, vel dari Simoniacè pro munere*, quia licet non ſit explicita emptio, eſt tamen implicita, quando quidpiam datur ita pro alio obtinendo, vt illa obtentio ſit cauſa tum proxima, tum adæquata, aut, vt alij loquuntur, principalis illius dationis, ipſéque Paludanus ſtatim addit, quod cæteri quoque DD. hactenus adducti monuerunt; qui confert indigno beneficium motus precibus, Simoniacum eſſe, *quia tunc preces ſuccedunt loco pretij*: quando autem preces *ſunt quaſi teſtimonium* (nimirum dignitatis eius pro quo funduntur) *non eſt Simonia.* Circa munus ab obſequio, hæc Paludani prætermittere non poſſum. *Secundum veritatem ſi propter ſeruitium quamuis honeſtum, quaſi pro mercede detur beneficium, Simonia eſt, & ſi aliquis propter hoc ſeruiat, vt pro remuneratione præbendam acquirat, Simonia eſt*, &c. *vnde ſi aliquis non eſſet ſeruiturus Prælato, niſi quia ſperat ab eo habere præbendam: Non ſic tamen quod velit habere pro mercede, ſed vult oſtendere ſe dignum, & benè meritum, vt ſecundum meritum recipiat, & non ſecundum ſeruitium; & Prælatus det non remunerando, ſed tanquam digno ex teſtimonio ſeruitij, quamuis aliàs non daturus, quia per hoc probat eum magis meritum, non eſt Simonia.* Non potuit illuſtriùs Eruditiſſimus vir explicare illam ipſam ſententiam, quam ſua Cenſura configunt temerarij nouiores, atque vnà ſanctiſſimum Patriarcham damnant:

nant : ſed ille ipſorum iudicio non ſtat, aut cadit, & à Iudice incompetente facilè prouocabit.

GVIDO BRIANSONIS Pariſienſis Theologus *in Collectario in 4. ſent.quæſt.*12.*Corollario 3.conc.*4. non aliam in ordinatione Simoniam agnoſcit, quàm ſi quis *pecuniam dedit vt ordinaretur*; nomine verò pecuniæ intelligit aliorum more, quidquid pecuniâ menſurabile eſt.

IOANNES BACONIS Anglus, Carmelitarum Prior Prouincialis, Theologus in Academia Pariſienſi percelebris, qui Clemente VI P.M. & Carolo IV. Imperatore vixit, *in 4.diſt.*25. *quæſt.*5 *art.* 1. probat definitionem Hoſtienſis in ſumma, *Simonia eſt ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus præcedente pacto promiſſionis conditionis, modi, ſeruitij, veruntamen cuiuſlibet temporalitatis retentio, ſiue donatio.* Pactum itaque requirit ad Simoniam Baconis ex Hoſtienſi. Art.3. ait non committi Simoniam per munus à manu in caſibus ibi allatis, *ſi gratis offeratur*, & allegat 1.*q.*1.*c. quidquid.* Deinde negat munera modici pretij facere Simoniam, ſi non permoueant dantem. *Si pactum non præceſſit*, quia illa nempe non præſumitur dari in pretium. Ex hac doctrina ſoluit Caſus ſingulares reliquo articulo, & *tota q.*6. Vbi ſemper in venditione, & emptione duntaxat Simoniam conſtituit.

DIONYSIVS RICHELIVS Carthuſianus, vir pietate, & ſcientia clarus, qui tam multa ſcripſit, vt numero opuſculorum vix parem apud Latinos habuerit, refert *in* 4. *diſt.* 25. quæ nos adduximus ex S. Thoma, Bonauent. Richardo. Deinde addit ex Petro licitum eſſe aliquid accipere pro ingreſſu Religionis, etiamſi Monaſterium diues ſit, *ſi ex deuotione offeratur.* Refert & hæc verba ex Antiſſiodorenſi in ſumma lib.3. *Illicitum eſſe dare temporalia pro Miſſis tricenarij*, & prohiberi, ne quid Sacerdotes accipiant, *antequam Miſſas compleuerint ad vitandam ſpeciem mali, & vt ſcandalum euitetur, ne ſcilicet videantur ſpiritualia vendere, & ne detur Sacerdotibus occaſio Simoniæ.* Habes itaque Summum Theologum Altiſſiodorenſem noſtræ communique ſententiæ fauentem, quod ampliùs demonſtraremus, ſi eius Codicem conſulere licuiſſet.

Verùm ipſius Dionyſij mentem fuſiſſimè in tractatu de Simonia explicatam habemus, nam lib.1. vulgatam definitionem ſæpiùs adductam explicat cap.1. & 2. eam quam ex Hoſtienſi explicabamus nuper cum Bacone; Deinde ex Ioanne in Summa Confeſſorum, Durando, Vlrico, Raymundo, & Thoma per *emptionem, & venditionem* intelligi omnem contractum non gratuitum. Demum tractat celeberrimam eo tempore controuerſiam, an Religioſi poſſint prætextu paupertatis aliquid à recipiendis in Ordinem exigere ex pacto inducente conditionem obligatoriam; vtriuſque partis argumenta refert art.6. 7. & 8. diuerſas autem opiniones art.9. recenſet. At verò art. 10. opinionem illam quæ indiſtinctè negat vllá prætextu eiuſmodi pacta facienda eſſe, ſecuriorem pronuntiat, cùm longiùs recedat ab omni ſpecie Simoniaca: Ea verò ſententia, quæ exigit temporalia, priùs tamen oblatis ſpiritualibus, & gratis exhibitis *in ſe ipſa ſatis probabilis eſt*: Sequentibus deinde articulis hæc pacta propter periculum, & ſcandalum illicita eſſe dixit,

varias

varias formulas huius pactionis expendit, cum legitimæ ſint art. 15. & denique art. 18. ſic totam controuerſiam concludit. *Dum itaque Religioſi pro ſpirituali beneficio aliquod temporale quærunt, ſiue accipiunt, aut quidpiam exigunt à perſona recepta aliquod temporale, aut donum intendunt pro actu, aut beneficio ſpirituali, debent eorum intuitus, aut intentio ferri, ac dirigi ad temporale donum, ac commodum tamquam ad motiuum minus principale, & tanquam ad ſecundarium præmium, & ad finem ſubordinatum, non velut ad principale motiuum, & vltimum finem, finaléque præmium, nec tanquam ad pretium rei ſpiritualis,* quod confirmat ex Cancellario Pariſienſi inferiùs à nobis adducendo. Quia verò in pactionibus iſtis videntur exigi temporalia, tanquam pretium, & motiuum principale, idcirco ab omni mali ſpecie abſtinere debent paciſcentes, & ne ab ipſo etiam iure præſumantur hæretici. Denique ſubiicit decretum Academiæ Pariſienſis circa eam controuerſiam, nimirum non licere in receptione Monialium *exigere temporalia tanquam pretium ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus faciendo commutationem vnius pro alio.* Quæ eſt ipſiſſima noſtra, & vetus ſententia ad conſtitutionem Simoniæ neceſſarium eſſe pretium, aut quidpiam eius loco. Sed hoc decretum Almæ Facultatis ſub finem exſcribemus.

DICES. Eundem Carthuſianum impendere totum librum 2. de Simonia, vt oſtendat nullo prætextu quidquam exigi poſſe in ingreſſu Religionis, & omnes illas pactiones eſſe illicitas, etiamſi non exigatur aliquid tanquam pretium Religionis, atque ideo confutat quoddam *famoſi Doctoris* ſcriptum, qui ſecus ſentiebat, itáque interpretabatur conſtitutionem Vrbani V. volebátque Pontificem prohibere duntaxat ne daretur, exigeretur, aut acciperetur eiuſmodi temporale pro pretio Religionis. Reſp. Dionyſium contendere duntaxat eiuſmodi pactiones eſſe illicitas, licet non fiant per modum pretij, neque ex eo ſolùm motiuo prohibitas fuiſſe ab Vrbano, quod ex ipſiſmet conſtitutionis verbis oſtendit, nempe ne inde detrahatur Religioni, ne plures à ſuſcipienda Religione reuocentur, & ne ſcandalum generetur, quæ tria conſequuntur, quando iſta temporalia exiguntur etiam aliis de cauſis, quàm propter pretium Religionis; Ideóque ſapienter ab Eccleſia ſunt prohibitæ tales pactiones, & exactiones, quæ tamen non ſunt propriè Simoniacæ, niſi fiant in compenſationem ſpiritualis quod datur, vti hactenus explicuimus; Neque Dionyſ. quidquam iſtis contrarium docet, neque ipſa Academia Pariſienſis in ſuo decreto inferiùs allegando.

PETRVS AVREOLVS Cardinalis Minorita, & Archiepiſcopus Aquenſis, cum Pariſiis Theologiam Scholaſticam eſſet profeſſus *Doctor facundus* dictus fuit, illum Sixtus Senenſis virum *omni ſcientiarum peritia clariſſimum nominat, & ſingularem concionatorem vſque ad ſummam admirationem, ſic ſcribit in 4. d. 25. q. vn. art. 2. Simonia non eſt niſi emptio quædam circa ſpiritualia.* Deinde diuerſa genera ſpiritualia diſtinguit, oſténditque quomodo illa poſſint eſſe obiectum commutationis, & venditionis, tum quomodo tribus vulgaribus modis, precibus, obſequiis, & pecunia committatur

Simo

Simonia; quibus obſeruatis ponit iſtas propoſitiones. Prima, in gratiæ gratum facientis, & gratis datæ eo modo quo emi poſſe dixit, committitur Simoniæ peccatum, quod eſt contra Iuſtitiam. *Quia quando illud quod non poteſt comparari, vel æquari, commutatur in aliquid aliud, committitur peccatum, & peccatum quidem contra iuſtitiam: ſed quando Sacramenta, vel alia eiuſmodi commutantur pro temporali, datur impretiabile, & inæquabile pro eo, quod nunquam poterit illud æquare, puta ſacramentum, quod totus mundus non poteſt æquare, nec minimum gradum ſpiritualium, ideo fit abſolutè contra naturam contractus, nam quod ex natura ſua habet, quod gratis detur, ibi fit veniale, ideo eſt peccatum contra iuſtitiam.* In ſecunda propoſitione demonſtrat non ſolùm illa ſpiritualia vendi non poſſe, ſed neque laborem in miniſtrando alteri, licet aliquid capi poſſit per modum neceſſariæ ſubuentionis, & ſuſtentationis debitum, quæ tunc non dantur per modum contractus, ſed per modum alterius obligationis naturalis, qui enim occupatur ſpirituali miniſterio, non poteſt procurare ſibi temporalia, ideoque qui illum eiuſmodi miniſteriis detinet, debet ex quadam naturali iuſtitia illi miniſtrare temporalia. *Iuſtitia*, inquit, *exigit quod vnicuique reddatur quod ſuum eſt; ſed miniſtranti ſpiritualia obligata ſunt temporalia, quantum ſufficit ad ſuſtentationem ſuam, vbi non poſſet aliter ſuſtentari: ergo actus Iuſtitia habet, quod miniſtrans ſpiritualia iuſtè recipiat temporalia: recipiens verò ſpiritualia iuſtè reddat: Ex hoc patet, vtrum liceat dare, vel accipere aliquid pro Miſſis cantandis; ſi enim aliquid detur titulo contractus venditionis, vel commutationis, expreſsè committitur Simonia; ſi autem titulo actus Iuſtitia, obligatur alteri ad reddendum quod ſuum eſt, vt ſic pecunia reddatur celebranti ad ſuſtentationem victûs, non ad meritum, & recompenſationem boni illius ſpiritualis.* Vult itaque Aureolus ad Simoniam emptionem, vel commutationem, quæ fiat per modum recompenſationis, quidquid enim alio titulo etiam naturalis obligationis Iuſtitiæ dabitur, non erit Simonia. Ex quo eodem fundamento deinde art. 3. definit, Papam eſſe verè Simoniacum, cùm vendit aliquid ſpirituale, aut ei ita annexum, vt ſimul ſpirituale neceſſariò vendatur, quamuis pœnas Simoniæ ab Eccleſia latas ipſe non incurrat.

Thomas ab Argentina Auguſtinorum Eremitarum Generalis in Pariſienſi Academia diutius auditor, & Doctor fuit, ibidemque in totius Ordinis comitiis in ipſius caput ob nominis celebritatem creatus anno 1345. Is in 4 diſt. 25. q. 1. ait Simoniam eſſe, dare ex pacto rem ſpiritualem pro temporali, additque manifeſtam pecuniæ exactionem æquipollere pacto. At verò art. 4. ad 3. ait, quando preces, & obſequia inducunt Simoniam, *tunc æquipollent pretio, & ideo in talibus precibus, & obſequiis, quamuis non ſint emptio, & venditio formaliter, tamen ſunt æquipollenter.* Indéque definiendum eſſe dicit quandónam committatur Simonia, etiam in munere à manu, & vulgares caſus communi illa diſtinctione pretij, & ſtipendij, ſiue ſuſtentationis explicat, quibus tradit eam ipſam de qua cum aduerſariis contendimus ſententiam, vt vides.

Ioannes Maior in Pariſienſi Academia nemini non notus in 4. diſt. 25.

diſt. 25. Materiam Simoniæ per quæſtiones ſeptem fuſiſſimè diſputauit, & quidem non ſatis probata vulgari Simoniæ definitione, etiam cum additione facta ab Hoſtienſi, & aliis ipſum ſequutis Canoniſtis, ipſe aliam non multùm diſſimilem contexuit, *Simonia eſt volitio in forma, vel in valore emendi, vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, ait autem, *Emere, & vendere extenduntur ad omnem contractum non gratuitum.* Inde colligit primò, Simoniam poſſe committi opere externo non ſequuto, & ſine pacto, ſi quis velit emere ſpirituale, & Simon non pepigit cum Petro. Secundò, Papam poſſe eſſe Simoniacum, quia poteſt emere, vel vendere ſpirituale. Deinde quid ſit illud ſpirituale quod eſt inuendibile, & materia Simoniæ, oſtendítque licitum eſſe pro labore adminiſtrationis Sacramentorũ quidpiam capere, illúmque laborem eſſe venalem contra Durand. & Paludan. qui dicebant eſſe *palliationem Simoniæ.* Ipſe verò nititur decreto facultatis Pariſienſis ante XXXIV. annos edito contra fratrem Ioannem Angeli, qui in 4. articulo ſic prædicabat. *Curatus Parrochialis nihil debet accipere à Parrochianis ſuis pro confeſſione, & Sacramentorum adminiſtratione.* Quam propoſitionem ſic damnauit facultas. *Hæc propoſitio eſt contra diſpoſitionem iuris naturalis & diuini expreſsè, ideo falſa, & notoriè hæretica, nam Sacerdos non capit pro Sacramentis, ſed pro eorum adminiſtratione, quæ actionem, & laborem importat.* Ex qua definitione Academiæ colligit Major, laborem illum adminiſtrandi Sacramenta venalem eſſe, & in illo non committi Simoniam. Exigit igitur ad Simoniam Academia venditionem, nam vbi illa abeſt, abeſſe quoque Simoniam pronuntiat, interprete Majore celebri in ea Magiſtro, & Doctore.

Quæſtione ſecunda, non aliunde oſtendit malitiam Simoniæ, quam quod in ea vendatur Spiritus ſanctus ſicut ſeruus, & res quæ non ſunt in noſtra poteſtate, & inappretiabiles. Communem autem illam controuerſiam de celebratione Miſſæ pro aliquo temporali & recitatione horarum Canonicarum pro diſtributionibus ſic definit, & quod vulgo dicunt, eſſe Simoniam, quando illud temporale eſt cauſa finalis, explicat. *Quis poteſt celebrare pro ſex paruis albis ſextupliciter. Primò tanquam pro fine principali, & vltimato. Secundò, pro pretio adæquato, ac ſi eſſet Iuſtitia commutatiua, & valor rei ad rem, ſicut eſt in emptione bouis in foro. Tertiò, pro ſex paruis albis tanquam pro fine minus principali, & ſubordinato, vel ſubordinabili alteri fini vlteriori. Quartò, vult celebrare pro ſex paruis albis, & habere pecuniam pro ſui ſuſtentatione. Quintò, pro labore, quem habet in celebrando. Sextò pro diſtractione, & impedimento quo impeditur celebrando, ne aliis negotiis vacet.* Ex his intentionibus priores duas tantùm dicit eſſe Simoniacas; Neque inde colligere licet aliquam Simoniam eſſentialiter conſtitui ſine pretio ex mente Majoris, quia diſtinguit illud *pro temporali tanquam pro fine vltimo*, ab eo *quod eſt pro pretio.* Igitur pretium diſtinguit à fine vltimo, & in vtroque tamen caſu Simoniam agnoſcit, contra quam nos ſtatuamus. Reſp. enim Majorem neque à ſeipſo, neque à cæteris Doctoribus hactenus allatis diſſentire, & diſtinguere duntaxat illud *tanquam pro fine vltimo, & tanquam pro pretio*, quod in hoc vltimo ſit explicita

venditio, & adæquatio valoris ad valorem; Vnde ait tanquam *pro pretio adæquato, ac ſi eſſet iuſtitia commutatiua, & valor rei ad rem, ſicut eſt de emptione bonis in foro.* Quæ adæqnatio pretij non attenditur, quando quis dat ſpirituale pro temporali, tanquam fine vltimo, quia licet finis ille ſit temporale, quod capitur ex ea donatione ſpiritualis, non eſt tamen niſi æquiualenter pretium, & non formaliter, aut explicitè, vti iterum explicabit inferius Aragonius. Quare ipſe Maior poſt tot diſtinctiones particulæ, *Pro*, & diuerſorum finium, ipſorúmque inter ſe ſubordinationem, quam eo loco explicat, ad extremum totam quæſtionem ſic concludit. *Ex his patet, Simoniam eſſe peccatum graue, & quomodo licet pro ſpirituali accipere pecuniam tanquam pro ſuſtentatione, ac labore, non autem pro pretio adæquato rei, ac ſi eſſet iuſtitia commutatiua, & recipiendo conſcientiam non debet facere, nam vnus poteſt tantùm licitè lucrari, ſicut alter illicitè.* Quæ concluſio vniuerſalis falſa eſt, ſi aliter quam pro pretio, vel formaliter, vel æquiualenter.vti contingit, quando temporale eſt finis vltimus, committi poteſt Simonia, & ſanè ipſe Maior cauſam principalem appellat, *quæ plus appretiatiuè mouet, & ad quam alia reducitur tanquam finis ſub fine.* Quoties igitur temporale in datione rei ſpiritualis erit finis principalis, omnes alij fines minùs principales ad ipſum reducentur, & illud temporale erit veluti pretium totius illius actionis. Monet denique ſapienter Maior, vt & alij paſſim, illam non eſſe cauſam principalem, ſine qua non fieret effectus, quia etiam ſine cauſa minus principali, quando ſimul cum principaliori concurrit, non fieret, quod hoc exemplo demonſtrat. *Quemadmodum quis vadit ad Sorbonam, vt diſputantes audiat, & de vino Baccalaureorum bibat: qui tamen propter vnum tantùm non iret, ſed propter illa duo, nam vno eorum remoto, vt in die ieiunabili non accedit.* Quod exemplum applicat deinde celebranti *pro ſex albis*, aliàs non celebraturo.

Ex hac doctrina colligit. quæſt. 3. conc. 3. & 4. eum qui propter preces principaliter confert beneficium, non curando de idoneitate, aut indoneitate cognoſcenda eſſe Simoniacum, *quia ratione precum dat præcisè, cum enim nulla ſit idoneitas in viro*, aut ea non attenditur, *ratione illius non dat, & perinde eſt, ac ſi pecuniam à beneficiando caperet.* Qua ſimili ratione de collatione beneficij propter obſequia præſtita differit.

Quæſt. 4. dona gratuita pro ſpiritualibus licita eſſe, atque ex conſuetudine debita exigere fuſiùs oſtendit, quamuis nolit quod alteri cuidam exprobrat *prælatorum vlcera lingere, & omnes monſtruoſas prælatorum peſtes circa exactiones excuſare.* Ad extremum quæſt. 6. probat rem temporalem dari poſſe Eccleſiæ adiecto onere ſpirituali, déque ea conditione fieri poſſe pactionem, in qua pactione poteſt, qui rem ſpiritualem dat, velle donationem ceſſare, quando onus ſpirituale pro quo ipſa datur, non mandabitur executioni; quę omnia ibidem oſtendit Maior, éſtque omnibus certum ex fundationibus variis Eccleſiarum, & præbendarum; in ea verò pactione dubium non eſt, quin intendatur principaliter onus illud ſpirituale, quod imponitur à dante rem tempora

lem, quam ſanè non dat vllo alio fine, quàm vt fiat illa actio ſpiritualis, ad quam obligat donatariam Eccleſiam, & vt ab ea obtineantur bona ſpiritualia, quæ ex eiuſmodi actione ſpirituali impoſita conſequentur. Cur igitur in ea pactione Simonia non eſt, niſi quia temporale non datur per modum pretij ſpiritualis quamuis medio illo temporali intendatur quidpiam ſpirituale.

IOANNES GERSON eruditione, & pietate illuſtris, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, tractatu de Simonia probat in quinta ſuppoſitione, Simoniam beneficialem, de qua eo tractatu diſputat, prohibitam eſſe iure diuino, quia eo iure prohibitum eſt, *vt illud quod eſt verè ſpirituale, quæratur emi, vel vendi.* Deinde *prima ſuppoſitione* demonſtrat, circa beneficium committi poſſe Simoniam, quia in beneficio, *Ius ſuſcipiendi temporalia, quantumcumque temporalia videntur, eſt purè ſpirituale, & ratione obiecti, propterea beneficium Eccleſiaſticum non magis poteſt vendi, quàm officium cui neceſſario connexum eſt, quale tamen officium non eſſe vendibile nemo neſcit.* Nomine autem officij intelligit Gerſon, vt conſtat ex tertia ſuppoſitione *actum officiandi, qui ſpiritualis eſt ratione finis, vel obiecti, & frequenter ratione ipſius obſequij, ſicut ſunt baptizare, prædicare.* Vides Gerſonem in eo ſolùm conſtituere beneficialem Simoniam, quod ſpirituale aliquod vendatur per eam. In reſponſione verò ad ſextam rationem tradit ex communi DD. poſſe dari pecuniam, vt Infans in extremis baptiſetur, ſi aliter baptiſari nequeat, *non quidem intentione emendi baptiſmum, ſed redimendi vexationem ſuam, & puero prouidendi.* Igitur ex Gerſone vbi aberit emptio, & intentio emendi ſpirituale, non erit Simonia. Clariùs præterea ſuam mentem aperit Illuſtriſſimus Cancellarius conſiderat. prima. *Planè nulla eſt propriè Simonia, niſi quia prohibita iure diuino, vbi ſcilicet conuenit contractus iſte rerum ſpiritualium pro re commenſurabili numiſmate, do ſi des, vel do vt des.* Conſiderat. quarta ait Simoniacam labem poſſe aliquando *excuſari, vel non inueniri circa receptionem pecuniarum, vel eorum, quæ ſunt numiſmate menſurabilia.* Seruandam tamen eſſe Apoſtolicam regulam, & ab omni ſpecie mali, quantum fieri poterit, abſtinendum. Sequenti deinde Conſiderat. quinta tradit commodiorem modum vitandæ in his Simoniæ per intentionis directionem: placet eius verba reddere. *Simoniaca*, inquit, *labes commodiùs euitari poteſt per rectificationem intentionis, deſiderando ſcilicet, vt potiatur quis iure ſuo, vel re ſua pacificè.* Sic enim lego, nam vulgatæ editiones, *vel ponitur ne quis iure ſuo, vel re ſua pacificè*, nullum planè ſenſum reddunt, & œdipo indigent. *Accipiendo temporalia, non vt ſunt pretium ſpiritualium, vel cupiditatis nutrimentum, ſed neceſſariæ ſuſtentationis corporalis adiumentum. Sic itaque ſaluabitur illic non eſſe commutationem Simoniacam, vbi tamen concurrit hoc, do ſi des, vel do vt des, quoniam hæ dictiones conditionales, & cauſales, ſi, vt, propter, & ſimiles non notabunt cauſam principalem, ſed conſecutiuam, & minùs principalem, ſeu motiuam, vel adminiculatiuam, ſeu meritoriam, vt ibi, inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem; quæ vtique retributio referebatur*

ferebatur ad DEVM per prophetam ſicut finis ſub fine. Vbi autem propter aliud, vt dicit Philoſophus vtrobique vnum. Vides primo per rectificationem intentionis excludi Simoniam. Vides ſecundo ſolam intentionem accipiendi temporale in pretium ſpiritualium, non autem alio quopiam honeſto, & legitimo titulo, in neceſſariam ſuſtentationem, eſſe Simoniacam. Vides tertio eam prauam intentionem non ſufficienter exprimi per hoc, *do vt des, vel ſi des*, aliaſve conditiones cauſales, quia illæ non notant neceſſario cauſam principalem; ſed aliquando tantùm conſecutiuam, motiuam, meritoriam, vel adminiculatiuam. In propoſitionibus deinde quas ſubiicit, ait prima propoſit. finem principaliter intentum recipiendi temporalia pro adminiſtratione ſpiritualium reddere hominem propriè Simoniacum, quod multò magis facit, vti ait propoſit. ſecunda finis principaliter intentus *accipiendi temporalia pro adminiſtratione ſpiritualium, tanquam ibi ſit adæquatio vera pretij ad pretium, ſicut eſt in commutatione temporalium ad inuicem.* Quod idem repetit ſub finem, & in vtroque illo fine agnoſcit veram Simoniam. Verùm iam pridem monuimus in vtroque illo fine reperiri pretium vel explicitè, & formaliter, vel implicitè, & æquiualenter, quo conſtituitur Simonia, nam quando commodum temporale eſt finis vltimus in quo ſiſtit intuitus conferentis ſpiritualia, æquiualet commutationi temporalis cum ſpirituali, vti ex S. Thoma, & aliis iam ſæpius monuimus. Quare ineptè nobis Gerſonem obiiciunt, vt probent Simoniam veram, & propriam poſſe conſiſtere ſine vlla ratione pretij formalis, vel virtualis. Neque vllus id vnquam veterum aſſeruit, aut in controuerſiam vocauit, fuitque duntaxat quæſtio, quandonam cenſeretur reperiri pretium virtuale, aut implicitum, vel æquipollens, & ſanè per multi dixerunt id contingere, quando finis principalis, & omnino vltimus recipiendi temporalia pro ſpiritualibus, eſt commodum temporale, quod recipitur; Non verò quando eſt finis minus principalis, & non vltimus licet ſit cauſa ſine qua non: quod etiam illuſtrat in Regul. Moralib. de auaritia. *Dum etiam licita vel propria bona nimiâ libidine, vel ſollicitudine appetuntur, quæruntur, ſeu retinentur, quaſi in eis ſpes totius auxilij, velut in* DEO *poneretur, mortale eſt, quam auaritiæ ſpeciem Apoſtolus ob hoc appellauit idolorum ſeruitutem, faciens aliquod opus ſpirituale, & inde mercedem temporalem expectans, aut è contra, quaſi vnum ſit rationabile pretium alterius, Simoniacus eſt, aut Zieſita corde, vel ore, vel opere:* addit licitam eſſe moderatam ſuſtentationem; *Caueatur tamen turpis quæſtus, & ſcandaloſus, & intentionis oculus conſeruetur incorruptus, vt non ſtatuatur ibi principalis finis in mercede temporali, ſed ſubordinatus ad* DEVM, *aut non contra* DEVM. Similia habet de intentione in collatione beneficij, haberi poſſe reſpectum licitè ad obſequia honeſta, & ad alia, *dummodo tamen intentio principalior, & finis ſit* DEVS, *& vtilitas Eccleſiæ, & ſcandalum euitetur.*

Lib. de ratione cordis, Conſid. 31. agens de Simonia. *Niſi reperiatur exitus aliquis per directionem cordis, vix inuenitur inter diſpenſantes & ſuſcipientes ſpiritualia, qui tutus, & purus eſſe videatur.* Deinde Conſid.

32. &

31. & 33. explicat quadruplicem illum intuitum, de quo nuper. Conſid. 34. Quomodo finis principalis ſit lucrum temporale, in quo nimirum tota intentio agentis tandem ſiſtit, quod non colligitur ex eo, quod non eſſet aliàs quid facturus, vt docet Conſiderat. 35. Vides itaque, authore Gerſone, ex intentione qua quis dat temporale pro ſpirituali committi, aut excuſari Simoniam, purgari nempe *per directionem cordis, & rectificationem intentionis*, committi verò per prauam intentionem. O Erudite Cancellarie, ſi iſta hodie ſcriberes, à Nouioribus iſtis Cenſoribus vapulares, & tanquam *doctrinæ falſæ, atque ſcandaloſæ, & quæ viam aperit Simoniæ*, temerarius author damnareris, vt qui Simoniam in ſola intentione conſtituas, & in quadam animi deſtinatione, aut, vt ipſi loquuntur, imaginariam, & phantaſticam Simoniam affirmes. Verùm malim cum hoc Eruditiſſimo Cancellario damnari, quàm cum nouis iſtis Doctoribus contra ipſius Academiæ communem id temporis ſententiam ſentire, & abſolui.

ARMACANVS *in qq. Armenor. lib.* 10. *à cap.* 13. *ad* 26. diſputans de Simonia, & modis quibus illa committitur, & denique rebus in quibus committitur perpetuo meminit ſolius pretij.

GABRIEL BIEL, qui teſte Trithemio eius æquali Ordinis Clericorum in communi viuentium fuit, in Gymnaſio Tubingenſi, cui diu præfuit Theologiæ Profeſſor, de Simonia fuſiùs ſcripſit in Canone Miſſæ. *lect* 28. *& in* 4 *ſen. d.* 25. & primo quidem loco ipſo ſtatim initio, ait allegato Antonino Simoniam *non eſſe aliud quàm emere, vel vendere, vel alium contractum non gratuitum facere pro ſpiritualibus habendis pretio rei temporalis.* Vbi obſeruanda eſt vox, *non eſt aliud*, qua reiicit omnem aliam Simoniam, in qua non eſt emptio, vel venditio, nempe formaliter, aut æquiualenter. Deinde refert ex Petro de Alliaco, & Gerſone *Magiſtralem*, vti appellat, *diſtinctionem* quadruplicis intuitus ad commodum temporale in datione, & miniſtratione ſpiritualium, vel tanquam ad pretium, vel tanquam ad finem vltimum, in quo ſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis, vel recipientis; vel tanquam ad motiuum minùs principale, & finem ſubordinatum ſub vltimo fine; vel tanquam ad rem debitam iure diuino ad ſuſtentationem miniſtrantis ſpiritualia. Duos primos intuitus dicit eſſe Simoniacos, duos poſteriores licitos cum Gerſone, cuius verba ferè exſcribit. Rationem porrò ſic reddit concluſi. prima. *Sacerdos rependens ſpiritualia, & accipiens temporalia intuitu tertio, vel quarto excuſatur à Simonia, quoniam non commutat ſpirituale miniſterium, orationem ſcilicet, vel Miſſam pro temporali, ex obligatione quaſi Ciuili, vel legali tanquam ſit vera commutatio vnius pro alio, appretiati pro pretio.* In aliis igitur duobus prioribus intuitibus commodi temporalis, in quibus eſt Simonia, debet eſſe aliqua *commutatio vnius pro alio, appretiati pro pretio.* Et quia id videri poterat alicui reperiri in intuitu commodi temporalis tanquam propter finem principalem. Sic explicat Gabriel. *Secundò ſic rectificabit ſacerdos ſuam intentionem, vt non impendat ſpirituale propter pecuniam tanquam propter finem principalem, ſed tanquam propter finem*

nem minùs principalem, & ſecundarium, referendo intentionem ad ſuam ſuſtentationem, &c. *ita vt pecunia recepta ſit finis ſub ſine*, &c. *recipiat igitur non tanquam pretium ſpiritualis operis, ſed tanquam neceſſarium decentis ſuſtentationis.* Recipere igitur commodum temporale propter finem principalem, eſt apud Gabriel, recipere tanquam pretium ſpiritualis operis, éſtque euidens ratio, quia tunc eſt vera commutatio temporalis cum ſpirituali, in qua commutatione ſemper vnum eſt pretium alterius cui adæquatur, quæ commutatio non reperitur quando pro ſpirituali capitur temporale propter alios titulos, & fines, vti appellant, ſecundarios, & minùs principales, vt ſuſtentationis, ideóque tunc non committitur Simonia; quod in variis caſibus ibidem oſtendit Gabriel ex Gerſone *tractatu de Symbolo. propoſitione* 8. & prætcrea Gabriel multis contendit, Clericum etiam diuitem poſſe debitum ſibi ſtipendium pro ſpiritualium adminiſtratione abſque Simonia accipere, & exigere, modò illud *principaliter*, hoc eſt, tanquam vltimum finem non intendat, ſed quia ſibi debitum eſt, vbi & allegat Gerſon. *tractatu de ſollicitud. Eccleſiaſt. part.* 33. qui contrariam aſſertionem dicit eſſe *duriorem quàm oportet.* Ex hac doctrina colligit Gabriel primo conferentem temporalia ad inſtitutionem beneficij, vel diuini cultus *poſſe apponere* ſuæ donationi *conditiones certas ſuæ intentionis explicatiuas, quibus temporalia einſmodi recipientes ad certos ſpirituales actus coercendos obligentur.* Idque ipſum docet quotidiana praxis Eccleſiæ. Colligit ſecundo poſſe recipientem eiuſmodi temporalia in eo caſu *ſe obligare ad ſolutionem onerum impoſitorum. Non tamen*, inquit, *intelligenda eſt eiuſmodi obligatio per modum conuentionis legalis per commutationem ſpiritualis pro temporali, ſed modo priùs expreſſo ſecundum tertium, & quartum intuitus modum.* Scilicet tanquam propter finem ſubordinatum ſub vltimo fine, vel tanquam propter rem diuino iure ſibi debitam pro ſuſtentatione, quia in duplici illo intuitu ad temporale, non eſt commutatio ſpiritualis pro temporali, ideóque non eſt Simonia, & poteſt licitè ſuſcipi reciproca obligatio. Duo autem alij intuitus ad temporale tanquam ad pretium æquale, vel tanquam ad finem principalem, ſunt Simoniaci, quia in illis inuoluitur ea commutatio temporalis cum ſpirituali, in quo Gabriel cum cæteris DD. conſtituit Simoniam. Hanc porrò obligationem ad certos actus ſpirituales, quam ſubit recipiens temporalia modo explicato, ſeruandam omnino eſſe ſapienter monet ibidem Gabriel, neque quemquam ab ea eximi poſſe, niſi in tribus quibuſdam Caſibus neceſſitatis, ingentis vtilitatis communis, & ſuperiorum diſpenſationis, vti tradit Gerſon *tractatu de ſollicitud. Eccleſiaſt. part.* 25. alioquin peccatur contra Iuſtitiam.

Hæc omnia repetuntur, & clariùs explicantur in ſupplemento eiuſdem Gabriel *in* 4. 25. *quæſt.* 2. nam art. 1. vbi explicat vulgatam definitionem Simoniæ, obſeruat *notatione* 2. Simoniam accipi tripliciter. Primò largè, vt ſit libera voluntas *emendi, vel vendendi* ſpirituale, aut ſpirituali annexum, ſiue voluntas illa progrediatur

diatur in actum externum, aut non, ſiue adſit pactum & conuentio, vel promiſſio, vel exactio, ſiue nullum iſtorum adſit. Secundo, *ſtrictè*, Simonia eſt *Collatio non gratuita temporalium pro ſpirituali, non interueniente pacto. Exemplum. A dat aliquod temporale non exactus, & ſine pactione praeuia ipſi B. ob hoc præcisè vt ab eo recipiat ordines finaliter, & principaliter; & B. præcisè eodem animo, & intentione recipit vt præmium. Vel fortè B. noluit in animo ſuo ordinare A. niſi leuaret, aut ſperaret ab eo temporalia pro ſuis operis.* Eodẽ videlicet animo, & eſt Simonia mentalis, non pactionis, aut cõuentionalis. 3. Simonia ſtrictiſſimè eſt illa *in qua vltra illam effectualem non gratuitam commutationem temporalis pro ſpirituali interuenit pactio, promiſſio vel obligatio; & dicitur Simonia pactionalis, vel conuentionalis, cum quis ex pacto, vel exactus præcisè dat cum effectu temporale pro ſpirituali; videtur enim talis exactio rigida, & abſoluta pactionem includere. cap. ex tuæ. de Simonia.* In omni autem illa Simonia vides includi eſſentialiter aliquam communem non gratuitam temporalis cum ſpirituali, quod vnum modò contendimus. Quod docet manifeſtiùs in ſequenti notatione. Tertiò, vbi tradit multiplicem ſignificationem præpoſitionis, *pro*, hoc loco. Primo, quidem dicit appretiationem, & adæquationem valoris vnius ad alterum. *Qui ſic dat, recipit, vel expectat corde, ore, vel opere, aut etiam cum pactione, exactione, promiſſione, aut ſine expreſſa pactione, vel exactione, ſpirituale pro temporali, quaſi vnum ſit rationabile, & adæquatum pretium alterius, eſt Simoniacus.* Addit in Simonia tria *generaliter* reperiri, temporale, & ſpirituale, & commutationem non gratuitam vnius pro reliquo, *& vendere, vel emere ſpirituale, largè eſſe in tali modo non gratuita commutatione vnum pro alio recipere.* Secundò, *pro* dicit cauſam finalem, & principalem. *Sic dare, aut facere ſpirituale pro temporali, vltimatò & finaliter propter commodum temporale datum, aut dandum, aut exactum praua auaritiæ affectione*, &c. *Eſt Simoniacum, quia non gratuito datur, ſed in animo fit commutatio non gratuita huius pro illo.* Vides quod iam diu contendimus in datione ſpiritualis pro temporali tanquam pro fine principali, & vltimo eſſe commutationem, eámque non gratuitam, ac proinde pretium aliquod æquiualenter, atque adeo veram Simoniam, quamuis nulla pactio accedat, quam etiam non eſſe neceſſarium formaliter interuenire, iam monuimus. Tertiò, *pro* dicit *cauſam allicientem, trahentem, perſuadentem, ad donandũ aliquid liberè intuitu beneficij ſuſcepti, vel ſuſcipiendi, ſiue ante, ſiue poſt fiat, ſublato puſillorum ſcandalo, & ſpecie mala, vnde ſumi poſſit ſuſpicio Simoniaca.* Quibus verbis iugulatur noua recentiorum opinatio, quam impugnamus. Quartò, eadem præpoſitio *pro* dicit ſtipendiationem. Quintò, punitionem ſiue pœnam. Sextò, præmiationem gratuitam ad meritum præcedens. Septimò, iniuſtæ vexationis redemptionem. Octauò, reuerentiam, ſiue conſuetudinem obſeruari ſolitam. Nonò, adminiculationem, v.g. legas Miſſam meam, ego legam tuam. In omnibus illis modis in quibus datur ſpirituale pro temporali non committitur Simonia, niſi in duobus primis, quia in illis ſolis reperitur commutatio non gratuita, quæ veræ, & propriæ Simoniæ eſſentialis eſt. Quare Notat. quarta, monet

monet multùm referre an detur ſpiritale pro temporali iam habito, aut nondùm habito, ſed cõſequendo, hoc enim vltimum requiritur ad Simoniam eo quod fundetur in contractu emptionis, & venditionis; quare non eſt Simonia niſi vbi commodum temporale, vel munus retributiuum conceſſionis ſpiritualium, vel eis annexorum interuenit *ex cap. non ſolum* 1. *quæſt.* 3. quia gratis datur, quod pro nullo pretio habendo datur; & tandem concludit. *Neceſſe eſt ergo, quod temporale aliquando habendum ſaltem aptitudine detur in ratione pretij pro ſpirituali, vel è contra, ſi debet eſſe vera Simonia.* Quod iterum habet *dub.*4. *notat.*2. Denique repetit quod monuerat *lect.*28. *in Canone Miſſæ.* ex Gerſon. tract. de directione cordis. Conſiderat. 31. poſt Petrum de Alliaco. *Quod in adminiſtratione, vel receptione temporalium pro ſpirituali, vel è contra valde vtilis, & neceſſaria eſt cordis directio: Nam ſæpenumerò ſi quis rectè ſuam formaret intentionem, & cordis directionem in dando, & recipiendo temporale pro ſpirituali, vel è contra, euaderet Simoniæ labem, quam aliàs incurrit.* An, amabo, dicent aduerſarij, Doctorem iſtum vnà cum Gerſone, & Petro de Alliaco Cardinali Eruditiſſimo facere Simoniam tantùm imaginariam, & idealem, eò quod ex directione intentionis ſæpius pendere velint, vti ineptiſſimè Valentiæ, & aliis exprobrarunt; quod monebimus *inferius.* Vt quid igitur tam frequentes apud omnis generis DD. qui hanc materiam verſarunt, explicationes directionis illius *temporale pro ſpirituali*, & multiplicis, vt loquuntur, *intuitus*, aut, vt alij vocant, oculi, ſiue intentionis in capiendo temporali pro ſpirituali, ſi inde ſequatur, vt colligere ſibi videntur noui iſti homines, totam Simoniam in imaginatione duntaxat conſiſtere. In præſentiarum aſſero duntaxat illud S. Thomæ 2.2.*q.*100. *a.*3. licitum eſſe dare, & accipere temporalia pro ſuſtentatione Miniſtri ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudinem approbatam, *modò deſit intentio emptionis, & venditionis*, hoc eſt, cum ſinceritate intentionis. Idipſum apparet in eo, qui præſtat aliquod obſequium Prælato, cum ſpe alicuius compenſationis, vel remunerationis gratuitæ, & liberaliter pro meritis, & qualitate perſonæ obſequentis conferendæ, non in ratione pretij, vel mercedis, pacto ceſſante, non polluitur Simoniaca labe, quod *art.* 3. *dub.* 3. *Corollar.* 2. demonſtrat laudatus Gabriel. Denique ex diſtinctione duplicis intentionis ſoluit plures difficultates, vtrum in ſingularibus Caſibus admittatur Simonia per decem dubia.

Thomas de Vio, Dominicani Ordinis Generalatu, Caietano Epiſcopatu, Cardinaliria dignitate, & legationibus Pontificis Clarus, eruditione, & ingenij acumine vix vlli ſecundus, materiam de Simonia ſæpiùs explicauit imprimis quidem tractatu peculiari, deinde in Summa Caſuum, & demum in Commentariis ad 2. 2. S. Thomæ *quæſt.* 100. vbique autem ſupponit, Simoniæ iure diuino prohibitæ, quæ ſola vera, & propria eſt, & de qua duntaxat nos diſputare ſæpiùs monuimus, eſſentialem eſſe venditionem, vel emptionem; Nam *in tractatu de Simonia. quæſt.* 1. Celeberrimam controuerſiam de natura Simoniæ, quæ in emptione beneficiorum Eccleſiaſticorum committitur,

tur, an ſit mala quia prohibita, an potiùs prohibita, quia mala; ſiue an ſit Simonia iuris diuini, an ſolum poſitiui, & Eccleſiaſtici, non aliunde definiendam eſſe dicit, quàm vtrum quod in beneficiis eſt, ex iure poſitiuo ſit venale, & vtrum connexio quam habet cum eo quod eſt ex iure diuino, efficiat, vt vno vendito, alterum neceſſario vendatur, quod tandem ita contingere demonſtrat, atque adeò Simoniam Iuris diuini in eo Caſu reperiri.

Quæſt. 2. Negat eum, qui emit Epiſcopatum non intendendo ſoluere pecuniam promiſſam, eſſe Simoniacum, & incurrere pœnas Simoniæ inflictas à iure, v. gr. Cenſuras, quia in eo caſu non eſt emendi voluntas, neque proinde emptio, ſed emptionis ſimulatio. Neque etiam exiſtit vera venditio, cum ſine emptione nulla poſſit intelligi venditio. *Vbi autem nec emptio, nec venditio ſecundum veritatem eſt, ſed ſecundum apparentiam, ibi nec Simonia ſecundum veritatem eſt, ſed ſecundum apparentiam tantùm.*

In Commentariis *ad quæſt.* 100. 2. 2. *art.* 3. vniuerſalem ponit hanc regulam, ex qua definit, an in ſingularibus Caſibus, in quibus pro ſpirituali datur temporale, exiſtat Simonia, videndum ſcilicet eſſe, an habeat rationem pretij, æſtimationis, & mercedis ipſius ſpiritualis, quod ex toto illius Articuli Commentario facilè diſpicies.

In art. 6. Ait quidem Simoniam mentalem committi, quando datur ſpirituale principaliter propter temporale, & viciſſim, quod oſtendit in Epiſcopo, qui dat beneficium principaliter propter pecuniam, & Clerico, qui dat pecuniam principaliter propter beneficium. Inferiùs tamen ita hoc explicat, vt Simonia mentalis ſecundum formam externam non ſit venditio, ſed in affectu interiori. *Quoniam*, inquit, *ille qui dat per modum doni dat, & non per modum venditionis, licet intus habeat hanc iniquitatem, & ſimiliter ille qui accipit, per modum doni accipit, licet intus ex iniqua voluntate emat.* Mentalem itaque Simoniam, quam conſtituebat Caietanus in datione ſpiritualis pro temporali principaliter, qui eſt modus loquendi communis cæteris Doctoribus, ſic explicat, vt in ea latentem, & interiorem iniquitatem venditionis, & emptionis agnoſcat. In ſumma Caſuum. *V. Simonia.* tam apertis verbis ſeſe explicat, vt nemo ſapiens dubitet ipſum ad rationem Simoniæ, pretij rationem aliquam exigere, cùm neget vllam reperiri, vbi temporale datur pro ſpirituali, quopiam alio titulo. *Scito Simoniam mentalem conſiſtere in intentione pretij, ita quod ex hoc ipſo, quod homo intendit ſub pretio ponere ſiue emendo, ſiue vendendo rem ſpiritualem, aut vt venalem rem, aut vt rationem appretiandi, Simoniam mentalem incurrit: & hoc eſt quandocunque intendit pro ſpiritualibus temporalia habere, aut è contrario, ita quod ly, pro, pretium denotet, & ſimiliter quandocunque principalis intentio ad temporale habendum ex collatione ſpiritualis, aut è contrario tendit. Qui enim temporalia ex ſpiritualibus intendit, non vt pretium, ſed vt ſuſtentationem neceſſariam Miniſtrorum Eccleſiæ liberaliter ſeu Eleemoſynaliter, aut ſtatutam ſeu laudabiliter conſuetam, Simoniam mentalem non incurrit: & ſimiliter qui ex temporalibus ſpiritualia intendit, non vt ex pretio debita, ſed vt*

ex his excitata, aut prouocata, aut expedita (vt contingit in Eleemoſynis, oblationibus, legatis, & quaſi ſtipendiis ſacerdotum, & orantium, ac prædicantium, & in ſeruitiis honeſtis, quæ Prælatis exhibentur, & aliis huiuſmodi) Simonia nulla in animo eſt, quia gratis dandum ſpirituale expectatur, & temporalia non in pretium intenduntur. Quod totum deinde in triplici Simonia mentali oſtendit.

FRANCISCVS A VICTORIA, primarius Salmanticæ Profeſſor, qui, vt dicitur in eius vita, primus *Theologiam hactenus apud Hiſpanos confuſaneam, pulnerulentam aut potius lutulentam, laceram, pannoſam, mutam, ac penè elinguem, claritati, nitori, candorique ſuo, puritati, ac dignitati, venuſtati, ornatui, & integritati veluti poſtliminio reſtituit.* Relection. de Simonia nullam aliam propriè dictam Simoniam, diuino & naturali iure prohibitam agnoſcit, quam eam in qua eſt aliqua venditio, & emptio, & quidpiam temporale inſtar pretij; Nam primo ex eo duntaxat oſtendit Simoniam eſſe naturaliter prohibitam, quia venditio, & emptio naturaliter pugnat cum re ſpirituali. ſecundo ait Matth. 10. vbi Chriſtus imperat Apoſtolis gratis dare illa ſpiritualia, quæ gratis acceperunt, quem locum omnes DD. aduerſus Simoniacos adducunt, non prohiberi *niſi mercedem, vel pretium temporale,* quod probat, quia ſtatim ſequitur, *nolite poſſidere aurum, nec argentum.* 3. ait dare ſpirituale timore indignationis non eſſe Simoniacum, quia gratis tunc datur ſpirituale, & qui incutit timorem, non eſt Simoniacus. Deinde addit, *Fateor quod cùm reſpectu aliquo temporali ſit adminiſtratio ſpiritualium, eſt peccatum à fine, ſed non eſt Simonia damnata à Chriſto, vel Petro.* Hoc verò vnum nos contendimus; non eſt Simonia conferre beneficium intuitu conſanguinitatis, & allegat S.Thom. & Altiſſiod. contra aliquos alios. Probat, *quia gratis datur, & non eſt emptio, aut venditio.* Et quia nullus hactenus dixit recipientem in eo caſu beneficium, eſſe Simoniacum, & obligari ad reſtitutionem; ſoluit quæ in contrarium adducebantur ex Iure. Non diſputo modò de veritate illius ſententiæ, ſed de mente Victoriæ in conſtituenda quidditate Simoniæ. 5. Quærit, *an conferre beneficia propter preces principaliter ſit Simonia:* & adductis diuerſis DD. ſententiis, ita quæſtionem definit. primo Illicitum eſſe conferre ſpiritualia ad captandum quodcunque commodum non ſpirituale ſiue digno, ſiue indigno v. gr. ad captandam amicitiam, laudes, fauorem. ſecundo non exiſtimat in iure diuino eſſe mortale, ſi collatio fiat digno. tertio Hoc peccatum non eſſe Simoniam propriè, quia eam neque Chriſtus, neque Petrus, neque Eccleſia damnant. Allegat Caietan. *in ſum* V. *Simonia. Notabili* 5. qui exigit ad Simoniam rationem pretij, & vbi nulla eſt emptio, vel venditio, nullam vult eſſe Simoniam, licet aliunde ſit nefaria collatio. 4. *ſi preces, vel fauor, vel laus reſoluerentur tanquam pretium aliquod temporale, clarum eſt eſſe Simoniacum, vt ſi Pontifex pro collatione beneficij Eccleſiaſtici exigeret fauorem apud principem ad conſequendam dignitatem, aut reditus conſanguineis ſuis, & quia nihil refert quod pretium detur mediatè pro re ſpirituali.* 5. *ſi fauor, vel laus, aut amicitia deducerentur in pactum,*

fortè

fortè eſſet Simonia. Quod tamen pro certo non audet affirmare, inclinat tamen in eam ſententiam. Quia tunc iſta *intercederent per modum pretij.* 6. Omnia quæ de timore, conſanguinitate, precibus dixit, confirmat, quia *ſi illa eſſent Simonia, omnis acceptio perſonarum, immò omnis inordinata diſtributio ſpiritualium eſſet Simonia, quia ſemper fit ex aliquo motiuo, non ſpirituali.* Et mox. *Sed in hoc erratum eſt, quod volunt hi omne peccatum facere Simoniam in hac materia. Itaque Simonia eſt, dare, vel accipere aliquid ſpirituale pro bono aliquo vtili, hoc eſt quæſtum facere de ſpiritualibus.* Circa Simoniam quæ committitur per munus ab obſequio, hæc ſtatuit. *Cum obſequium eſt pecunia æſtimabile, ita quod tandem reſoluitur in commodum temporale, pro tali obſequio conferre beneficium, eſt Simoniacum, quia nihil videtur referre, an pretium temporale mediatè, aut immediatè interueniat,* &c. *& certum eſt quod Epiſcopus in tali caſu non gratis dat, & Miniſtri volunt donum* DEI *pecunia, id eſt, pecunia æſtimabili poſſidere.* Secundo Non putat tamen pœnas Simoniæ incurri quando non eſt pactum tacitum, aut expreſſum, quia tunc eſt purè Simonia mentalis. tertio Credit quidem eſſe illicitum præſtare obſequium ad demerendam beneuolentiam Pontificis, atque ea ratione conſequendum beneficium. *Si tamen abſit quodcunque pactum, & obligatio, non eſt Simoniacum, quia tale obſequium non interuenit per modum pretij; & hoc intelligo, etiamſi hac ratione releuetur Epiſcopus à ſalariis pecuniariis, & beneficium conferat, ita quod poſtea conferat tanquam ex beneuolentia, & non tanquam ex obligatione, ſicut etiam dare Epiſcopo munera ad conſequendam beneuolentiam. cum ſpe conſequendi beneficij Eccleſiaſtici cum tali beneuolentia, turpe quidem & nefarium eſt, ſed non Simoniacum.* Allegat Caietan. de Simonia, 4. ad dubium illud vulgare an ſperare beneficium ſpirituale ex officio temporali ſit Simoniacum, refert communem diſtinctionem DD. ſperare principaliter eſſe Simoniacum, non verò ſperare minus principaliter. Deinde reſpondet. *Sed parum refert quod ſit principaliter, vel minus principaliter, ideo melius eſt, vt diſtinguatur mediatè, vel immediatè, quia conſequi beneuolentiam, ex qua poſſit haberi beneficium, non eſt Simoniacum.* Requirit itaque Victoria perpetuò pretium ad Simoniam.

DOMINICVS SOTO, Ordinis Prædicatorum, Carolo V. à Confeſſionibus, qui magna cum laude Tridentinæ Synodo interfuit vice Magiſtri Generalis ſui Ordinis, recuſato Epiſcopatu Segobienſi clarus, *lib. 9. de Iuſtit. quæſt. 6. art. 1.* rationem affert, quare liceat ſtipendium pro opere ſpirituali, non autem pretium aut mercedem accipere, quia tum merces, tum pretium operi adæquatur, non verò ſtipendium; quod explicat exemplo Artificis, cuius opera magno pretio digna ſunt, qui ita cum aliquo poterit conuenire, da mihi victum, & meas operas cujuſcunque tandem pretij fuerint, tibi impendam; tunc non æſtimabuntur operæ, ſed ſuſtentatio; quod ſi alius artifex petat quantum valet eius opus, non æſtimat neceſſitatem victûs, ſed valorem operis. In vno igitur Caſu noſtro, quia pretium, & merces eſt, Simonia etiam eſt, & non in altero, quia ſuſtentatio quæ datur, non eſt

pretium operis ſpiritualis. Quæ argumentatio neceſſariò ſupponit ſine pretio non dari Simoniam.

Art. 2. ponit dubium *triuiale* de Clericis, qui non niſi ſtipendij gratia *Vadunt ad horas Canonicas*, & affert S. Thomæ *quod.* 8. *quæſt.* 6. *art.* 11. à nobis aliàs adductam, ſi ſtipendium ſit finis principalis, committi Simoniam, quia tunc ſtipendium habet rationem pretij, non autem ſi finis minùs principalis, & acceſſorius. Ait tamen, hanc S. Thomæ ſolutionem, niſi benè intelligatur *pungere ſcrupulis conſcientias*, quia ex ea damnarentur Simoniæ, *Quot quot ad Eccleſiam ire pergunt intuitu nummularia diſtributionis, aliàs nequaquam ituri, quod profectò durum eſt creditu.* Quænam igitur ſit mens S. Doctoris ſic exponit Soto. *Reſolutio ergo eſt, quod ire ad Eccleſiam tempore quo Clericus aliàs non tenetur, tantùm diſtributionum cauſa, ita vt aliàs non iret, non eſt vera Simonia, niſi intenderet pretium pro re ſpirituali recipere, modo ſuprà expoſito.* Peccaret tamen vt ibidem demonſtrat Soto. Vides itaque à S. D. per finem principalem temporalis, in hac materia intelligi pretium, quæ eadem fuit cæterorum mens qui ſimili loquendi genere vſi ſunt.

Quæſt. 7. artic. 3. de munere ab obſequio diſputans, quandónam ratione illius committatur Simonia, nempe *cum quis ſeruit ad temporale commodum, vt ſacerdotium tanquam merces eiuſdem obſequij rependatur.* Et mox. *Quare ſeruire Antiſtiti propter Eccleſiaſticum ſacerdotium non eſt in vniuerſum culpabile, niſi quando illud quodammodo ad emptionem reducitur, ſcilicet cum ſpectatur tanquam pretium obſequij, nam vt Articulo primo dictum eſt, cum multifariam quidpiam alteri conferri poſſit, ſcilicet per modum liberalis vel doni, vel obſequij, & per modum reuerentia, & honeſtatis, vel quaſi debitum ex laudabili conſuetudine nihil iſtorum vitium Simonia parturit, ſed ſola ratio pretij, aut mercedis.* Eadem ratione, & diſtinctione explicat ibidem, quomodo, & quando collatio beneficij intuitu conſanguinitatis, aut precum, vel metus ſit Simoniaca.

Quæſt. 8. art. 1. explicans Simoniam mentalem, *eſt lubrica, fallaxque ea Regula, quod principaliter intendatur pretium, aut minus principaliter, ſed eſt Philoſophico more ex obiecto mens perpendenda, nimirum vt illa praciſè mentalis Simonia cenſeatur, cuius obiectum eſt Simonia realis ſcilicet intentio dandi, recipiendive ſpirituale pro pretio temporali.* Quod exemplis illuſtrat. Non potuit clariùs Soto noſtram ſententiam de neceſſitate pretij ad conſtituendam Simoniam explicare, neque ab aduerſariis in alium ſenſum detorqueri poteſt.

Aragonivs *in* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. ait Simoniam eſſe contra Religionem propter irreuerentiam, quæ rebus ſpiritualibus fit, cùm pretio comparantur, ideóque S. Thomam de illa tractare inter vitia Religioni oppoſita, eſſe quoque iniuſtitiam *in quantum rem alienam vendere intentat.* obſeruat deinde rem aliquam non eſſe pretio dignam niſi per comparationem ad humanos vſus quibus eſt vtilis, aut inutilis, quod probarat *quæſt.* 77. *art.* 1. vnde fit vt res quæ ſecundum ſuam naturam excedunt omne pretium, relatæ ad humanos vſus poſſint pretio æſtimari, vt apparet in vita hominis

nis occiſi ad ſatisfaciendum hæredibus: res autem omnes ſunt vtiles hominibus in ordine ad aliqua bona vel temporalia, vel ad ſpiritualia, vel ad vtraque: ad vnum tamen propriè, & per ſe, ad aliud ſecundariò, & per accidens, res quæ afferunt ſolam vtilitatem ſpiritualem, vel præcipuam, non poſſunt pretio æſtimari, vel vendi, ſicut neque ipſæ res ſpirituales, quod aliter contingit in iis quæ vtilitatem temporalem vel ſolam, vel præcipuam afferunt, modò aliàs non ſint gratis conferendæ. Inde colligit in quibus rebus committatur Simonia, prout ſcilicet vendi, aut non vendi, & pretio æſtimari poſſunt. Nomine tamen emptionis & venditionis intelligit cum S. Thoma contractum non gratuitum.

Art. 2. vt oſtendat, Simoniam non eſſe in ſtipendio miniſtrantium ſpiritualia, negat illud eſſe propriè pretium, aut mercedem laboris, qui non poteſt vendi niſi ipſe actus ſpiritualis, à quo nequit ſeparari, vendatur, vt nos ipſi fusè docemus. Deinde tandem concludit. *Licitum eſſe tam iure diuino, quàm humano ſtipendium ſuſtentationis in pactum deducere, atque illud exigere, ſiue illud ſit taxatum, ſiue non.* Quia cum in eo ſtipendio non ſit pretium, nec conſequenter Simonia, poteſt ſanè de illo paciſci, quia tamen ex praua intentione poſſet committi Simonia, quærit quænam debeat eſſe intentio Miniſtri, refértque ex Sylu. *V. Simonia.* §. 9. & S. Thoma quodlib. 8. *Quodſi ſacramenti adminiſtratio fiat propter ſtipendium principaliter, ita vt ſtipendium ſit finis actionis, tunc eſt Simonia, & ſtipendium ſuſtentationis vertitur in pretium*, vbi vide illud, *propter finem principalem* apud S. Thomam & alios DD. qui eo loquendi modo vtuntur, æquiualere pretio, *ſiue verti in pretium*, quod iterum ampliùs ibidem explicat Aragoni. Diſtinguitque inter cauſam motiuam, & finalem, cùm enim in omni actione reperiatur vis aliqua, quæ moueat, & impellat ad agendum, & terminus quo ſe conferat actio, & quo adepto conquieſcat. Primum illud eſt cauſa motiua, ſecundum eſt cauſa finalis, & licet in omnibus actionibus voluntariis, cum procedant ſemper ex intentione finis, illud omne quod eſt finis, ſit quoque ſimul mouens, non idcirco tamen quidquid eſt cauſa mouens, eſt neceſſariò ſimul cauſa finalis; quare in eiuſmodi actionibus aliæ ſunt cauſæ motiuæ, aliæ cauſæ finales, quæ in eo conueniunt, quòd vtraque earum moueat ad agendum, & altera illarum ceſſante, ceſſet actio: differunt nihilominus, quia cauſa finalis non ſolùm mouet ad agendum, ſed præterea eſt illud, quod vltimo loco efficitur, & comparatur actione, quod in cauſa duntaxat mouente non reperitur. v. gr. Medicus mercede ductus medetur ægrotanti Caio aliàs non facturus, mouetur autem ad medendum tum à meis precibus, tum ab ipſa ſanitate, quam procurare intendit, & ſi alterum iſtorum deeſſet, non mederetur, nempe ſi ſanitatem non intenderet, & ſi ego illum non rogaſſem, meæ tamen preces ſunt tantùm cauſa motiua, ſanitas verò ipſa eſt cauſa finalis, quam ſua medicina intendit, & licet non fuiſſet iſte medicus ſanaturus, niſi meæ preces id ab illo impetraſſent, non idcirco tamen dicitur mederi propter meas preces tanquam propter finem. Igitur qui adminiſtrat Sacramenta non

adminiſtraturus niſi ſtipendium eſſet acceptutus, non idcirco habet neceſſariò ſtipendium pro fine; Neque dici poteſt committere Simoniam, & vendere Sacramenta, ſi tamen illud vnum quod potiſſimum intendit in ea adminiſtratione foret ſtipendium, quod proinde eſſet vltimus finis illius foret Simoniacus, *quia venderet Sacramenta ex ſua intentione*. Itáque S. Thomam, & Syluestrũ interpretatur Aragonius. Ex quibus vides DD. cum damnant Simoniæ illum, qui propter temporale tanquam propter vltimum finem dat ſpirituale, agnoſcere quandam venditionem implicitam, eò quòd non aliud intendat, quàm acquiſitionem temporalis in illa ſua actione, ideóque non dicunt ſimpliciter illud temporale eſſe finem, ſed vltimum finem, qualis eſt in omni venditione pretium, vti iam pridem monebat S. Thomas.

Idem Aragonius in *art.* 5. negat eſſe Simoniam, dare beneficium propter conſanguinitatem, vel amicitiam, quæ cum Epiſcopo intercedit, allegat S Thomam, Altiſſiodorenſ. Victoriam, Sotum: Probat *quia in eo caſu nihil pretij acquirit Epiſcopus, nec eſt aliqua emptio, aut venditio, ſed tantum indulget amori, & amicitiæ, ergo non eſt Simonia.* Et ad cap. Nemo. de Simonia. Vbi dicitur eſſe Simonia ſi quis admittat ad pœnitentiam propter conſanguinitatem, aut amicitiam; Reſpondet ibi Simoniam accipi *non propriè ſed largo modo propter ſimilitudinem Simoniæ, quam eiuſmodi actiones præſe ferunt.* Igitur ad veram, & propriam Simoniam, pretium, & venditionem aliquam requirit Aragonius, aut ineptè argumentatur; ſicut etiam cùm negat eſſe Simoniam dare beneficium ad captandam amicitiam, & laudem, citátque Innocent. Caietan. Sotum, & Victor. quia eſt potiùs ambitio, & datur beneficium gratis, *hoc eſt, ſine pretio, & hoc ſatis eſt, vt non dicatur verè Simoniacus*. Erit tamen Simonia ad captandam gratiam, ex qua ſperatur emolumentum aliquod temporale, quod intellige, vti iam monuimus, tanquam finem vltimum collationis. Denique *artic.* 6. vbi diſputat de obligatione Simoniacorum ad reſtitutionem acceptæ pecuniæ, eam non definit, niſi ex peccato quod committitur contra Iuſtitiam in ea venditione, vel emptione.

PETRVS A NAVARRA Toletan. *lib.* 2. *de Reſtitut. cap.* 2. *num.* 384. ex definitione vulgari Simoniæ colligit, illam ad iniuſtitiam *eſſentialiter* pertinere licet Religionem quoque violet, & iniuriam faciat rebus ſacris. *Quia rem alienam vendere tentat, vnde & qui vendit, iniuſtitiam committit, & qui retinet quod ſuum non eſt, nec eius qui vendiderat.* Quæ ratiocinatio inepta eſt, niſi in Simonia includi eſſentialiter venditionem exiſtimet Toletanus. Hinc etiam nata eſt vulgatiſſima illa quæſtio, quam ibidem cum aliis DD. verſat, an Simonia mentalis obliget ex iure diuino, & naturali ad reſtitutionem, cui quæſtioni nullus erit locus, ſi illa Simonia iniuſtitia non ſit, ex qua ſola naſci reſtituendi obligationem, omnes æquè fatentur, & nos *alibi* fusè demõſtramus. Iniuſtitia verò alia fingi non poteſt in ea Simonia, quàm quia aliquam venditionis rationem continet. Non affirmo modò eiuſmodi obligationem reſtitutionis oriri ex Simoniâ mentali, id enim diſquiro ſub finem huiuſce tractatus; ſed dico communem illam controuerſiam excitari non potuiſſe, niſi quia

communis

communis DD. perſuaſio fuit, etiam in illa Simonia contineri iniuſtitiam, eo quod quandam in eà venditionis ſiue formaliter ſiue æquiualentet rationem agnoſcant. Neque hoc negant, qui iſtam obligationem ad reſtitutionem in hac Simonia negant, ſed dicunt iniuſtitiam committi aduerſus DEVM, cuius res venditur, non aduerſus emptorem, qui vili pretio rem inappretiabilem comparat. Sed quidquid ſtatuant in eiuſmodi controuerſia DD. aliquam ſemper rationem pretij & venditionis agnoſcunt.

Num. 412. exiſtimat cum Caietan. eum qui ſine voluntate emendi, pacto tantùm exteriùs adiecto, dat pecuniam pro beneficio, non teneri ad reſtitutionem, nec eſſe verè Simoniacum, ſed apparenter tantùm, ſicut homo pictus non eſt homo. Ad Nauarr. autem qui contrarium ſentiebat *cap. 23. num. 106.* eo quod ita paciſcens licet nolit emere beneficium, velit tamen temporale pro ſpirituali, quod pacto illo teſtatur, ſufficiátque ad Simoniam voluntas dandi temporale pro ſpiritnali. Reſpondet eleganter, malè Nauarrum conſtituere, *diuerſitatem inter dare ſpirituale pro temporali, & venditionem, cùm tamen idem ſint, quia omnium ſententia venditio eſt traditio rei pro pecuniâ, emptio è contra traditio, ſen ſaltem obligatio tradendi pecuniam pro re, ſicut cambium eſt commutatio rei pro re. Impoſſibile igitur eſt habere voluntatem dandi ſpirituale pro temporali, & non habere voluntatem vendendi, & è contra. Cùm enim hic ſit voluntas dandi ſpirituale pro temporali, quæ, rogo, contractus ſpecies erit? ſicut igitur fieri non poteſt, vt quis habeat voluntatem dandi pecuniam pro tritico, & non habeat voluntatem emendi, ita*, &c. Nempe fieri non poteſt, vt habeat voluntatem dandi ſpirituale pro temporali, & non habeat voluntatem emendi. Ad Caſum itaque propoſitum, & argumentum Nauarri. *Facilis eſt*, inquit, *ſolutio, negari enim debet quod ille talis habeat voluntatem dandi ſpirituale pro temporali, vel è contra, immò longè ſecus, nam ſolo verbo & inſtrumento id profitetur; animo tamen non intendit pro ſpirituali pecuniam illam dare, aut è contra, quod eſt non habere animum vendendi, aut emendi ſpirituale.* Non potuit hic Doctor diſtinctiùs noſtram, communémque ſententiam explicare; & cùm in Simonia fateantur aduerſarij, neceſſariam eſſe intentionem primariam dandi, vel accipiendi ſpirituale pro temporali, aut contra, illáque intentio ſit venditio, vel emptio, vt ait Toletanus, ad omnem Simoniam requiritur emptio, vel venditio, & conſequenter pretium, ſiue voluntas emendi, vel vendendi, & ſine hac intentione, & voluntate, quocunque modo ex duobus allatis, illam explices, non erit Simonia, quod contendimus, & imperiti negant aduerſarij.

HADRIANVS FLORENTIVS Louanienſis Academiæ Cancellarius, & demum P. Maximus huius nominis ſextus, *Quodlib. 9. in 2. Quæſito* duplicem facit Simoniam, vnam generalem, quæ eſt, *voluntas tradendi, vel negandi, aut accipiendi ſpirituale propter cauſam indebitam, ita quod ſimilitudo ad factum Simonis conſiſtat, quod vtrobique medium, ſeu cauſa non conueniant.* Et varia exempla ibid. refert eorum qui ex affectu peruerſo, & inordinato beneficia conferunt, allegátque Bonauenturam.

Itaque

Itaque ea Simonia ſimilitudinaria duntaxat eſt, non vera, & propria; altera itaque ſpecialis, & vera propriáque Simonia, *Conſiſtit in imitatione Simonis non ſolùm in dando, vel recipiendo ſpirituale propter cauſam indebitam, ſed propter munus, quod inde ſequi intendit, vel cuius medio vult ſpirituale conferri, & deſcribitur à Doctoribus communiter, ſtudioſa voluntas emendi*, &c.

In quæſtione de munere linguæ, ſiue precum, ait imprimis contra Canoniſtas quoſdam, preces regulariter munus quoddam continere in fauorem Carentiæ indignationis, aliáque ſimilia, ideóque vt dignoſcatur quando collatio beneficij ſit Simoniaca, relictis aliis diſtinctionibus, veriorem dicit eſſe ſententiam Theologorum, quam etiam magna ex parte Iuris Doctores ſequuti fuerint, committi Simoniam coram Deo, *ſi principaliter mouetur fauore precum, vel timore rogantis.*

Quid ſit verò principaliter moueri ſubinde explicat, vt preces non ſint tantùm ſiue cauſa, aut teſtimonium, ſed ſint tota cauſa prouiſionis; cùm enim dixerit preces ſemper aliquod munus continere, ſi munus illud ſit tota cauſa prouiſionis, iam erit Simonia, quia intenditur vnum illud munus, & pretium temporale, alioquin ſi ex ſolo quodam affectu erga aliquem per preces excitato ſpirituale confero pro mea voluntate nihil aliud intendo, quàm vt illi gratificer, & meo affectui indulgeam, non ero Simoniacus, quamuis aliter ex prauo illo affectu peccare poſſim, quod totum colligitur ex exemplo quod ſubiicit. *Si mihi detur optio ex duobus muneribus eligendi quod velim, & aſtans declarat, alterum eſſe vnicornu ac pretioſius, reliquum de Rheubarbaro, & quod ſeruiat colera purganda; ſi ergo Rheubarbarum elegero, non eſt illius cauſa teſtimonium eius qui aſtat, ſed mea affectio, quia ſcilicet cupio colera purganda medicinam: ſic dum preces adhibentur tantùm in vim conſilij, vt ipſi dicunt, vel potiùs teſtimonij de idoneitate, ſeu dignitate perſona.* Idem dicit de præbenda data pro ſeruitio, ſi illud non ſit cauſa conferendi, ſed tantùm executiua. Reiicit autem diſtinctionem de cauſa primaria, & ſecundaria, quia quod datur *pro ſeruitio, & pecunia, vt pro fine minùs principali non datur gratis, etiamſi ſit finis ſub fine, vt facio picturam pro pecunia minùs principaliter, & principaliter vt* Devs *per picturam, & in imagine honoretur, certum eſt quod hic non gratis do imaginem, ſed realiter vendo; ergo*, &c. Veram igitur, & conſtantem regulam tradit Hadrian. dignoſcendæ Simoniæ, an *gratis* detur ſpirituale, an verò *non gratis, & an realiter vendatur*, ſiue primaria, ſiue ſecundaria intentione. Qui verò ea diſtinctione vti viſi ſunt, exiſtimarunt in ſecundaria intentione non eſſe venditionem, ſed ſolùm in primaria. Quare videndum erit, an id in ſingulis Caſibus verum ſit, & ſi reperiatur reipſa venditio ſpiritualis, quacunque intentione fiat, erit Simonia; ſi non reperiatur venditio, non erit Simonia: quia ſine eiuſmodi venditione Simonia nequit intelligi, neque illa realiter poſita excuſari.

Ad 2. *Animo remunerandi in ſignum gratitudinis, licet dare illi qui contulit ſpiritualia, vt notat Archi. in ſumma.* 1. *quaſt.* 1. *& Dominus Armachanus in X. lib. cap.* xxi. *circa fin. ſecus quando datur pro ſpirituali collato, tunc enim idem eſt ſiue*

ante,

ante, ſiue poſt detur. Quod pluribus oſtendit, quia in vno caſu munus habet rationem pretij, non in altero.

In responsion. ad initio obiecta. Ad 2. & 3. Confirmation. an liceat nolenti aliter baptiſare, dare pecuniam in extrema neceſſitate. Plurima diſputat, & aliorum opiniones refert, & tandem concludit in eo totam conſiſtere difficultatem, an in hoc, & ſimilibus Caſibus dans pecuniam, cenſeatur baptiſmum, alióſve ſimiles actus ſpirituales emere, quod quando non contingat, ibidem oſtendit.

Malder, Epiſcopus Antuerpienſis, Profeſſor Louanienſis, de virtutibus. tract. 9. cap. 3. dub. 1. ait *ſi quis promittat dare pretium pro re ſpirituali ſine voluntate dandi, non fore propriè Simoniam, etiamſi virtute huius promiſſi rem ſpiritualem obtinuerit.* Quod idem habet Peſantius *quæſt. 1. de Simonia.* Peccabit tamen mortaliter maximè, quia participat, & quodãmodo eſſentialiter concurrit cum animo Simoniaco vendentis, éſtque irreuerentia rei ſpiritualis vel ſic ſimulatione exteriori illam emere. Addit per verba *emendi vel vendendi* ſignificari quemcunque contractum oneroſum, quo detur vel accipiatur tanquam pro pretio res ſpiritualis. Itaque comprehendunt contractus innominatos, do vt des, do vt facias, & ſimiles, quia etiam in l. Ciuili venditio tam latè ſumitur. *l. ſicut §. venditionis. D. quibus modis pignus.* tum addit. *verior ſententia eſt in Simonia ratione eſſentialiter includi reſpectum ad aliquod temporale, quod quodammodo ſit pretium rei ſpiritualis.* Contra illos, qui commutationem ſpiritualium inter ſe volebant eſſe Simoniacam ex natura ſua; & mox. *Poſtulat Simonia, vt verè detur, aut accipiatur re. temporalis tanquam pretium ſpiritualis, ſiue alia intentio principalior adſit, ſiue non.* Quare verè eſſet Simoniacus Clericus, qui intenderet diſtributiones accipere tanquam pretium diuini Officij, etiamſi principaliter propter eas non frequentaret chorum; è contra Simoniacus non erit, etiamſi principaliter propter *diſtributiones veniat, multò minus ſi ſolùm non erat venturus, niſi diſtributiones fuiſſet accepturus, modò non veniat, vt eas accipiat tanquam pretium ſui officij,* &c. In quo exemplo notandum eſt, *ad Simoniam mentalem non opus eſſe, vt formaliter intendas emere, vel vendere, vel paciſci, ſed ſufficere, vt intendas dare, vel accipere temporale tanquam pretium ſpiritualis, etiamſi aliter pactum non intendas, quamuis virtute ſatis intendat pactum, qui hoc modo intendit pretium.* Iſta itaque intentio emptionis, aut pretij non requiritur vt ſit formalis, ſed virtualis, qualis reperitur, cùm quis dat temporale pro ſpirituali principaliter, vt pecuniam pro tritico, vti ſæpiùs expoſuimus. Similia de intentione dandi, vel accipiendi tanquam pretium repetit *dub. 2.* vbi de Simonia mentali.

Alexander Pesantivs, Romanus diſp. 1. de Simonia. Si quis promittat ſine intentione dandi, non eſt Simoniacus. Idem repetit. *diſp. 3. quæſt. 5.* Deinde inde ad illum contractum non gratuitum, qui & communi DD. ſenſu comprehenditur nomine venditionis, vel emptionis, in definitione Simoniæ tria requirit. primo vt detur temporale pro ſpirituali, non verò ſpirituale pro ſpirituali. ſecundo *vt illud tem-*

H *pora*

porale ſit æſtimabile pecunia, ſeu vendibile, hoc eſt, ſit bonum vtile, quod ſolum eſt obiectum auaritia. tertio debet iſtud temporale *dari tãquam pretium, non propter alium finem, niſi propter ſtipendium*, &c. *dicitur autem dari tanquam pretium, quando quis principaliter, & immediatè intendit re temporali acquirere rem ſpiritualem tanquam compenſationem.* Quod ipſum nos initio huius Conſectarij monueramus. Hinc ſubdit Peſantius. *Immo non committit Simoniam Clericus qui principali intentione facit officium ſpirituale propter pecuniam, ſi non ſumit pecuniam tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed tanquam ſuſtentationem ſuam, vel in genere, ea intentionè qua datur ab Eccleſia.* Refert Sotum. *l.b. 9. de Iuſt. quaſt. 7. art. 3.* tum *diſp. 3. quaſt. 9.* qui non dat ſpirituale, niſi temporale ex conſuetudine, vel lege debitum, *nunquam faciet Simoniam, niſi temporale ſumatur tanquam pretium, non autem ſi ſumatur tanquam ſuſtentatio vel tanquam aliquid debitum lege, vel conſuetudine.* Poterit tamen eſſe peccatum auaritiæ, aut ſcandali, aliáque eiuſmodi, atque in foro exteriori præſumitur Simonia.

Ex quibus tandem ſic concludit Peſantius. *Ex his ſequitur veriſſimum eſſe quod notat Gerſon, & ſupplementum Gabrielis, multùm hic referre qualem homo habeat intentionem; Nam commodum temporale quatuor modis ſpectari poteſt. primo modo quaſi eſſet pretium iuſtum rei ſpiritualis, vel quaſi illo poſſet iuſtè acquiri res ſpiritualis, & iſta intentio facit hominem non tantùm Simoniacum, ſed etiam hereticum. ſecundo poteſt conſiderari commodum temporale tanquam finis principalis, pro quo datur res ſpiritualis, & iſta intentio facit Simoniam: tunc autem dicitur principalis finis, quando maximè, & efficaciſſimè mouet, non autem ſi ſit tantùm cauſa, ſine qua id non fieret, nam non omnis cauſa ſine qua non, eſt cauſa finalis, vt benè Nauar. ait. Tertiò poteſt conſiderari commodum temporale tanquam finis minùs principalis, & tunc non eſt Simonia, ſed auaritia, vel ſuperbia, vel aliud peccatum; quare non eſt Simoniacus, qui dat beneficium alicui principaliter, quia eſt dignus, quamuis ſecundarius finis ſit commodum temporale, vt benè ait Sot. quaſt. 7. art. 3. Quartò poteſt conſiderari commodum temporale, tanquam res debita iure ad ſuſtentationem, & hoc modo nullum eſt peccatum dare ſpirituale pro commodo temporali.*

Mathias Felisivs, Minorita, & in inferiori Germania Miniſter Prouincialis, in Catholica elucidatione Decalogi, quam eruditè ſcripſit Louanij. an. 1575. *in 7. præc. cap. 7.* Vbi grauiter Simoniæ turpitudinem inſectatur, ait tamen id quod paſſim in ſacrorum adminiſtrationibus dari conſueuit, non eſſe Simoniam; *Non enim recipitur tanquam ſacra rei pretium, ſed ſuſtentationis ſubſidium.* Vult igitur pretium ad Simoniam.

Stephanvs Brvlefer, Ordinis S. Franciſci Obſeruantioris Regulæ, Doctor Pariſienſis in quæſtione de Simonia, edita in Synodo Moguntina, in propoſitione collaterali, negat in datione Eleemoſynæ pro vita æterna, eſſe Simoniam, *quia non concurrit emptio, vel venditio propriè dicta, licet fortè impropria, & metaphorica.* In 11. propoſit. licitum eſt poſt ſpirituale collatum, munus vel pecuniam offerre, vel

vel dare, non propter ipſum donum, ſed propter beneuolentiam largientis, atque ex gratitudine; Neque tunc eſt Simonia cùm non ſit doni recepti pretium, aut compenſatio.

Mitto alios recentiores Theologos, quos in ſecunda ſententia nominauimus, alióſque fuſiùs hoc loco referre, cùm omnes æquè conſentiant ad veram Simoniam diuino, & naturali iure damnatam, rationem aliquam pretij requiri, licet illud aliquando nomine finis principalis ſignificent, vt ipſi ſeſe tandem explicant.

Venio ad Iuris Canonici interpretes, qui à Theologis non diſſident, niſi fortaſſis ſolis aliquando verbis.

§. VI.

Authoritas gloſſæ, & Iuris interpretum.

Ordior à gloſſa illa. *in cap. quibuſdam.* 117. *verſ. & actionis.* 1. *quæſt.*1. quærit, *quare minus committatur Simonia in precibus oblatis pro digno, quam in pecunia.* Reſpondet, *quia in precibus nihil dat de ſuo, & ideo nullum intelligitur ibi eſſe Commercium.* quod videlicet ad Simoniam exigit. Deinde in Rubric. de Simonia, non aliam affert Simoniæ definitionem, quàm *ſtudioſam voluntatem, vel cupiditatem emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Quam definitionem cæteri deinde DD. magno conſenſu ſequuti ſunt vti monuimus. *quæſt.* 1. *& in cap. non ſatis.* 8. *verſ. requiratur. eod tit.* negat aliquid accipi, aut requiri poſſe pro ingreſſu in Monaſterium. *Aliquo pacto tamen, ſi ſponte, ſine aliqua conditione, & pura intentione aliquid dare voluerit, non prohibetur.* Quænam verò eſt illa pura intentio, niſi quæ pretium, aut mercedem, & compenſationem excludit, vt ſeſe explicat gloſſa. Docet enim quomodo propter tenuitatem Monaſterij quidpiam exigi poſſit, & tamen non incurratur Simonia. Addit in illa amorem lucri, ſicut & in vſura prohiberi; quando igitur principalis intentio fuerit amor lucri, in admiſſione ad Religionem erit Simonia, quia vnum illud lucrum intenditur, & pro illo datur ſpirituale eodem modo atque ſi pactum de illo initum eſſet, & venditio fuiſſet celebrata. *In cap. cum eſſent.* 12. *verſ. de Simonia.* Vbi agitur de milite, qui Clerico ſe daturum promiſerat quandam Eccleſiam, ſi neſcio quod negotium apud Pontificem promouiſſet, quam promiſſionem Simoniacam eſſe definiuit Pontifex. Sic autem ait gloſſa. *Si verò ſine aliqua pactione promouiſſet negotium illius, vel aliàs ſeruiuiſſet eidem, benè poterat eum remunerare, ſiue præſentando ipſum ad aliquod beneficium, ſiue etiam alio modo; immò etiam naturaliter erat ei obligatus; poteſt ergo licitè quilibet ſeruire. Epiſcopo, vel alij ſpe futuræ remunerationis, nec Simonia committitur in tali ſpe, cùm ſine omni pactione, vel conditione ſeruiat, cum principaliter hac intentione non ſeruiat, nec Epiſcopus directè pro hoc ſeruitio ei prouidere in beneficio intendat, quia ſic immunis eſſet ab officio, & obſequio. Aliàs niſi ſperaret inde remunerationem quare ſeruiret ei, cum ex debito ei non teneatur, immò qui dignus eſt, poteſt ſperare Epiſcopatum, & alios honores.* Ex hiſce gloſſæ verbis, quæ reiectis inſertis allegationibus referre

placuit, Colliges primo requiri ad Simoniam in caſu propoſito, vt quis ſeruiat vel cum conditione, vel pactione conſequendi beneficium, vel cum illa intentione principali. Colliges ſecundo, Spem remunerationis, & intentionem principalem remunerationis in eo caſu plurimùm differre, cùm ſpem illam licitam, & Simoniæ expertem dicat gloſſa, damnet verò hanc intentionem. Tertio, Non poteſt aliud aſſignare diſcrimen, quàm quod intentio illa principalis remunerationis æquiualeat pactioni, ſitque velut contractus innominatus, facio vt des, obſequor vt conferas beneficium; Et ſanè quis neget plurimùm intereſſe inter iſta duo, ſeruio tibi, ſperóque te non fore ingratum, atq; pro tua liberalitate, & beneuolētia beneficium aliquod collaturũ; Et ſeruio tibi, & intendo, ac volo, vt in mercedem, ac remunerationem obſequij tibi præſtiti conferas mihi beneficium Eccleſiaſticum.

Quis non videt, inquam, in hac intentione includi pactionem implicitam, & innominatam, atque intendi ſpirituale per modum mercedis, ac pretij obſequij temporalis. Atque ex his perſpicua fit mens DD. qui ſapienter dicunt, intentionem principalem lucri temporalis pro ſpirituali re, aut è contrario, eſſe Simoniacam; Illa ſiquidem intentio non eſt tantùm ſpes quædam, ſed abſoluta quædam voluntas, & pretium, & pactionem quandam neceſſariò includens. Sic enim reſoluitur. Volo vt mihi pro hoc ſpirituali des in eius compenſationem tale temporale, aut è contrario. Quod vnum ſi volunt aduerſarij, non diſſentiunt à nobis, & non probant quod intendunt, nempe dari Simoniam veram, & propriè dictam abſque vlla ratione pretij, & mercedis, & commutatione non gratuita, ſiue pactione ſaltem implicita. Quod vnum nos iam diu contendimus inutili ſanè labore, niſi res nobis cum obſtinatis aduerſariis eſſet. Ex quibus explicabis quod habet eadem gloſſa. in cap. Tua nos. 34. de Simonia. Dum in expoſitione Caſus dicit, *Intentio facit hominem Simoniacum*, de qua intentione loquatur conſentaneè nuper ex illa eadem gloſſa adductis. *Et in cap. vnic. de Clericis non reſidentibus. Verſ. receperit. in 6. quod qui vadit ad horas canonicas principaliter pro denario committit Simoniam mentalem.* Cum enim gloſſa ſeipſam adducat in cap. Tua nos. eodem modo intelligenda eſt. in cap. ſignificatum de præbendis ait licere Sacerdoti locare tuas operas ad certum tempus, dummodò non intendat vendere ſpirituale, aut pro eo pecuniam capere, ſed pro ſeruitio, & recompenſatione damnorum quæ ſuſtinet trahendo moram ibi. Quibus ſimilia habet ibid. Panormitanus. Gloſſam ſequuti ſunt de more DD.

Augustinus Barbosa in Collectaneis *ad 1. quæſt. 2. C. quam pio 2. num. 7.* ait multas eſſe pactiones in ſpiritualibus in quibus temporale datur, quæ tamen veram non continent Simoniam contra Ius diuinum, provt eſt tranſactio pro bono pacis inter collitigantes, de qua in cap. Conſtitutus & in cap. ſuper eo de tranſact. & omnes alij in quibus temporale illud reuerà non datur tãquam pretium ſpiritualium, ſemper tamen contra Ius humanum ſpeciem Simoniæ habent, & ideò Simoniaci, quia prohibitæ dicuntur. Allegat Innoc. Abbat. Ancharan. & alios antiquos.

Idem *in cap. ſicut Epiſcopum 4.*

cad.

tad. cauſ. & q. Omnino temporale dari, aut recipi tanquam pretium ſpiritualium ad veram Simoniam exigit, ideóque ponit has concluſiones, quas allatis variis DD. oſtendit. Prima eſt quoties temporalia dantur ſpiritualium miniſtris in aliquo caſu, vbi honeſta dandi & recipiendi cauſa viget, cuiuſmodi ſunt Eleemoſynæ, pia oblatio, ſtipendium ſuſtentationis, merces laboris accidentalis, & obligationis ſuſceptæ, lex iuſta, conſuetudo rationabilis, redemptio vexationis iniuſtæ, ex honeſta illa cauſa iudicandum eſt, quia non licet exiſtimare *eum qui ſanctè dare potuit & recipere, nefariè tanquam pretium dediſſe, & recepiſſe, niſi contrarium euidenter appareat.* Secunda, ſi ſpirituale miniſtratur eo caſu, quo nulla ex prædictis cauſis honeſtis conſiderari poteſt, & in dubio ſit, vtrum liberali, aut pio animo, aut prauo, temporalia data, & recepta ſint, Simonia iure merito iudicabitur, ſi pactio, conditio, taxatio, aut exactio interueniant, quia iſtæ ſunt manifeſtiſſimæ coniecturæ Simoniæ, *Indicant enim pro ſpiritualibus temporalia dari, & recipi, quia venditionis imaginem, & non gratuiti contractus præſeferunt, quando eo caſu interueniunt, quo nulla temporalis cauſa reperitur, de qua liceat paciſci, vel ob quam taxatio, aut exactio premitti debeant: Ergo ex his Simonia rectè iudicabitur.* Tertia, quando in datione temporalium pro ſpiritualibus nulla honeſta cauſa dandi, & recipiendi reperitur, neque coniecturæ, ex quibus indicari poſſe dicebamus, ſoláque datio, & receptio temporalium habetur, dubitatúrque an gratis, an pro ſpiritualibus data, & recepta ſint, tunc rei datæ quantitas, perſonarum qualitas, & temporis circumſtantia, attendenda ſunt, vt ex iis iudicetur, an pia, & liberalis donatio, aut praua commutatio iudicetur, quæ ſingula pluribus oſtendit. Quarta, ſi temporalia verè gratis dentur, & lex ea recipi prohibeat, non erit crimen Simoniæ, ſed inobedientiæ, quod vel arbitrariis, vel taxatis ab ipſa lege pœnis mulctabitur. Vides adeò eſſentiale eſſe Simoniæ pretium, vt ne quidem in dubio præſumi poſſit, niſi quatenus imago venditionis, & pretij, conjici poterit.

Idem *in cap. Saluator 8. q. 3.* obſeruat in Simonia duas eſſe malitias, vna eſt ſordidæ auaritiæ, & prauæ cupiditatis, quod Pontifices, & Iura, quæ ibidem allegat, fatentur; altera malitia eſt *rerum ſpiritualium æſtimatio.* Vtramque illam malitiam admiſit Simon, nam nimia, & praua cupiditate ductus pecuniam, & lucra eo infami Spiritus ſancti mercimonio ſibi quærere voluit, & exiſtimauit præterea donum D E I pecunia poſſideri, vt ipſi Petrus exprobrat. Vtrumque illud crimen circa ſpiritualia commiſſum Simoniacum dici iure poteſt: *Non tamen Simonia crimen, prout ſuam habet diſtinctam ſpeciem ab aliis dici poteſt, niſi ſpiritualia ſupernaturalia pretio æſtimentur.* Hinc explicat mentem Vrbani 2. *in illo cap. Saluator.* Vbi venditionem rerum Eccleſiaſticarum ad propria lucra damnat, quod dictum hactenus exercuit Interpretes, quorum varia commenta recenſet eo loco Barboſa, qui ſapienter aduertit, eam venditionem rerum Eccleſiaſticarum quarumcunque, quoties ad propria duntaxat vendentis lucra fiunt, Simoniacam eſſe, non quod in ea ſit vera illa Simonia, qua ſpiritualia pretio æſtimantur, ſed quia illa inſana auaritiæ cupiditas, qua

Simon incenſus voluit pecunias ſibi quærere ex mercimonio donorum Dei, in ea venditione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ſuo etiam modo ſunt dona Dei, reperiatur. quando in illis venditis non aliud quàm ſuum proprium lucrum ſpectat. Ex qua Barboſæ explicatione, & prudenti obſeruatione mihi & ipſe colligere poſſe videor, quo ſenſu dixerint plures DD. cum qui ex fine principali accipit, aut donat temporalia pro ſpiritualibus, aut è contrario, committere Simoniam, licet de pretio nihil cogitent: Nam præter allatas hactenus eius dicti explicationes ex ipſorum DD. ſine dubio dictis, hæc vna parum apta videri non debet, quod cum lucrum proprium in illa acceptione, aut datione temporalis pro ſpirituali quærant duntaxat, eadem infami auaritia, & turpi quæſtu pecuniam, ſiue bonum temporale quærant ex ſpiritualibus, qua ſimili cupiditate corruptum Simoné ex donis ſpiritus Sancti quærere voluiſſe paſſim docét PP. Itaque Simoniæ iure merito damnatur turpis ille quæſtus, quamuis non cogitetur de illa venditione, & emptione, atque appretiatione, de qua præterea Simon iure damnatur à PP. & in qua proprium Simoniæ crimen, de quo diſputant DD. conſiſtit.

Idem Barbosa *in cap. nemo.* 14. *de Simonia. num.* 4. de eo qui gratia, & fauore pœnitentem ad reconciliationem admitttit, ſic gloſſat. *Intellige de precibus rationem pretij habentibus veluti ſi fiant ex pacto expreſſè, vel tacitè inito cum eo, qui ſpirituale confert, vt ſi quis det beneficium Titio, vt oret principem pro ſe vel vt ipſum laudet apud principem, ſeu alium, quia tunc huiuſmodi actiones pretio æſtimantur, & commutari videntur cum re ſpirituali: ſecus autem ſi nullum pactum præceſſit, vel ſi preces poſtulatæ non fuerint à collatore beneficij, vel rei ſpiritualis, quia tunc cenſentur factæ gratis, ac proinde Simoniæ culpam non inducunt.*

Martinvs Navarrvs *in Enchirid. cap.* 23. *num.* 100. ait illis verbis vulgatæ definitionis Simoniæ *emendi, vel vendendi, includi omnem voluntatem dandi, vel accipiendi quidpiam pro ſpirituali non gratuito, ſed in quoddam pretium, vel intereſſe formaliter, vel æquipollenter temporale.* Et infra. *Quarto non eſt Simonia dare, vel accipere alia ratione, quàm pro pretio quærendi ſpirituale, puta pro ſuſtentatione,* &c. Nam *prapoſitio, pro, interdum ſignificat pretium, vel cauſam principalem immediatam, in qua ſignificatione accipiendo vniuerſaliter eſt verum, nil pro ſpirituali poſſe accipi.* & *num.* 101. pluribus oſtendit, poſſe aliquid temporale dari, vel accipi minus principaliter, & tanquam pro cauſa impulſiua, & excitatiua pro ſpiritualibus; vnde plurima deducit Corollaria. v. g. verſ. nono. *non eſſe Simoniam dare Eleemoſynam pauperi aut ſacrificio pro Miſſa, vel orationibus, niſi pro pretio, & animo illa emendi daretur.* & verſ. decimo. *Eſt Simonia dare, vel accipere aliquod munus à manu, lingua, vel obſequio, quando obſequia, laudes, vel preces, quæ ſunt munera linguæ, dantur, vel accipiuntur pro pretio, & cauſa principali, ac immediata rei ſpiritualis, vel ei annexæ,* &c. *ſecus autem ſi non darentur, vel acciperentur in pretium, vel in cauſam principalem, & immediatam,* &c. *tametſi laudes falſæ, preces malæ, & obſequia peruer*

peruerſa forent. Laudátque in hanc rem S. Thomam, & Caietanum. Similia habet *tractat. de finib. human. actuum. num. 39. & in cap. finali. nu. 56. diſt. 5. de pænitent. & de oration. & horis Canonic. cap. 6. num. 12.* Vides itaque Nauarrum ad veram Simoniam requirere, vt temporale ſit pretium ſpiritualium, vel cauſa principalis, & immediata. Vides ſecundo cauſam illam principalem, & immediatam dandi ſpirituale propter temporalia, continere pretium æquiualenter ſaltem, idcirco Nauarr. illa duo ſæpius coniungit, quod apparet ex his, quæ affert, explicans naturam cauſæ principalis, & immediatæ, quod præſtat omnibus illis locis citatis; ait enim finem principalem non eſſe illum duntaxat ſine quo, aut quo ceſſante non fieret actio, ſed eum propter quem ſolum etiamſi nec actu, nec virtute concurreret alius, fieret opus, vel ſaltem tantùm, & æquè gratia illius, atque aliûs. Itaque ille finis eſt cauſa immediata, & totalis; quare qui dat ſpirituale pro temporali tanquam pro fine principali, dat ſolùm propter illud temporale, illúdque vnum intendit, licet omnia alia motiua ceſſarent, & licet plura alia moueant, daret tamẽ illud ſpirituale ad obtinẽdum temporale, & ſi quæ ſunt alia illa omnia motiua ad obtinendum illud temporale refert, illíque fini principali, & totali ſubordinat; quare neceſſariò intendit commutare ſpirituale cum temporali, ideóque illa datio ſpiritualis gratuita cenſeri non debet, ſed in aliam rem commutatio.

Eadem leges in Couarru. *lib. 1. varia. cap. 20. num. 2. 3. & 5.* vbi cauſam finalem principalem ab impulſiua diſtinguit, hæc enim etiam mouet agens, quod ea ceſſante non mouetur, non tamen finis principalis eſt. Neque ſanè mens alia fuit aliorum omnium, qui ſimili loquendi modo vtuntur, & Simoniam mentalem eſſe volunt, quoties quis principaliter intendit per ſpiritualia, quæ dat, temporalia adipiſci, aut è contrario; In hac enim praua intentione quandam commutationem ſpiritualis pro temporali agnoſcunt, vt ex ipſorum diſcurſu, & ratiocinatione manifeſtum fiet legenti, alioquin ſecum ipſi pugnarent, cùm in explicanda Simoniæ natura, & definitione eſſentiali requirunt emptionem, vel venditionem, hoc eſt, contractum non gratuitum. In illa igitur primaria intentione, & fine principali obtinendi temporalia per ſpiritualia, vel è contrario, ſpiritualia per temporalia, aliquem contractum non gratuitum debent agnoſcere; & ſanè fatentur in ea intentione principali temporalis, non dari gratis ſpirituale, alioquin non eſſet Simonia, vt conſtat; Eſt igitur in illa aliqua ratio mercedis, & pretij; & non gratuiti contractus innominati, do vt des; quod etiam inde confirmatur, quod omnes alios fines excuſare à Simonia fateantur, vt ſuſtentationis, oblationis, ſtipendij, alióſve ſimiles, & tunc tantùm eſſe Simoniam dicant, quando eſt, vna illa primaria intentio, & principalis finis, ad quem vnum omnes cæteri fines ſecundarij, & ſubordinati referantur, obtinendi temporale per ſpirituale tanquam vnicum, & neceſſarium ad id medium; Et quamuis, vti monui Conſectario ſuperiori, minùs proprius ſit iſte loquendi modus ad explicandum contractum non gratuitum, in

quo eſſentialiter Simoniam conſtituunt; vſu tamen inualuit, eo quod non ſemper adhibeatur contractus explicitus, immò nunqum fere talis ſit in Simonia purè mentali, in qua non reperitur ſæpius pactio, aut exactio, quam idcirco aliqui ad eam Simoniàm falsò exigunt, cùm tamen aliquando ita in mente lateat, vt quamuis aliquod opus externum ponat, dationem videlicet ſpiritualis, aut acceptionem temporalis, non prodat tamen quo animo iſta donet, aut accipiat, eo quod nulla pactio, aut exactio exiſtat, & variis de cauſis iiſque non malis, aut ſaltem non Simoniacis fieri poſſit ea donatio, vel acceptio. ideóque totum eius virus, & malitia in intentione conſiſtat; quare non exiſtimarunt, eam malitiam Simoniacam meliùs exprimi poſſe, quàm per intentionem primariam & finem principalem dandi, vel accipiendi temporale pro ſpirituali, ſeclusis omnibus aliis non malis intentionibus ſecundariis, quæ ſi adſunt, tandem ad illam primariam referuntur, & in qua ſine dubio continetur contractus innominatus, do vt des, ſaltem æquipollenter. quare mirum videri non debet, ſi vbi illuſtres aliqui DD. eo loquendi modo in explicanda mentali Simonia vſi ſunt, cæteri deinceps illum vſurparunt: qui tamen ita ſeſe explicant, vt facilè coniicere liceat, illos in ea intentione vidiſſe temporale induere rationem pretij ſpiritualis, ſaltem æquiualenter; quod ipſorum dicta conſtabit. Ita igitur interpretor Martinum *in ſumma. tit. de Simonia.* Hoſtienſ. *ibid.*

Quare dixit Antonin. 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 3. *Quando datur temporale pro ſpirituali, illa dictio, pro, ſi importat appretiationem, vel commutationem, vel cauſam principalem intentam, ita quod illud ſit in pretium rei ſpiritualis, vel propter hoc principaliter detur illud ſpirituale, eſt Simonia: ſed ſi illa dictio, pro, importet cauſam finalem ſecundariam, ſeu adminiculatiuam, vt ſcilicet detur ob reuerentiam Sacramentorum, vel ad ſuſtentationem Miniſtrorum, vel ad ſeruandas pias conſuetudines, vel ex deuotione, vel propter pœnam, vel pœnitentiam, vel ratione recordationis in receptione religionum, & non in pretium ipſorum, non eſt ibi Simonia.* Et ſanè reiectis omnibus illis cauſis ſecundariis, & adminiculatiuis, illa intentio, & finis principalis dandi temporale pro ſpirituali, aut è contrario, non poteſt non includere appretiationem, vel commutationem, cùm nihil aliud aſſignari poſſit, quod ea dictio ſignificet.

Tabiena. *verſ. Simonia.* §. 12. *ſub finem. Sciendum primò quod laus niſi ſit ex intentione ad cauſandum fauorem humanum appretiabilem, non poteſt ſecundum* Devm *cauſare Simoniam. Ratio eſt, quia in Simonia includitur quidam contractus non gratuitus, in quo oportet aliquod appreciabile dari, vel recipi, & oportet quod intendatur principaliter. Sciendum ſecundò, quod preces nunquam inducunt Simoniam, niſi porrigens illas, intendat principaliter ſe obligare pro ſpirituali.* Itaque ex Tabiena intentio illa principalis temporalis pro ſpirituali, eſt intentio principalis obligandi ſe ad dandum ſpirituale pro temporali, quam intentionem nullus negat eſſe Simoniacam. Similia repetit §. 22. vbi de intentione principali accipiendi temporale pro ſpirituali iterum agit.

An..1

Angelus *in ſum. ver. Simonia.* 1. *num.* 6. qui ſpiritualia miniſtrat *principaliter hac intentione, vt propter id recipiat pecuniam, vel aliud temporale, peccat mortaliter, & Simoniacus eſt quoad* Deum. Nempe in illo fine principali includitur totum illud obiectum, quod eſt Simonia realis; quod deinde indicat Angelus. *num.* 6. dum allatis antiquioribus Canouiſtis ait. *Quod licitè poteſt aliquid recipere ſacerdos pro Miſſis celebrandis, & aliis ſpiritualibus adminiſtrandis, dummodo non intendat vendere ſpirituale, ſeu recipere pecuniam pro ſpiritualibus.* & ver. Simonia. 5. num. 4. monet in precibus committi Simoniam quando preces ſuccedunt loco pretij.

Sylvester ſacri Palatij Magiſter. *ver. Simonia in quæſt.* 3. tradit. *Claues, ac Regulas* quibus dignoſcatur in quo caſu committatur Simonia. *Tertia Regula eſt quod ad euitandam Simoniam coram* Deo, *& in conſcientia ſufficit, quod quis non intendat pro ſpiritualibus, vel eis annexis, aliquid temporale recipere quaſi pretium, etiamſi intendat recipere quaſi ſuſtentamentum*, &c. *& hoc etiamſi talis intentio ſit ſine qua non, puta ſine qua prædicator pro tunc non prædicaret*, &c. Ex his colligit aliquando eſſe Simoniam tantùm quoad Eccleſiam, *vt quando aliquis præſumitur vendere, aut emere ſpirituale, qui tamen hoc non intendit.* in quæſt. 5. quærit, an ſola voluntate, & intentione dandi, aut accipiendi pro actu ſpirituali committatur Simonia. Diſtinguit de intentione ſecundaria, & ſine qua fieret actio, & intentione principali, ſine qua non fieret actio; & ait intentionem illam ſecundariam non eſſe Simoniacam, quia eo caſu non datur temporale pro ſpirituali, quia remoto temporali nihilominus daretur ſpirituale. Tota itaque difficultas eſt de intentione primaria, ſiue principali, & ſine qua non fieret actio, & relatis diuerſis opinionibus, ipſe concludit eiuſmodi intentionem Simoniacam eſſe, vbi quis temporale intenderet dare, vel accipere directè pro ſpirituali quaſi eius pretium, vel mercedem; quod pluribus oſtendit, refértque illa verba Antonini, quæ nuper adduximus. Eadem finis principalis ſignificatione in hac materia vtitur *quæſt.* 9. *& ſequenti*, vt ſcilicet aliquid intendatur per modum pretij.

Summa Astensis 2.*p.lib.*6. *titul.* 55. *art.* 5. Negat cum Alexand. ab Anglia, & Thoma, quos citat, conferre præbendam intuitu conſanguinitatis eſſe Simoniacum, quamuis ſit graue peccatum, *quia nihil ibi in pretium datur, vel recipitur, quod ad Simoniam requiritur.* Monet deinde inferius, attendendam eſſe intentionem quando datur temporale pro ſpirituali principaliter, aut non principaliter; quod vltimum dicunt aliqui contingere, quando aliàs daretur, nam ſi aliter non daretur, volunt aliqui eſſe finem principalem, & Simoniam conſtituere. Quod Aſtenſis durum eſſe dicit, cùm id ſæpe contingat ſine Simonia. Ponit exemplum Pariſienſis Epiſcopi, qui quando *inthroniſatur* ab Archidiacono Senonenſi, dat ei dimidiam marcam auri quam non daret niſi inthroniſaretur & inferiùs. *Eſt ergo notandum quod cùm dicitur aliquid temporale dari pro ſpirituali, hæc propoſitio, pro, poteſt denotare appretiationem, ſiue commutationem, & ſic non debet*

 concedi,

concedi, poteſt autem denotare cauſam finalem, vel efficientem, & ſic vtroque modo poteſt concedi.

EMANVEL RODRIGVES *in ſumma. 2. p. cap. 57. num. 1.* Simoniam eſſe contractum non gratuitum, vt largitionem *munerum quæ dantur hoc fine, quæ in hoc caſu non ſunt dona, ſed pretium.* & num. 5. Tria requirit ad Simoniam. primo *vt intermediet aliquid ſpirituale.* ſecundo *vt intermediet aliquid temporale vt pretium, donum, & ſeruitium non debitum alio titulo, & quod pretio æſtimatur, directum ad hunc finem vt obtineatur quid ſpirituale.* tertio *quod hæc res, quæ offertur, offeratur per modum pretij, quibus rebus concurrentibus, eſt Simonia, & ſi aliqua deficiat, non eſt Simonia, quia poteſt dari aliquid conferenti ſpirituale non per modum pretij.*

IOANNES VALERVS Iuris vtriuſque Doctor nominatiſſimus, & apud Carthuſianos Prior, *in different. vtriuſque Iuris. verſ. Simonia. different. 5.* Obtinens beneficium interueniente pecunia, ſi ea non fuit cauſa quærendi illud, quia etiam ſine dicta pecunia illud obtinuiſſet; Nam Collator beneficij recipiens pecuniam ſibi oblatam, non fuit eâ potiſſimùm motus, quia hic, in quem fuit collatum, erat dignus, non tenetur in foro conſcientiæ ſic obtento renuntiare, quia ea collatio non fuit Simoniaca. Et gloſſam, alióſque DD. allegat.

VILLALOBOS Salmanticenſis Academiæ quondam oraculum, *tract. 37. diffic. 1. num. 7.* explicat hunc finem principalem obtinendi ſpirituale per temporale, qui facit Simoniam, eſſe cauſam principalem, quæ intendatur in ea datione temporalis: & deinde *num. 8.* ait ex Nauarro, vt dignoſcatur, an in quibuſdam actibus fuerit ille finis principalis Simoniacus, attendendum maximè eſſe, an fuerit animus vendendi, aut emendi ſpiritualia. Et *num. 12.* pronuntiat in vniuerſum, eum qui dat aliquid temporale, & non dat tanquam pretium ſpiritualis, quod quærit, ſed liberalitate, gratitudine, amicitia, aut conſanguinitate motus, non eſſe Simoniacum.

IACOBVS DE GRAFFIIS, Monachus Caſſinenſis, & Pœnitentiarius Neapolitanus, *Deciſion. aurear. lib. 2. cap. 96. num. 19.* Hanc Regulam tradi communiter ad dignoſcendam Simoniam mentalem refert, *vt illa dicatur, cuius obiectum eſt Simonia, id eſt, dandi vel recipiendi ſpirituale pro pretio temporali.* Ponit exemplum in eo qui ſeruit Epiſcopo ad conciliandam ipſius amicitiam, certus ſe neque recepturum, neque Epiſcopum daturum illi beneficium pro eo ſeruitio, ſperans tamen, quod factus amicus illud deinde gratis dabit. Et *num. 30.* Regulam cognoſcendi Simoniam hanc tradit nuper ex aliis quoque relatam, tria ad illam eſſentialiter requiri, & ſi vel vnum deficiat, non eſſe Simoniam. primo res ſpiritualis. ſecundo res temporalis vt pretium, & munus. tertio *vt illud temporale intercedat per modum pretij, &c. poſſunt enim dari non redundantia in pretium.* num. vero 37. intentionem principalem ſic explicat. *Ecce igitur quantum in Simonia attenditur principalis cauſa, & intentio; nam ſi principaliter quis mouetur ad recipiendum pretium pro ſpiritualibus, Simoniacus eſt, aliàs ſecus.* Vnde *num. ſequenti* 38. explicat gloſſam, Abb. & Card. dum dicunt, Clericum

cum aſſiſtentem diuinis officiis principaliter propter diſtributiones, eſſe Simoniacum mentalem.

Raymvndvs de Pennas fort in Sanctorum numerum à Clemente VIII. relatus, qui iuſſu Gregorij IX. Epiſtolas Decretales, quæ erant ſparſæ in vnum volumen quinque libris diſtinctum redegit, quo perfecto opere ſcripſit ſummulam, quam S. Antonin. aliíque paſſim commendant, & Raymundinam appellant, & vbique allegant, nobis Codicem videre non licuit; Ex Antonini tamen, & aliorum grauiſſimorum Doctorum fide illum inter noſtræ, communíſque ſententiæ ſuffragatores iure merito nominamus.

Nicolavs de Avsino, Ordinis Minorum, qui ſummam Piſannellam, quæ & vulgo Magiſtratia dicebatur, in multis corruptam emendauit, & quæ ipſi deerant, ſuppleuit. *verſ. Simonia.* 1. *num.* 6. obſeruat præpoſitionem, pro, quandoque ſignificare appretiationem, vel commutationem, & ſic nunquam dandum eſſe temporale pro ſpirituali, aliquando notare cauſam efficientem, & finalem, & ſic dari poſſe temporale pro ſpirituali; & in fine Raymundum allegat. Et *num.* 12. Non licet obſequium impendere pro aliquo ſpirituali, ſi illud, pro, dicat cauſam principaliter mouentem, ſed ſi dicat tantùm cauſam ſecundariam, puta excitatiuam affectus eius, qui dare habet ſpirituale, licet. In eandem ſententiam allegat Raymundum *num.* 24.

Bartholomævs Fvmvs *in ſumma aurea. verſ. Simonia. num.* 5. *Eſt etiam Simonia mentalis, quæ à* Deo *tantùm punitur, vt quando quis intendit pro ſpiritualibus temporalia habere, vel pro temporalibus ſpiritualia, ita quod ly, pro, dicat pretium, vel rationem pretij: ſi autem non intendit hoc pro pretio dare, ſed tanquam Eleemoſynam, vel donum, vel aliter, non eſt Simonia mentalis.*

Rosella, quam ſcripſit Baptiſta Trouamala Ordinis Minorum qui florebat Louanij anno. 1483. *verſ. Simonia.* 1. *num.* 4. quærit, an ſit Simonia, ſi aliquid detur pro ſpiritualibus gratis, & reſpondet non eſſe: deinde addit diſtinctionem ſolitam ſignificationis prępoſitionis, pro. *Sciendum quod præpoſitio, pro, cum dicitur aliquid dari pro ſpirituali, ſi importat appretiationem, vel commutationem, vel cauſam principalem mouentem, ita quod illud temporale ſit pretium ſpiritualis, vel propter hoc pretium dat ipſum ſpirituale, tunc eſt Simonia, ſed ſi, pro, non importat cauſam finalem, ſed adminiculatiuam, vt ſi detur in collatione temporale pro collatione ſpiritualium ob reuerentiam Sacramentorum, vel ad ſuſtentationem Miniſtrorum, vel ad obſeruandas pias conſuetudines, & huiuſmodi non eſt Simonia.* Vnde colligit non ſemper ex parte vtriuſque, dantis nimirum & accipientis temporale pro ſpirituali, ſecluſa omni pactione committi Simoniam, ſed prout dans, aut recipiens intendit illud temporale tanquam pretium, quod pluribus explicat.

Refert & dictum Archid. *in ſumm.* 1. *quæſt.* 1. *Quod pro ſpiritualibus aliquid dare, vel accipere, non tamen animo vendendi, vel emendi, ſed animo remunerandi, non eſt in ſe Simonia.* Affert & Panorm. in C. etſi Chriſtus. de Iureiurando. *Quod*

hic eſt notabilis limitatio ad materiam Simoniæ. & ſane Panorm. *in cap. citat. num.* 11. ita conatur explicare quæ *in illud cap. Etſi Chriſtus.* 26. *ver. mala ſunt.* dixit gloſſa quædam eſſe Simoniaca ex ſua natura, vt vendere ſpiritualia, quædam quia prohibita, vt dare aliquid pro baptiſmo, & benedictionibus nubentium: quæ duo exempla falſa ſunt, quod optimè obſeruauit Ioannes Andre. ab ipſo Panormitano adductus. Ait itaque Panormitan. explicans gloſſam de iis quæ dantur non animo emendi, & vendendi, ſed remunerandi Prælatum, illud enim non eſt Simoniacum, niſi quia in iure prohibitum eſt, vti obſeruauit Archidia. de qua tamen explicatione gloſſæ, an ſit ad eius mentem, cogitandum relinquit Lectori Panormitanus: non dubitat tamen de veritate huius doctrinæ. Plurima in ſingulis Caſibus de intentione emendi, vel vendendi ſpiritualia, requiſita ad Simoniam tradit *ibidem* Roſella.

Ioannes Gutierres, *lib.* 2. *qq. Canonica. cap.* 23. *num.* 60. Negat collationem beneficij factam conſanguineis ratione conſanguinitatis eſſe Simoniacam, quamuis ſit aliquando culpabilis, niſi detur beneficium, vt deinde illud beneficiatus conſanguineis conferentis remuneret. *Quia vbi non eſt ſpiritualis venditio, non eſt Simonia, illic autem nullum interuenit pretium*; *Ergo non eſt Simonia.* Et inferiùs nu. 63. *ſi conferens beneficium conſanguineo, vel alteri, hoc faciat principaliter, vt ſe exoneret ab obligatione, vel ſeruitio, quo ei tenetur, Simoniam committit, quia obligatio talis, & exoneratio loco pretij habetur.* Eadem diſtinctione vtitur circa preces. *num.* 65. & circa obſequium. *num.* 66. rationem reddit. *num.* 67. *ſola ratio pretij, & mercedis in propoſito Simoniam inducit, non verò modus liberalitatis, doni, vel obſequij.* Sine pretio igitur non eſt Simonia, & in fine principali commodi temporalis includitur aliqua ratio pretij.

Hæc omnia cum allata diſtinctione declarat Adrianus. *quod.* 9. *art.* 2. *littera L. M. N. O.* quem adeas velim, ne totum exſcribere cogar.

Claudant hoc Canoniſtarum agmen duo celeberrimi Iuris Pontificij interpretes, Panormitanus, & Felinus, qui finem principalem, & cauſam impulſiuam vbique in hac materia diſtinguunt, & cum ſpirituale datur pro temporali tanquam fine principali Simoniam agnoſcunt; Non verò dum temporale eſt tantùm cauſa impulſiua. Ita Panormit. *in cap. cum eſſent. num.* 4. & ibid. Felinus. *de Simonia.* rationem reddit Panormit. *in cap. nemo. num.* 6. Quia ibi fit *quædam commutatio* temporalis pro ſpirituali, quod non contingit, quando commodum temporale, quod quæritur, eſt cauſa ſolùm impulſiua, licet abſque illa cauſa, & impulſione non fuiſſet faciendum, aut dandum illud ſpirituale. Id totum explicat Felin. *in cap. ſuam, nu.* 2. in eo qui ſperat diſtributiones ex recitatione horarum Canonicarum, quibus ſine illa ſpe non intereſſet.

His illuſtribus Commentatoribus Iuris Pontificij alios, qui in eandem iuêre ſententiam accenſere ſingillatim nihil attinet, cùm ab his ne vnus quidem quod ſciam, diſcedat, & illi ipſi quos nominauimus, alios antiquiores referant, quos defectu Codicum conſulere non licuit; quibus

quibus omnibus ſemper perſuaſum fuit, ad veram Simoniæ naturam aliquid quod pretij vice fungeretur, requiri, quocunque tandem loquendi modo vſi fuerint propter diuerſas rationes quibus ea pretij interuentio expreſsè, aut occultè ſignificari, aut tegi poteſt.

§. VII.

Pontificum, & Conciliorum authoritas.

His omnibus DD. Theologis, ac Canoniſtis addo ipſos Pontifices, & Concilia, ex quibus ſuam illam doctrinam hauſerunt ipſi DD. Quam plurimos Pontifices & PP. atque Concilia retulit Gratian. 1. *quæſt.* 1. atque imprimis *cap.* 1. Leonem Magnum, qui ait, gratiam non eſſe gratiam, ſi gratis non datur, vel accipitur; vnde concludit, Simoniacos gratiam non accipere, quia illam gratis non accipiunt; ſi autem non accipiunt, illam non habent, ac proinde illam neque gratis, neque non gratis dare poſſunt. Et quamuis hæc omnia non reperiantur hodiè apud Leonem, ſed ſolùm illa verba, *Gratia niſi gratis detur, non eſt gratia. in Ep.* 86. *ad Nicetam Aquil. Epiſc. cap.* 4. Cùm tamen alios fortaſſis Codices nactus fuerit Gratian. illum mendacij non arguimus: ex his autem, quæ ipſe refert, euidenter colligimus Simoniacos ea de cauſa tales eſſe, quia non dant, vel accipiunt gratiam gratis; quod autem non datur gratis, datur aliquo contractu oneroſo, & per quandam commutationem vnius pro alio, in qua commutatione neceſſariò reperitur aliqua pretij ratio. His conſequenter omnia, quæ deinceps ex Gregorio, Ambroſio, & aliis refert Gratian. *ead. C. & quæſt.* 1. ad damnandam Simoniam, perpetuò pretij, & venditionis meminère, & dum de muneribus agunt, ea ita explicant, vt pretium eſſe ſignificent, *vt cap.* 7. quod ex Ambroſij Paſtorali adducit, cùm tamen inibi non reperiatur, ſed apud Concilium Toletan. VIII. cap. 111. ex quo refert Anſelm. *lib.* 6. *cap.* 85. & Iuo. 5 par. cap. 83. *Reperiuntur quam plurimi negotio muneris perituri mercari velle gratiam Spiritus ſancti, dum vile pretium donant.* Et mox. *Quicunque deinceps propter accipiendam Sacerdotij dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtuliſſe.* Vbi vides munera quæ pro ordinatione prohibentur offerri, habere rationem pretij, negotiationis, & præmij. Quod idem habes apud Iuon. *par.* 5. *cap.* 85. *Quicunque pro conferendo cuiquam Sacerdotij gradu, aut munus aut promiſſiones muneris antequam ordinetur, acceperit, vel etiam poſtquam ordinatus fuerit, in aliquo ſe pro hoc ipſo præſumpſerit munerari, ſiue ille qui dederit, ſiue qui acceperit iuxta ſententiam Chalcedonenſis Concilij gradus ſui periculum ſuſtinebit.* Munera itaque illa quæ ſunt Simoniaca, remunerationes, & prœmiationes quædam ſunt, quod ipſum magis elucet ex ſententia Concilij Chalcedonenſis, quam adducebat Toletan. & continetur *cap.* 2. refertúrque 1. *q.* 1. *C. ſi quis* 8. Ibi enim ait per illam ordinationem *ſub pretio redigi gratiam quæ vendi non poteſt turpiſſimi lucri commodo, promotionem negotiatione factam* appellat. Conc. Bracca. 11. *cap.* 3. quod refertur. *C. placuit.* 2 2. 1. *q.* 1. prohibet in ordinatione munera accipi, & iubet gratis dari, quod gratis acceptum eſt; tum ſubdit. *Non aliquo pretio gratia* DEI, *& impoſitio*

p ſitio manuum vendetur; refert & antiquam definitionem Patrũ. *Anathema ſit danti, & accipienti*. Munera itaque quæ prohibentur, eorúmque dationes, & acceptiones ſunt veræ venditiones. Quæ verò referuntur *citat. C. & q.cap.Iudices* 23. ex Hieronym. *in cap*. 3. *Michaea*, licet nonnihil corrupto. Vel agunt de muneribus, quibus mali Prophetæ vendebant prophetiam, & quæ erant loco pretij, vel quæ mali homines offerebant, vt emerent Prophetiam, & Prophetæ repudiabant. Nam ſtipes, & pias oblationes non rejicit Hieron. vt legenti patebit, fatetúrque ipſe Collector Gratian. qui etiam non agit tota illa q. *Niſi de perfidis mercimoniis auaritiæ*, vt loquitur. Gregor. quidem monet Theodoricum, & Theodebertum Francorum Reges. *Ep*.114. *lib*.7.*Dec*. Iubeat Synodum cogi, *in qua ſub anathematis debeat obligatione conſtitui,nullum pro Eccleſiaſtico ordine aliquid vnquam dare, nullum accipere*. Verùm loquitur de illa datione, quam pluribus initio damnarat, quæ erant præmia Sacerdotij, quod Epiſtolæ lectio indicabit. *A cap*.99. 1. *q*. 1. Gratianus refert prohibitiones recipiendi pro baptiſandis, conſignandiſque fidelibus, pro gratia communionis,pro balſamo chryſmatis, & aliis eiuſmodi. Sed ibi ſemper agitur de pretiis, exactionibus, venditionibus, nummorum quæſtibus, & ſpontaneæ oblationes non prohibentur, lege *à cap*.99 *ad* 107.ex variis Conciliis relata; Cùm enim obuium ſit Gratiani decretum, inanis labor eſſet ab eo adducta exſcribere, niſi in ipſis quidpiam ſingulare fuerit obſeruandum. Quia verò aduerſarij ex illo triplici munere,à manu, à lingua, & ab obſequio, per quod Simoniam committi dixit Gregori. colligunt dari Simoniam ſine pretio, facilè fuerit Gregorium conſulenti videre, eiuſmodi munera locum pretij apud ipſum obtinere. Nam *hom*. 4. vbi triplicis illius muneris meminit, & refertur cap. ſunt nonnulli. 114. 1. *q*. 1. explicans illa verba Chriſti, *gratis accepiſtis, gratis date*;ſic ait. Præſciebat namque nonnullos hoc ipſum donum accepti ſpiritus in vſum negotiationis inflectere, & miraculorum ſigna ad auaritiæ obſequium declinare. Oſtendit deinde id non fieri duntaxat pecuniâ, ſed aliis etiam rebus, variiſque muneribus, quæ loco pecuniæ dantur. *Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis ſolummodò retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum eſt, gratis non tribuunt, quia de impenſo officio ſanctitatis, nummum expetunt fauoris*. Et in Regeſto, vti refertur *cap ſi quis* 1. *q*.1. vocat ſordidas preces oris, fraudulenta munuſcula, inanis gloriæ auaritiam. lib.4. Regeſt. par. Ep.55. deflet Eccleſiæ Corinthiorum ſtatum, *quod nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniret*. Illam autem dationem fuiſſe venditionem ex his quæ ſubjicit, manifeſtò conſtat, ait quippe ſi ordinatum eſſe vendere, quod emit. Eadem, iiſdémque verbis repetit. *Ep. ſequenti* 56.*Epiſcopis per Helladam prouinciam conſtitutis*. & *lib*.2. *Ep*.47. *nulla ſit in ordinatione venalitas* quæ repetit Ep.48.Bonifacius P.M. vti refertur *cap. quam pio* 2. *q* 2. vbi vetat accipi munera pro rebus ſacris, de quonam munere loquatur, oſtendit dum ſubdit. *Reſtat ergo vt quis pro aliqua Eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, donum* DEI

quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendat, munus autem largiens importunus emat. Illud itaque quod prohibetur, vicem habet pretij, quod confirmatur ex caſu ibi propoſito, Nolebat enim egens monaſterium permittere ſuum Monachum ab alio prædiuite Monaſterio in Abbatem electum, illuc proficiſci, eáque oblata dignitate fungi, niſi quidpiam in ſolatium ſuæ paupertatis ab eo Monaſterio acciperent; quod vtrum liceret conſultus Pontifex tandem reſpondet, ſi ille electus Abbas ſit diuiti Monaſterio neceſſarius, omniſque abſit pactio, vbi gratis acceſſerit, poſſe diues illud Monaſterium *ſubſidij cauſa aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio.* Obſeruat autem ibid. gloſſa. *verſ. ſubſidij.* quamuis Pontifex concedat hanc largitionem ſubſidij cauſa poſt receptum Abbatē illum fieri, idem tamen *in hoc caſu eſſe ante, & poſt; ſed hoc fit propter præſumptionem vitandam.* Deinde quia petitio pecuniæ præceſſerat, & ambitio nocere debuit etiam poſt, vel gratia ſubſidij percipere debuerunt; qua ratione id permittit Pontifex. licet itaque munus pro ſpiritualibus dare aliqua alia ratione quàm pretij. verb. grat. ſubſidij, & ſolatij fratrum, vt in hoc caſu.

Aduerte autem verba, quæ ſubdit Pōtifex, Aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia. In hoc igitur caſu electionis Abbatis, quæ quidpiam ſpirituale eſt, largiri munera Monaſterio, ex quo electus eſt, permittit Romana Eccleſia, non tanquam pretium, ſed tanquam ſubſidium eius inopiæ. Neque opinor Romanam Eccleſiam Simoniæ damnabunt aduerſarij: Licet igitur aliquid dare pro ſpirituali, modò non detur in pretium, ſed alio quopiam honeſto titulo. Quod etiam confirmatur ex Synodo Romana, Gregorio Pontifice habita. *cap.* 88. & *lib.* 4. *Epiſt.* 44. vbi voluntariè oblata ab ordinandis capi permittuntur, & exigi vetantur. Gregori. ſcribens ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & refertur *cap.* 1 *prima quæſt.* 3 quæritur de iis, *qui ſub munerum datione, vel acceptione*, Dei *Eccleſias, vel earum ſibi beneficia vſurpant.* ſubdit. *iſte quippe donum* Dei *emere, hi autem præſumunt vendere.* De muneribus igitur, quæ pretia ſint, loquitur. Similia habet in Epiſtola ad Rhotomagenſes, & alios Galliæ Epiſcopos, refertur *cap. ſi quis.* 2. *Ead cap. & quæſt.* Denique quidquid PP. contra Simoniam relati illa *quæſt.* 3. *& quæſt.* 5. *quæſt.* 6. pronuntiant, de venalitate duntaxat pronuntiant. Vnde vides non aliam ipſos Simoniam agnouiſſe, quàm eam, in qua venditio rei ſacræ, vel Eccleſiaſticæ reperitur. Idem dico de iis decretis quæ referuntur. *lib* 5. *Decretal. tit. de Simonia.* Vbi agitur tantùm de iis qui pecunia ordinati ſunt, vel aliquo pretio quidpiam ſacrum obtinuerunt, licet aliquando videantur de quolibet munere loqui. Conſule *cap. etſi quæſtiones.* 18. Vbi de munere equi dato Cardinali Legato ad Epiſcopum Strigonienſem, vt ipſi pallium daret, in quo fuiſſe negat Pontifex Simoniam, ſi non alia intentione factum id fuerit, quàm vt ei in tanta neceſſitate itineris conſtituto ſubueniretur. Itáque hanc prohibitionem munerum intelligendam eſſe de iis muneribus, quæ recipientis animum ad aliquid minùs rectum inclinare poſſunt, monet *ibid.* Pontifex; qui idcirco ait

in

in munere tria ſpectanda eſſe, nimirum perſonam dantis, & accipientis, quantitatem muneris, & tempus donationis, atque vt ibidem explicat gloſſa. *ver. dandis muneribus.* conſiderari debet quid offeratur, quale, à quo, pro quo, ad quid offeratur, qua intentione, quantum nimirum, vt inde coniiciatur, an fuerit liberalis, & gratuita donatio, an verò oneroſa, & cùm intentione præmij, vel pretij, ex qua ſola continget Simonia.

§. VIII.

Senſus Academiæ Pariſienſis.

Huic tam illuſtri, & numeroſo teſtimonio placet nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ ſenſum ſubiicere, quanquam illum ex adductis hactenus eorum, qui in ea Patrum ætate floruerunt, ſuffragiis ſatis compertum habeamus. Age enim prima illa orbis, & Academiæ lumina ad Academica, pleniſſima, & vniuerſaliſſima comitia vocemus, rogemus ſingulorum de propoſita controuerſia ſententias, an aliud, amabo, reſpondebunt, quàm quod olim docuerunt, & ſcriptis poſteritati commendatum eſſe voluerunt. Fac huic ſapientium cœtui præeſſe ipſum Magiſtrum, aut S. Thom. aliúmve eruditione percelebrem, cui cæteri ſuffragij, & veluti principatûs prærogatiuam detulerint, quid aliud conſpirantibus omnium ſuffragiis pronuntiabit, quàm nullam veram, & propriè dictam Simoniam, abſque aliqua venditionis, vel emptionis, & pretij ratione formali, vel virtuali conſiſtere poſſe? an aduerſus tam frequentia, & ex totius ferè orbis Doctoribus coacta comitia quidquam excipi iure poterit, an factionis, ambitionis, ſubornationis, aut gratiæ alicuius, aut aliorum eiuſmodi, quæ comitia turbare, & corrumpere ſolent, ſuboriri ſuſpicio, cum ætate, locis, moribus, ingeniis vſque eò diſſideant, vt ſolius veritatis amore in eandem mentem adduci potuerint? an alia maioris authoritatis comitia, quæ doctrina, & ſanctitate præcellant, vel cogere, vel illis apponere hodie licebit? Et ſi quædam eiuſmodi aduerſæ factiones conſpirarent, an non orbis vniuerſus pleniſſima illa, quæ viris longè illuſtrioribus, neque enim, id opinor, negabunt aduerſarij, conſtabant, præferenda iudicaret, illorúmque ſcita nouis decretis præhaberet. Verùm ne quærantur aduerſarij, nos fictionibus ludere, & componere Academica comitia, quæ numquam reipſa conuenerunt, quanquam id iniuria quererentur; Nam qui ſcriptis monumentis ſuam mentem de aliqua quæſtione variis ætatibus explicarunt, poſſunt & in teſtes vocari, & ad comitia litteraria adduci, veteres Academiæ tabulas reuoluamus, & quid de tota iſta cauſa magna contentione diſceptata, tandem eius ſapientiſſimi Magiſtri in vnum ſoliro more coëuntes decreuerint, audiamus.

IOANNES MAIOR *in 4. diſt. 25. quæſt. 1.* refert, quod nuper ſignificauimus, decretum facultatis Pariſienſis ante 34. annos, quàm hæc ſcriberet, editum contra fratrem Ioannem Angeli, qui *in 4. articulo,* ſic inquit, *Prædicabat curatus Parrochialis, nihil debet recipere à Parrochianis ſuis pro confeſſione, & Sacramentorum adminiſtratione*; ſic

autem definiuit ſacra facultas. *Hæc propoſitio eſt contra diſpoſitionem iuris naturalis, & diuini expreſſè, ideo falſa, & notoriè hæretica; nam ſacerdos non capit pro Sacramentis, ſed pro eorum adminiſtratione, quæ actionem, & laborem importat.* Vnde colligit Maior contra Paludanum, & Durandum, laborem in adminiſtratione Sacramentorum impenſum venalem eſſe, atque adeò in illo non committi Simoniam ex mente Academiæ. Quæ collectio inepta eſt, ſi Academia exiſtimauit aliter quàm aliqua venditione, vel emptione committi Simoniam poſſe; Nam etſi labor ille venalis non ſit, poſſet tamen in eo abſque venalitate, & venditione committi Simonia, vti in ſpiritualibus contingere ſæpe concedunt aduerſarij: Neque Academia affirmat eſſe venalem hunc laborem, ſed tantùm pro eo aliquid à Parrocho capi poſſe abſque Simonia. Cur igitur Maior colligit ex mente Academiæ, laborem illum eſſe venalem, quia ipſa definit aliquid à Parrochianis dari, & à Parrocho capi pro eiuſmodi labore poſſe abſque Simonia, niſi quia Academia exiſtimauit, Simoniam conſiſtere in eo quod vendatur ſpirituale quod eſt inuendibile. Neque opinor ægrè ferent viri eruditi, ſi potius Maiori celeberrimo id temporis Doctori in explicando decreto recens edito, & Academiæ mente declaranda fidem potiùs adhibeamus, quàm recentioribus, qui ne quidem illa decreta viderunt. Et ſanè niſi ea fuerit Academiæ mens, quam ſignificat Maior, non poterit damnari ab illa Frater Ioannes Angeli, quod doceret nihil Parrochum pro confeſſione, & adminiſtratione Sacramentorum recipere poſſe, quam propoſitionem contra *ius naturale, & diuinum*, atque adeò *hæreticam, & falſam* eſſe pronuntiat Academia, quia *nihil accipitur pro Sacramentis, ſed pro adminiſtratione, quæ actionem, & laborem importat.* Nam repoſuiſſet ille Frater, non emi quidem Sacramenta, ſed laborem adminiſtrationis, qui venalis eſt. Verùm non ſola emptione, & venditione committi Simoniam, ſed quotiéſcunque datur temporale pro ſpirituali quacunque ratione, vti contendunt noſtri aduerſarij, quod falſum, & hæreticum pronuntiat eſſe Academia. Deinde cùm negat Academia Simoniam, quia Sacerdos non capit pro Sacramentis, ſed pro adminiſtratione, quibus verbis ſignificat, Simoniam committi, aut excuſari pro varia intentione, ſi enim Parrochus capiat, aut Parrochianus det pro Sacramentis, Simonia eſt: ſi verò pro adminiſtratione, non eſt Simonia; Ergo & qui dat, & qui accipit, debet habere intentionem dandi, vel non dandi pro Sacramentis, ſed pro labore adminiſtrationis. Igitur ex aduerſariis Academia conſtituit Simoniam in ſola intentione, quam quiſque capere, aut ponere pro libidine poterit, atque ita tollit omnem Simoniam: Quis enim niſi ſtolidus Parrochus intendet accipere pro Sacramentis, & non pro ſuo in adminiſtrando viatico, labore, quem exiguum licet magno pretio vendet, quod deinde à demortui hæredibus vnà cum funeris impenſis diligenter exiget. An igitur Academia ſua illa diſtinctione *pro Sacramentis, & pro adminiſtratione*, quæ diſtinctio ſola mente fit, Simoniam omnem tollit, aut illi potiùs, vti nobis falsò obiiciunt, viam aperit. Quis ni-

K ſi

ſi ſubtiliter Philoſophus iſta diſtinguit, vt non diſputem an ſatis in re morali diſtingui poſſint; neque enim, vt S. Thom. & alij monent, in hac materia diſtingui ſatis in praxi poſſunt Sacramenta ab ipſorum adminiſtratione; cum etiamſi, dum committitur in illis Simonia per expreſſam & formalem emptionem, & venditionem non vendatur Sacramentum in ſe, ſed ipſa eorum adminiſtratio. Neque aliter vnquam Theologi diſputant de Simonia in Sacramentis, quàm quæ in ipſorum adminiſtratione fit; & qui illa reipſa emit, non diſtinguit, an emat Sacramentum ipſum, aut adminiſtrationem; immò cùm omnia Sacramenta, excepta Euchariſtia, ſint tantùm in fieri, vt loquuntur, hoc eſt, non exiſtant niſi dum fiunt, ipſorum adminiſtratio, ſi Euchariſtiam excipis, eſt ipſius Sacramenti confectio, ipſúmque Sacramentum quod poſt inſtans, quo perficitur, non ampliùs in ſe perdurat. Quare cùm petitur adminiſtratio Sacramenti, petitur ipſum Sacramentum, & cum quid datur, aut capitur pro adminiſtratione Sacramenti, datur, aut capitur pro ipſo Sacramento. Adde, ſi vendatur labor illius adminiſtrationis, qui fere ſemper exiguus, cùm pretium aliquod datur, ſæpius illum excedit, committetur iniuſtitia. Quare mens Academiæ in ſuo illo decreto non alia fuit, quàm aliorum Doctorum, quos adduximus, non dari nempe aliquid *pro Sacramentis* tanquam illorum pretium, ſed pro adminiſtratione, quæ & actionem, & laborem importat, in ſtipendium, & ſuſtentationem, quæ debita eſt Miniſtrantibus ſpiritualia ex naturali, & diuino iure; atque ita Academia ſuo decreto communem ſententiam confirmat, non dari Simoniam, quoties non datur aliquid vice pretij, & non dari pro Sacramentis quidquam; illud enim non poſſet eſſe niſi in commutationem Sacramenti, atque adeo aliquod eius pretium, ſed dari pro adminiſtratione, hoc eſt in ſtipendium miniſtrantibus debitum. Atque adeo attendendum eſſe, quod pridem monebamus, qua intentione, & quo animo quid detur, & vt loquebatur Gerſo, rectificandum eſſe cor, an in pretium, an in ſtipendium detur. Maior verò colligit contra Paludanum, laborem adminiſtrationis eſſe venalem, ideóque in illo non committi Simoniam, quia ſciebat ex mente Academiæ ad Simoniam requiri aliquam rei non vendibilis venditionem.

VERVM illuſtrius multò decretum Academiæ tibi exhibeo, quod de eius mente non patietur nos dubitare: exſcripſit illud integrum Dionyſius Carthuſian. *in 4. diſtinct. 25. queſt. 3. & lib. 2. de Simonia. cap.* 4. nos illud hic repræſentabimus tanta fide, vt neque veterem ſcriptionem mutare, aut emendare vel vnius literulæ mutatione placuerit.

DECRETVM

Facultatis Theologicæ, Celeberrimæ Vniuerſitatis ſtudij Pariſienſis contra Simoniacos Religioſos.

QVIA nuper mota eſt Controuerſia inter aliquos Doctores ſuper deciſione huius quæſtionis, vtrum in aliquo Monaſterio fœminarum liceat recipere aliquam fœminam vltra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterij commodè ſine penuria poſſunt ſuſtentari, & de perſona recipienda oblatis gratis ſpiritualibus exigere temporalia, inſtantiúſque à nobis Magiſtris in facultate Theologiæ Pariſienſis congregatis quæſitum, vt in ea re conſilium dare, & ſuper eiuſdem quæſtionis determinatione, quid ſentimus dicere vellemus. Nos autem, ad pacem conſcientiarum, & ædificationem animarum pro viribus laborare cupientes, ea quæ nobis ſuper his videntur, in modum ſequentem exponere duximus. Imprimis dicimus, quod attento tenore conſtitutionis Apoſtolicæ, felicis recordationis Papæ Bonifacij octaui incipientis. *Periculoſo de ſtatu regularium. lib. 6.* non licet recipere aliquam fœminam in aliquo Monaſterio non mendicantium vltra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterij ſine penuria ſuſtentari poſſunt; nec in hoc oportet apponere illum terminum, commodè, cùm in textu ipſius conſtitutionis non ponatur; & illud dicimus non licere, vbi non habetur de hoc conſuetudo communis, & diuturna, quam Papa ſcire, & tolerare veriſimiliter creditur, & per quam poſſet præfatæ conſtitutioni eſſe derogatum. Idem dicimus, quod à fœmina recipienda in Monaſterio, oblatis gratis ſpiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipſis ſpiritualibus, *tanquam pretium ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus, faciendo commutationem vnius pro altero.* Dicimus vlterius, quod vbi Monaſterium ita tenue, quod fœmina, quæ recipi petit, non poſſet de bonis ipſius Monaſterij ſuſtentari ſine penuria, oblatis gratis ſpiritualibus, & receptione perſonæ liberæ facta ad ſpiritualia, ſi perſona illa ſic recepta habeat bona temporalia, de quibus iuxta conſuetudinem regionis poteſt diſpo-

nere, & ea Monaſterio conferre, tunc poteſt ab ea aliquid peti ſolùm pro neceſſitate ſui victus, ſine fraude, vt habeat Monaſterium vnde ſibi prouidere poſſit, & hoc non intelligendo de actione coactoria, ita quod eiiciatur, ſi non dederit: *ſed quod ſeruetur in omnibus debitus modus, & recta intentio*, & quod hoc habeat locum vbi eſt conſuetudo communis, & diuturna, ſicut ſupra tactum eſt, per quam & antedictæ conſtitutioni Bonifacij & alteri conſtitutioni Vrbani Quinti, incipienti, *Ne in vinea Domini*, prohibenti huiuſmodi temporalia ab ingredientibus Monaſteria quouis modo peti, vel exigi, derogatum exiſtit. *Tutius tamen eſt, quod nihil petatur, vel exigatur*, nec in huiuſmodi Monaſteriis vltra numerum earum, quæ ſine penuria ſuſtentari poſſunt, aliqua fæmina recipiatur, & ſi aliqua petit recipi, dicatur ei, quod Monaſterium non poteſt eam recipere, quia non habet vnde ipſam valeat ſuſtentare.

EXPENDE, mi Lector, ſingulas huius celeberrimi decreti partes; atque imprimis obſerua ſapientiſſimæ Academiæ modeſtiam in controuerſia tum temporis à Doctoribus, qui eius Iudicium rogabant, magnis animis agitata, neque enim alterutram partem damnat, aut grauiori nota configit, neque pro imperio pronuntiat, quid ſentiendum ſit, ſed *ad pacem conſcientiarum, & ædificationem animarum, quæ ſibi ſuper his videntur, exponit*. Cùm noui noſtri cenſores elato ſupercilio controuerſiam inter DD. variè diſceptatam non modò definiant, ſed eam prætera ſententiam, quam illuſtriores Theologi, & Iuriſperiti magno conſenſu ſequuntur, & quam ipſi Pontifices, ac Concilia, vti hactenus demonſtrauimus, tradiderunt, *tanquam falſam, ſcandaloſam, viámque aperientem omni Simoniæ committendæ configunt*. Quænam eſt iſta vel inſcitia, vel audacia? ſecundo ad præcipuam controuerſiam liceatne exigere à fæmina ingrediente Monaſterium, temporalia pro ſpiritualibus, ipſa nimirum Religione. Reſpondet Academia, *non licere exigere temporalia pro ipſis ſpiritualibus tanquam pretium ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus, faciendo commutationem vnius pro altero*. Igitur vbi non exigentur temporalia pro ſpiritualibus tanquam pretium ſpiritualium, faciendo commutationem vnius pro altero, licebit illa exigere. Quam conſequentiam nemo negabit, vt quid enim Academia non reſpondit abſolutè, & ſimpliciter temporalia pro ſpiritualibus, aut illis annexis exigi non poſſe, ſi in omni illa exactione Simonia eſt? Cur eam conditionem appoſuit, *vt pretium ſpiritualium, & faciendo commutationem vnius pro altero*, niſi quia in eo ſolùm caſu Simoniam agnouit? Quare tertio concedit eam exactionem cum his conditionibus. primo vt Monaſterium ſit reuerà tenue, neque habeat vnde recipiendam alere poſſit, ideóque ratione victûs exigat. ſecundo vt fæmina recipienda poſſideat bona, de quibus diſponere ex iure,

aut conſuetudine regionis valeat. tertio eiuſmodi exactio *non ſit coactoria ita quod eiciatur ſi non dederit*, quia in ea coactione præſumitur quædam venditio, & commutatio vnius pro altero. quarto denique, *vt in omnibus ſeruetur debitus modus, & recta intentio.* Itaque temporalia pro ſpiritualibus non modò dari, & capi, ſed etiam exigi poſſunt ex mente Academiæ, *modò ſeruetur debitus modus, & recta intentio.* Quæro igitur ab aduerſariis, in quonam conſiſtat *debitus ille modus*, & quænam exiſtat, *recta illa intentio*, ſiue quiſnam ſit indebitus modus, & minùs recta intentio, niſi vt dentur, temporalia *tanquam pretium ſpiritualium faciendo commutationem vnius pro altero.* An negare poſſunt, niſi cum Academia pugnare ſe fateantur, *rectam intentionem* excuſare à Simonia, dationem, & acceptionem temporalis pro ſpiritualibus? anne idcirco Academia Simoniam in ſola imaginatione conſtituit? an viam omni Simoniæ committendæ aperit, cùm quiſque facilè poſſit quam voluerit intentionem ſuſcipere, vel abiicere, vti ineptè contra nos argutari ſolent. Ad extremum quia fraudibus, quæ in hac re committi poſſent, occurrere voluerant Pontifices, prohibuerat Bonifacius VIII. ne fœminæ reciperentur ſupra numerum, quem Monaſterium ex ſuis redditibus alere poſſet. Vrbanus vero *v. temporalia ab ingredientibus Monaſteria quouis modo peti, vel exigi.* Has porrò Pontificias conſtitutiones ita explicat in ſuo decreto Academia, *vt conſuetudo communis, & diuturna ipſis derogare poſſit.* Docet itaque has conſtitutiones conſtituere nouum ius, neque declarare duntaxat naturale, & diuinum, quibus nulla conſuetudo derogare poſſit, vti reuera his conſtitutionibus derogaſſe videmus, cum paſſim dos à Monialibus recipiendis exigatur ad earum ſuſtentationem: Neque vllus hodiè damnat Simoniæ, non alia ſanè de cauſa, quàm quia dos illa non exigitur à Monaſteriis *tanquam pretium, faciendo commutationem vnius pro altero*, vti ſapienter monuit Academia ſuo illo decreto, quod nec haberemus, ſi noui iſti cenſores ſententiam rogati fuiſſent, qui illius doctrinam *falſam & ſcandaloſam, atque viam omni Simoniæ committendæ aperientem damnant*, dum talem eſſe pronuntiant, ſententiam quæ ad veram, & proprie dictam Simoniam iuris diuini, & naturalis aliquam pretij rationem eſſentialiter poſtulat, quæ eſt ipſiſſima Academiæ in ſuo illo decreto ſententia, vt vides. An tam proiectæ audaciæ fuerint aduerſarij, vt dicere, & ſcribere nō vereantur, ſe vnam Pariſienſis Academiæ ſententiam aduerſus noua iſta commenta tueri? an mentito tam illuſtri nomine nos opprimere, & plebeculam imperitam territare pergent?

Observa denique Academiam, quamuis affirmet poſſe dari temporalia pro ſpiritualibus in citato caſu ingreſsûs Monaſterij, *modò in omnibus ſeruetur debitus ordo, & recta intentio*, hoc eſt, vti ipſa ſeſe explicauit, *non tanquam pretium ſpiritualium faciendo commutationem vnius pro altero*, ſubiicere nihilominus, *Tutius eſſe, quod nihil petatur, vel exigatur.* Sequitur igitur Academia in ſolemni, & doctrinali definitione, atque decreto, & probat opinionem minùs tutam, eámque in vſu, & praxi permitti, quamuis contrariam tutiorem exiſtimet. Li-

cebit igitur ex mente Academiæ, Magiſtraliter, vt ita loquar, definientis, operari ex opinione minùs tuta. Hic aures arrige, Pamphile, qui tragædias in nos excitas, & tanquam morum corruptores, doctrinæque temerariæ, & ethnica philoſophorum Ethica infeſtioris, periculoſioriſque traducis, quod aliquando dixerimus, fas eſſe ex opinione probabili, & minùs tuta, relicta tutiori, operari. Hoc dixit ſuo decreto Academia, quin igitur illam ipſam vniuerſam damnas, & nouo decreto, atque audaci cenſura tanquam periculoſæ, & corruptæ doctrinæ ream percellis? O tempora! ô audax inſcitia! Illuſtriſſimæ toto orbe & principi Academiæ vadimonium dici, ream peragi corruptæ doctrinæ, & quam de quæſtione tunc magnis animis agitata in ſolemnibus comitiis poſt ſingula rei momenta diligentiùs expenſa, tulit ſententiam, quámque cæteri, qui ipſam conſuluerant, doctores velut quoddam Numinis oraculū excepère, per ſummam hodiè iniuriam damnati, eiúſque decreta nouis configi cenſuris, à quibúſnam verò vſque eò temerariis? Verùm de operatione ex opinione probabili, aut etiam minùs tuta te conuenie mus aliàs, Pamphile.

Maneat itaque communi Theologorum, Canoniſtarum, Pariſienſis Academiæ, ipſorúmque Pontificum, atque Conciliorum authoritate conſtitutum, Simoniæ veræ & propriè dictæ, diuino, naturalíque iure prohibitæ ita eſſentialem eſſe aliquam pretij, & venditionis rationem, vt ſine illa non ſit vera, & propria Simonia, de illa enim ſola diſputamus hoc loco. Ex hac porrò tam certa, conſtantíque doctrina doctorum omnium conſpiratione probata.

§. IX.

Defenditur Valentia.

Colliges primo iniuria traduci Valentiam inſignem toto orbe Theologum quaſi nouam ſententiam cuderit, dum 2.2.*diſp.6. quæſt.* 16.*punct.*3. *quæſitiunc.*1. negauit eſſe Simoniam, quoties temporale eſt tantùm motiuum dandi, vel efficiendi ſpirituale, aut è contrario; Et quando per temporale fit tantùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contrario; quia vt tranſactio ſit Simoniaca, oportet temporale eſſe pretium ſpiritualis, vel è contrario. Quod in duobus modis aſſignatis non reperitur, vt ibidem explicat Valentia; quia moueri ex conſideratione beneficij accepti ad rependendum aliquid aliud, vel in eodem, vel in diuerſo genere, non eſt emere, vel vendere, aut dare, vel accipere tanquam pretium; quod tamen ipſa Simoniæ definitio poſtulat, quod idem contingit, quoties ſpirituale datur pro temporali, aut è contrario, tanquam pro motiuo, quia id ſolùm eſt ex affectu, & inclinatione ad aliquid temporale, velle facere, aut conferre aliquid ſpirituale, vel è contrario; quod fieri poteſt, etſi vnum non detur tanquam alterius pretium, vt patet, neque eum qui propter ſtipendium miniſtrat Sacramentum, illud propterea vendit, neque committit Simoniam, vti fatentur omnes prorſus DD. & tamen ille mouetur eo ſtipendio ad eam adminiſtrationem. Quod verò Valentia probat in his modis non interuenire pretium, quia ad hoc requi-

requiritur, vnum commutari cum alio tanquam cum æquali, quod non fit quando quis mouetur duntaxat ex affectu, & inclinatione ad aliquid faciendum, vel dandum abſque vlla alia vel commutatione, vel comparatione, & adæquatione vnius cum alio, verè dictum, & malè reprehenditur ab aduerſariis; alioquin in omni prorſus actione, per quam vnum facimus ex affectu ad quidpiam aliud, eſſet vera venditio, & appretiatio, ſine qua nequit intelligi venditio. Inſulsè porrò inde colligunt aduerſarij contra Valentiam, nunquam dandam eſſe Simoniam, quia nullus ita ſtultus eſt, qui exiſtimet adæquari ſpirituale temporali: nam idem obiicietur contra quamcunque venditionem ſpiritualis, quam nemo niſi hæreticus poſſibilem eſſe exiſtimare poteſt, & tamen Simoniam abſque hæreſi paſſim admittunt Theologi cum S. Tho. Deinde reſpondet ipſe Valentia, eam appretiationem fieri ſecundum peruerſum affectum Simoniaci, qui eodẽ modo ſe gerit, atq; ſi adæquaret ſpirituale temporali. Denique in venditione, & appretiatione non ſemper reperitur adæquatio iuſta, nam licet quis ſciat rem plus, aut minùs valere, quàm prẽtium quod offertur, illam tamen ſæpius emit, aut vendit; dicitur nihilominus illam appretiare, quia illam ſub pretio ponit, vt loquebantur nuper DD. licet ſub pretio iniuſto, & iniquo. Immò inde maximè criminis huius fæditatem oſtendunt paſſim DD. quod *inappretiabile ponat ſub pretio*, in quo eſt ſanè quædam adæquatio, ſed iniqua; quia quæ ſunt inadæquabilia ex noſtro peruerſo affectu adæquare conamur, eodémque modo nos aduerſus illa gerimus, atque ſi adæquabilia forent, vti ſæpiùs cum allatis Doctoribus monuimus. Quid igitur nota dignum eſt in illa tota Valentiæ ratiocinatione, quæ neque noua, neque veteribus incognita, ſed ipſis communis fuit.

Obiiciunt ſecundo Valentiæ, quod ibidem in quæſtione ſecunda dixerit, dare ſpirituale pro temporali, aut è contrario, etiam principiliter, ſiue tanquam propter finem principalem, & motiuum, non efficere Simoniam; cùm tamen S. Thom. aliíque à nobis ipſis relati, fateantur eſſe veram Simoniam, quoties temporale eſt finis principalis, propter quem datur ſpirituale, & è contra. Nouam igitur, & inſolitam opinionem nobis obtrudit Valentia, & numquam ex ipſius mente committitur vera Simonia, niſi quando fuerit formalis, & expreſſa venditio, atque per pretium adæquatio, quod vix vnquam contingit.

Hanc inanem eſſe obiectionem vel vna Valentiæ lectio demonſtrat, quare vel illum non legêre aduerſarij, vel non intellexêre, vel vt haberent quod morderent, diſſimulauêre; ait enim diſertè Valentia, has circumſtantias finis, & motiui *non efficere Simoniam, niſi quatenus interdum efficiunt, vt temporale ſit pretium ſpiritualis, vel è contrario, atque adeò vt temporale non ſit duntaxat motiuum, aut gratuita compenſatio ſpiritualis, vel è contrario.* Quæ doctrina conſentit cum iis omnibus, quibus hactenus oſtendimus, intentionem, & finem principalem temporalis pro ſpirituali, vel è contrario, facere quandoque Simoniam, quia æquiualet venditioni, & tunc reipſa, licet non expreſsè, & formaliter, temporale eſt pretium ſpiritualis,

ritualis, vel è contrario, ex mente illorum ipſorum authorum, qui hunc loquendi modum vſurparunt, vti fuſius hactenus euicimus. Quod ipſum diſertè in verbis relatis explicat Valentia, qui in eo ſolùm diſſert, quod contendat fieri aliquando poſſe, vt in eo fine, & motiuo *temporale non ſit pretium ſpiritualis, aut è contrario, hoc eſt, vt non ita detur, aut fiat vnum propter alterum, quaſi tanti vnum æſtimetur, quanti alterum*; Ad quod tamen non eſt neceſſaria formalis illa, & expreſſa comparatio, ſed ſatis eſt, vt vnum detur in compenſationem, & pretium alterius, ciúſque duntaxat intuitu, omnibus aliis motiuis aut excluſis, aut minùs principaliter inſpectis, & attentis. Quia verò diſſident Authores circa illam intentionem, & finem principalem, cùm aliqui velint eſſe Simoniam quoties *principaliter* confertur ſpirituale propter temporale tanquam propter finem; alij verò negant, niſi illud temporale intendatur tanquam pretium, vti retulimus hoc & ſuperiori conſectario, quos ſolis vocibus diſſidere oſtendimus, cùm in illa intentione, & fine principali inuoluatur aliqua ratio pretij. Ad eius verbalis, vt ita dicam, diſſidij conciliationem, duplicem finis principalis acceptionem obſeruat hoc loco Valentia, quam nos quoque initio ex ipſo retulimus; nimirum alius eſt finis ipſius operis, aut rei ſpiritualis, quæ vi illius temporalis debetur, & qui dat illud temporale, exiſtimat ſibi fieri iniuriam, niſi detur ipſi illud ſpirituale, pro quo dedit tale temporale, tanquam ipſi proportionatum, & commenſuratum in æſtimatione, & valore, qui finis conſtituit Simoniam, & inuoluit rationem pretij: alius eſt finis operantis, ſiue applicationis ipſius ad operandum, aut conferendum aliquid ſpirituale, in quo non attenditur aut proportio, aut æquiualentia, ſiue æſtimatio aliqua temporalis, & ſpiritualis, ſed ſola proportio inter medium, & finem, cui obiiciendo tale medium vtile eſt; Neque vlla eſt obligatio ex Iuſtitia commutatiua dandi ſpirituale, in eo qui accipit temporale, ad extinguendam eiuſmodi obligationem; In eo fine operantis potiùs, quàm operis ipſius ſic explicato, negat Valentia reperiri vllam pretij rationem, nec conſequenter vllam eſſe Simoniam, quam ne ipſi quidem aduerſarij poſſunt eo caſu, iure affirmare. Non quæro autem, an illa finis principalis acceptio, quam explicuit Valentia, commoda ſit, hoc vnum contendo, eruditum & illuſtrem Theologum nullam hoc loco ſingularem, aut nouam ſententiam cudere, ſed communem, & antiquam tradere, veterum dicta, quæ inuicem pugnare videbantur, conciliare, atque verborum quorumdam tenebras ſubtili explicatione,& diſtinctione, nouáque luce diſpellere.

§. X.

Argumenta aduerſariorum in ipſos retorquentur.

Colliges ſecundo quàm parum ſapienter aduerſarij ex hac communi doctrina, quam ſolius Valentiæ, & noſtrorum hominum eſſe, falsò ſibi perſuaſerunt ex præiudicata quadam potiùs opinione, & maleuolentia, quàm ex ipſa Codicum noſtrorum attenta lectione, inferant nos conſtituere Simoniam in ſola

ſola quadam imaginatione, & intentione pretij, & adæquationis, atque venditionis, quam quilibet pro arbitrio deponere poterit, aut non aſſumere, niſi bardus omnino ſit, atque ita alio animo temporalia dare pro ſpiritualibus paſſim ſine Simonia. Atque hîc thraſonicè exclamant, nos & doctrinam, & mores corrumpere, & omnia ſacra impiare. Verùm quàm inſulsè iſta dicantur nemo ſapiens non videt, cùm enim docuerimus hactenus veram, & propriè dictam Simoniam, de qua ſola diſputamus, conſiſtere eſſentialiter in aliqua ratione venditionis, ſiue commutationis non gratuitæ, temporalis cum ſpirituali, eiuſmodi ſanè commutationem à Simoniaco intendi oportet, alioquin verè Simoniacus non erit, cuiuſcunque tandem rationis ſit ea intentio directa, vel indirecta, formalis, vel virtualis, aut æquiualens, eo denique modo quo in aliis actibus humanis, vt mali, aut boni ſint, requiritur, & ſanè in ipſamet definitione dicitur Simonia, *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpiritualia*, voluntas autem ſtudioſa ex omnium interpretum ſenſu eſt voluntas deliberata, cuiuſmodi non eſt ſine cognitione, & intentione libera obiecti in quod fertur; obiectum autem in quod fertur proximè Simonia, eſt emptio, & venditio; materia, ſiue obiectum remotum eſt ſpirituale, & ſpirituali annexum. In venditionem itaque, vel emptionem ſpiritualis debet ferri voluntas Simoniaca, quod non eſt aliud, quàm eam venditionem, vel emptionem intendere. Quis hoc neget niſi prorſus ſtolidus ſit? Anne igitur omnis Simonia in ſola imaginatione chimærica conſiſtet? ſanè non magis, quàm cæterorum vitiorum, & virtutum actus in ſola imaginatione, & chymæricis animi fictionibus conſiſtere dicuntur, licet ſine intentione obiecti ipſorum aut fieri, aut intelligi nequeant. Fruſtra verò docerem hoc loco, quam vim ad omnes actus morales habeat intentio, ſatis ſint quæ nuper ex Gerſone, & ſupplemento Gabrielis adduximus, ne lectoris abutamur otio in re tam trita, & vulgari. Hoc vnum quæro ab aduerſariis, an committatur Simonia, quotieſcunque datur temporale pro ſpirituali? ſi affirment, Simoniaci ſunt omnes, qui ſtipendia, oblationes, aliaque eiuſmodi pro ſacris miniſteriis accipiunt, omnéſque conſuetudines, aut etiam iura, quæ id permittunt, aut etiam aliquando dari iubent, refigenda prorſus erunt cùm Simoniam foueant, & omnes beneficiati, quia pingues beneficiorum prouentus pro titulo ſpirituali percipiunt, Simoniaci erunt. Si verò negent committi perpetuò, & neceſſario Simoniam in omni datione, vel acceptione temporalis pro ſpirituali, vel è contrario; exponant nobis, quandónam in iis caſibus non committatur. Neque aliud reſpondere poſſunt, quàm non committi, quando iſta dantur, & accipiuntur alio titulo, & motiuo, quam venditionis, emptionis, permutationis, & pretij; ſed liberalitatis, ſtipendij, Eleemoſynæ, & cæteris ſimilibus: Ea verò motiua, & tituli nunquid debent intendi à dante, & accipiente, vt vitetur Simonia: igitur Simoniam ipſi conſtituunt in ſola quadam imaginatione, & chymæra, & nullus Simoniacus erit, niſi ſtolidus aliquis, qui eam chymæram venditionis, & appretiationis, vti loquuntur veteres, ſibi finget, qui tribus antycyris purgan

 gan

gandus erit. Denique S. Thom. & alij veteres, qui conſtituunt Simoniam, quando temporale datur, vel accipitur pro ſpirituali, vel è contrario, tanquam propter finem principalem, & non cauſam motiuam, & vt alij loquuntur, adminiculantem; nunquid æquè conſtituunt Simoniam in intentione principali, aut minùs principali? Nunquid ipſis obiicere licebit idipſum quod nobis per ſummam calumniam ad rauim vſque obtrudunt aduerſarij, ex eorum mente Simoniam in imaginatione, & chymæra conſiſtere, & tolli omnem Simoniam, neque niſi à demente committi poſſe; quis enim non deponet illam intentionem finis principalis, & aſſumet pro libito alium finem minùs principalem, nempe non dabit, neque accipiet temporale pro ſpirituali, vel è contrario, tanquam propter finem principalem, ſed tanquam propter finem minùs principalem, propter ſtipendium, liberale donum, & cætera ſimilia, quamuis niſi iſtos fines minus principales non attenderet, non eſſet daturus ſpirituale, quod illi DD. fatentur, atque ita nulla erit Simonia. Illud igitur propter quod in inuidiam vocant noſtram, & communem, ſententiam aduerſarij, vorare totum ipſi coguntur, & S. Thomæ, totíque Scholæ, ipſíque Academiæ Pariſienſi obiicere.

Colliges tertio quàm iure noſtram hanc ſententiam, toti prorſus Scholæ probatam vti hactenus oſtendimus, ab Academia Pariſienſi damnari magna contentione ſatagant An non licet ab iniquo iudicio ad ipſammet Academiam prouocare? diſpiciat ipſa ſeſe, ſuffragia expendat, non numeret, ſenſus veterum qui immortalem illi eruditionis laudem pepererunt, exquirat, ſua monumenta reuoluat, & antiqua decreta perlegat. An illa S. Thomam, Albertum Magnum, S. Bonauenturam, Scotum, alióſque innumeros ſuos doctores ſanctitate, & eruditione eximios quorundam vociferationibus perterrita damnare dicenda erit, atque propudioſam, & nulla vnquam ætate delendam ſibi notam inurere velle? an antiqua ſua decreta à ſapientiſſimis ſuis doctoribus magna animorum conſpiratione lata, non factioſorum contentionibus extorta, ab omnibus deinde Academiis laudata, hodie ab ipſa refigi dicemus? Quis ad eius deinceps tribunal appellaret? quis, vti hactenus, orbis Magiſtram agnoſceret, quæ orbis Magiſtros, & doctores ſuis decretis iniquè configat? Maius ipſa ſibi profectò dedecus, quàm communi ſententiæ inuidiam tam inofficioſa cenſura pareret, licerétque iterum ab eius parum æquo iudicio ad omnes totius Europæ Academias prouocare. An illæ patientur celeberrimos DD. quibus & ipſæ gloriantur, illuſtriores nationum omnium, prouinciarum ſapientes, Cardinales, Epiſcopos, alióſque dignitate, & ſapientia conſpicuos, omnium Religioſorum Ordinum lumina, viros ſanctitate, & doctrina claros temeritatis, inſipientiæ, & minùs rectæ doctrinæ damnari, & tanquam moralis Theologiæ corruptores traduci, atque doctrinam, quam ipſæmet magno conſenſu ſequuntur, nigriori nota inſcribi? Cenſuram aduerſus ſe, ſuáſque Magiſtros latam noua ſine dubio cenſura expungent. Neque difficilè fuerit ipſarum ſenſa exquirere, & ſuis teſtata diplomatibus toti Europæ nota facere. An denique ſummus Eccleſia-

ſticæ doctrinæ æquè de moribus, atque de fide Magiſter pro veteribus & communibus Scholarum totius orbis doctoribus vindex non aſſurget, & factiones, quibus ipſam quoque ſedem Apoſtolicam occultè impeti facilè fuerit oſtendere, coërcebit?

Colliges ad extremum, quid cenſendum ſit de quibuſdam aliis propoſitionibus, quas nobis obiiciunt, & ex quibus nobis inuidiam concitant aduerſarij; non minus enim ſanas eſſe, atque communi DD. ſenſu probatas æquè facilè fuerit oſtendere, atque id de iſta circa Simoniam euincimus. Quod in aliis noſtris operibus, quæ ferè ſub prælo ſunt, vbi ſe dabit occaſio, in ſingulis materiis demonſtrabimus; idque iam circa quæſtionem de tribus contractibus in noſtro opere de vſuris. *lib. 6. toto* perfecimus. Contra quam doctrinam ſi quid interea grauius ſtatuatur vrgente malignantium factione, ab eo, vt iam monui, iudicio iure merito prouocamus.

QVÆSTIO III.

Quænam ſit materia, & obiectum Simoniæ.

Ex ſuperiori definitione Simoniæ, proximis quæſtionibus explicata, tria ipſi eſſentialia eſſe conſtat, nempe materiam, & obiectum, circa quod verſatur, quod dicitur aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, pretium, quod pro ea materia, & re ſpirituali exhibetur, & ipſum contractum oneroſum, quo fit venditio, vel commutatio Simoniaca. Quæ tria ſingillatim exponenda ſunt.

PROPOSITIO VNICA.

1 Omnis res ſpiritualis, & ſupernaturalis ad ſalutem animarum ſiue à Deo immediatè, ſiue ab Eccleſia per poteſtatem ſupernaturalem à Chriſto acceptam inſtituta, omníſque vſus eiuſmodi poteſtatis ſupernaturalis, eſt materia, & obiectum Simoniæ. Materiale item, & merè naturale annexum conſequenter, vel concomitanter ſpiritualibus, quia vel ab illis dependet tanquam eorum effectus, vel ita cum illis coniungitur, & quodammodo permiſcetur, vt vnum quoddam cum ipſis efficiat, eſt quoque materia Simoniæ: ſecus verò, quando materiale ſpiritualia, quæ ipſi accedunt, antecedit, & ad illa præſupponitur tanquam ſubiectum, aut cauſa, tunc enim temporale, & materiale illud vendibile eſt ex natura ſua, & ſecundum ſe abſque labe Simoniæ, modò in ea venditione, aut commutatione, alióve oneroſo contractu non attendatur connexio cum ſpirituali ad augendum, vel minuendum pretium. Poterit nihilominus ea venditio rei temporalis cum ſpiritualibus antecedenter connexæ, ab Eccleſia prohiberi intuitu Religionis, atque adeò materia impropriæ cuiuſdam Simoniæ, per eam prohibitionem conſtitui.

EXPOSITIO, ET CONfirmatio propoſitionis.

2 Prolixior paulò videbitur hæc propoſitio, ſed ampliſſimam de materia Simoniæ doctrinam ea perſpicuitatis luce, quam toto iſto opere quærimus, vix paucioribus complecti licuit.

Obſerva porrò, vocem, Spiritus, æquiuocam eſſe, eáque de cauſa definitionem rei ſpiritualis difficilem, & impeditam dixit Major *in 4. diſt.* 25, *quæſt.* 1. cùm aliquando rem corpoream, ſed tenuis cuiuſdam ſubſtantiæ, cuiuſmodi eſt habitus, aliàs incorpoream ſignificet, quod ex S. Thom. *in 4. diſt.* 10. monet Victo. *Relect. de Simon.* 1. *p. num.* 4. Et licet Buridan. *in 2. de am. quæſtoin.* 22. velit hoc nomen ex primaria ſignificatione impoſitum fuiſſe ad deſignandas ſubſtantias incorporeas; alij tamen contrarium contendunt, immò nonnulli grammarici faſtidioſa religione Deum, & ſubſtantias, à corporis contagio ſecretas ſpiritus nominari queruntur, quos loco allato eruditè caſtigat Victoria, Cypriani, Lactantij, Ambroſij, Hieronymi, Tertulliani, aliorúmque veterum PP. authoritate, quibus gracculi iſti, & anſeres conferre ſe non audeant.

3 Non vſurpamus tamen nomen rei ſpiritualis in definitione Simoniæ pro qualiber re incorporea, niſi & ipſa ſacra ſit, atque ſupernaturalis ad ſalutem animæ inſtituta. Quod vt aliqui ſignificarent, dixerunt, ſpirituale hoc loco deriuari ab ſpiritu increato. Verùm ſpiritualia naturalia, ſunt etiam ab ſpiritu increato. Rectiùs itaque Victoria vſurpat ſpirituale pro dono Dei, & Spiritus ſancti, nempe vt authoris ſalutis ſupernaturalis; cùm numquam in ſcripturis prohibeatur venditio rei ſpiritualis, eò quòd ſit ſpiritualis, & incorporea; ſed quia donum Spiritus ſancti eſt, cuiuſmodi ſunt ea omnia, quæ ſpectant ad ſpiritualem animæ ſalutem, aut ad illam ſunt ordinata; ſiue quæ à Deo, vt eſt author ſupernaturalis hominum, vel Angelorum Saluator, atque glorificator, procedunt, vel ad illum vt talem ordinantur. Quæ à Theologis, & Canoniſtis paſſim diſtinguuntur in tria genera, quædam enim ſunt ſpiritualia eſſentialiter, alia cauſaliter, ſiue vt alij loquuntur, antecedenter & diſpoſitiuè; & demum quædam ſunt ſpiritualia actualiter, ſiue effectiuè, & conſequenter, vt ex Antonin. Richard. Panormitan. aliiſque obſeruant Sylueſter, Tabiena, cæteríque ſummiſtæ *ver. Simonia*, quibus S. Thom. 2. 2. *& in* 4. præiuit.

Spiritualia eſſentialiter ſunt gratia ſanctificans, quæ vt ait Soto *lib. 9. de Iuſtit. quæſt. 6. art.* 1. eſt ipſiſſima vita ſpiritualis, & ſupernaturalis animæ; Charitas, cæteríque omnes habitus, atque virtutes ſupernaturales, quibus opera, & officia vitæ ſpiritualis, atque ſupernaturalis exercemus. Spiritualia cauſaliter ſunt ea, quæ cauſant gratiam ſanctificantem, vt Sacramenta, vel ad illam diſponunt, vt Sacramentalia. Spiritualia effectiuè, ſiue actualiter, ſunt actus gratiarum, & Chariſmatum, ac denique cuiuſcúnque doni, vel poteſtatis ſupernaturalis, vt prophetia, concio, diſpenſatio in voto, aliáque huiuſmodi, quæ dicuntur etiam à S. Thom *quodlib.* 8. *quæſt.* 6. *art.* 1. actus ſpirituales ex parte principij, quia licet eiuſmodi actiones externæ, & corporeæ ſint, atque naturales ſecundum ſe ſpectatæ, neque in ſua entitate à ſimilibus merè naturalibus differant, ſupponunt tamen in agente aliquid ſpirituale, & ſupernaturale principium vel ordinis, vel iuriſdictionis, vel donum aliquod gratuitum, vel diuinam inſtitutionem immediatam, aut med atam per poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ non eſt ſimpliciter huma 4

humana, & politica, ideóque ſunt ſpiritualia, atque ſupernaturalia effectiuè, ſiue actualiter, ſiue conſequenter, vti loquebantur veteres, quia ſunt actus, ſiue effectus alicuius rei ſupernaturalis, & ad illam conſequuntur. Poſſent quoque dici ſpiritualia finaliter, ſiue ex parte finis, nam eiuſmodi aliqua admittit S. D. *quodlib. citato.* quia ordinantur ſiue ex natura ſua, ſiue ex DEI, aut Eccleſiæ deſtinatione ad ſalutem ſupernaturalem, ad quam diſponunt, & ſuo ſaltem modo quidpiam conferunt, vnde etiam fit, vt hæc omnia ſacra ſint, & religioſa.

5 Spiritualibus quædam temporalia, ſiue materialia connectuntur, & dicuntur ſpiritualia per annexionem, idcircò primam diuiſionem ſpiritualium faciunt aliqui in ea, quæ ſunt ſpiritualia per ſe, & ea, quæ ſunt ſpiritualia per connexionem, quia verò omnis annexio fit ratione vinculi, quod intercedit inter rem annexam, & illam, cui annectitur, neque intelligi poteſt eiuſmodi vinculum inter rem materialem, & ſpiritualem, naturalem, & ſupernaturalem, niſi in aliquo genere cauſæ, finalis, materialis, vel efficientis; formalis enim inepta eſt hoc loco, cùm vna res non poſſit eſſe forma conſtitutiua alterius, fit vt triplex connexio reperiatur inter materialia, & ſpiritualia, aliquando enim res materialis aliquo modo ordinatur ad ſpiritualem tanquam ad finem; aliàs ab ipſa dependet tanquam à cauſa efficiente; aliàs in ipſa recipitur tanquam in materia, aut potiùs cum ipſa coniungitur tanquam materia, & forma in Phyſicis ad componendum, conſtituendúmque vnum aliquod totum ex ſpirituali, & materiali conſtans, quod Caiet. *ver. Simonia.* duplex facit, aliquando enim in eo compoſito ſpirituale eſt magis principale, aliàs minùs; quia tamen Caiet. non explicat, vnde certò cognoſcamus, quandónam ſpirituale ſit minus, aut magis principale in eo compoſito, & quandónam ſe habeat inſtar formæ, quæ ſemper eſt præcipua pars, quando verò vt materia; idcircò ea diuiſio nobis obſcura videtur, & incertæ regulæ, quas ex ea tradit; perſtamúſque in ea diuiſione, quæ ſumitur ex diuerſa annexione ſpiritualis cum materiali, ſecundum triplex vulgatum cauſæ genus, quam diuiſionem admittunt vulgò DD. cùm tria faciunt genera adnexorum; quædam enim adnectuntur antecedenter, quia ſunt cauſa eius, cui adnectuntur, cauſa ſiquidem perpetuò antecedit ſuum effectum; alia ſunt adnexa conſequenter, quia ſunt effectus eius, cui adnectuntur, quandoquidem effectus neceſſariò ſuam cauſam conſequitur. Alia denique connectuntur concomitanter, quia intrinſecè coniunguntur, veluti partes ad conflandum vnum totum: Ex partibus autem nulla eſt prior altera in ratione partis actualis, ſed ſimul omnes ſe ipſis totum componunt.

Illa igitur dicuntur annexa ſpiritualibus antecedenter, quæ ipſa præcedunt: ſic vaſa ſacra, templa, panis, & quælibet alia materia Sacramentalis, cæteráque materialia, quæ exiſtunt antequam acceſſione conſecrationis, & ſpiritualitatis, vt ita dicam, ſpiritualia, atque ſacra fiant, neque ea ſpiritualibus accedunt, aut propriè annectuntur, ſed potiùs ipſis ſuperuenit ſpiritualitas.

Conſequenter annexa ſpiritualibus ſunt quædam materialia, quæ dependent à ſpiritualibus, eáque ne-

ceſſariò ſupponunt tanquam ſui cauſas, vt beneficiorum Eccleſiaſticorum præbendæ, & emolumenta, quæ ſupponunt officium, ordinem Clericalem, & ius, ratione quorum percipi poſſint; hæc autem omnia præſuppoſita ſunt ſpiritualia.

Denique concomitanter annexa, ſunt actiones quædam materiales, quæ intimè connectuntur ſpiritualibus muneribus, & vnum cum illis efficiunt, ſunt enim ipſa exercitia, & functiones eiuſmodi munerum; cùm enim ea munera ſpiritualia exerceri nequeant, niſi per actiones materiales, ex actione materiali, & ſpiritualitate muneris, vt ita dicam, fit vnum quoddam, quod dicimus exercitium, ſeu functionem muneris, aut poteſtatis ſpiritualis, eiuſmodi ſunt actiones Sacramentorum, Sacramentalium, poteſtatis ordinis, & iuriſdictionis ſpiritualis, & cæteræ ſimiles, quæ licet corporeæ ſint, dici tamen abſolutè poſſunt ſpirituales. Quæ cauſa fortaſſe fuit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. aliiſque Theologis, vt hoc poſtremum membrum connexionis cum ſpiritualibus per concomitantiam omitterent, eo quòd non tam hîc ſit connexio, quàm intima quædam vnio, & compoſitio rei, & actionis ſimpliciter ſpiritualis; ita vt in ordine ad Simoniam, de qua tractamus, ſeiungi nequeant hæ rationes in actione v. g. Sacramentali, ſimiliue functione ſpirituali, quia tamen reuerà aliquid materiale, & aliquid ſpirituale, quamuis non entitatiuè diſtinctum aſſignare licet in iis actionibus, ideircò hanc connexionem per modum concomitantiæ, & intimæ cuiuſdam vnionis ad componendum vnum totum ſimpliciter ſpirituale, adiunxit Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *num.* 10. Richard. *ibid. eâdem diſt. art.* 3. *quæſt.* 3. Redoan. 1. *p. de Simonia. cap.* 7. *ſub fin. & cap.* 27. *& cap.* 29. *num.* 2.

6 Ex quibus vides, malè inter ſpiritualibus annexa numerari à nonnullis quædam, quæ ſunt ſpiritualia, vt Sacramentalia, Exorciſmum, Catechiſmum, & alia quædam, quæ eo quod ad Sacramenta, & gratiam obtinendam diſponunt, dicunt eſſe antecedenter annexa ſpiritualibus, in quibus etiam numerat Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99 ea quæ in habente requirunt Chriſtianiſmum, quale eſt ius patronatûs, ius ſepulturæ, Calix conſecratus; quod poſtremum difficillimum intellectu eſt. Conſequenter autem annexa ſpiritualibus dicunt ea omnia, quæ ſunt coniuncta cum ſpiritualibus officiis, tanquam ab illis dependentia, in quibus Sylu. *ver. Simonia. quæſt.* 1. numerat functiones Sacerdotij, vt Miſſæ celebrationem, confectionem Corporis Chriſti, officium Canonicum, Miniſteria Ordinum. Nauarr. autem *loc. cit.* ea omnia, quæ in habente requirunt aliquem ordinem, vel conſecrationem præter baptiſmum. Qui omnes reiiciendi ſunt; annexa enim ſpiritualibus non dicuntur ea, quæ cum ſint in ſe ſpiritualia, aliis tamen ſpiritualibus annectuntur in aliquo genere cauſæ; ſed ea quæ materialia cùm ſint, ratione tamen connexionis, quam habent cum ſpiritualibus, fiunt quodammodo ſpiritualia, atque inter illa recenſentur; de illis enim quæritur, an ſint materia Simoniæ; in qua quæſtione non conſiderantur reduplicatiuè vt ſunt connexa ſpiritualibus, & vt ſic informantur ſpiritualitate, ſic enim ſunt verè ſpiritualia, ſed ſpecificatiuè tantùm ſecundum ſuam entitatem, & natu-

ram

ram tum phyſicam, tum artificialem, quam non admittunt ratione connexionis, quam habent cum ſpiritualibus; quæritur enim, vtrum non obſtante ea connexione, poſſint ſecundum ſe ſpectata vendi abſque labe Simoniæ, v. g. Calix conſecratus non conſideratur vt conſecratus, ſub ea enim conſideratione vendi nequit, ita vt vendatur ipſamet conſecratio, aut ratione illius pretium calicis augeatur; ſed conſideratur ſecundùm ſuam materiam ſecundum quam antecedebat conſecrationem.

Ratio verò, propter quam in iſta connexione cum ſpiritualibus accipiamus ſola materialia, non autem ſpiritualia, aliis ſpiritualibus annexa, eſt quia cùm diuidamus ſpiritualia, in ea quæ talia ſunt in ſeſe, & ea quæ ſunt tantùm per annexionem, ſi in hoc poſteriori membro collocaremus, quæ ſunt ſpiritualia in ſeſe, quamuis cum aliis quoque ſpiritualibus tanquam cum ſuis cauſis, aut effectibus coniungantur, vnum membrum diuidens includeret aliud, atque adeò inepta foret diuiſio. Deinde magna rerum perturbatio oriretur, neque ſatis, quæ in ſe materialia ſunt, ab iis quæ ſunt ſpiritualia, diſtinguerentur, aut tertium membrum aſſignandum foret, quare vel inadæquatam, vel confuſam diuiſionem haberemus. Quod non videntur ſatis attendiſſe plurimi veteres; aut denique pauciſſima, quæ per ſe ſpiritualia ſunt, haberemus, nimirum ſolam gratiam habitualem, & poteſtatem ſupernaturalem ordinis, atque iuriſdictionis: Miniſtrationes verò Sacramentorum, quæ in omnibus, præterquam in Euchariſtia, ſunt ipſæ confectiones Sacramentorum, functiones ordinum, aliàque quæ ſpiritualia eſſe conſtat, non eſſent tamen talia, niſi per adnexionem, quæ eſt impropriiſſima locutio.

Neque etiam placent, qui in his annexis recenſent benedictiones, conſecrationes, Officium Canonicum, Sacramentalia, & ſimilia ab Eccleſia inſtituta. Nam cùm per eam inſtitutionem Eccleſiaſticam, quæ poteſtate ſupernaturali à Chriſto communicatâ deriuatur, veram ſpiritualitatem conſequantur, verè ſpiritualia ſunt & in ſe, & non ſolùm ratione connexionis, quam habent cum aliis ſpiritualibus, ad quæ diſponunt, aut quorum effectus ſunt ex deſtinatione Eccleſiæ, vt de tonſura, ordinibus minoribus, Sacramentorum ſacris cæremoniis fatentur omnes. Spiritualitas itaque, quæ oritur ratione connexionis, attendenda erit in re materiali ſecundùm ſe, & quæ per eam connexionem ſpiritualis facta fuit, non autem in re ſecundùm ſe ſpirituali, quæ cum alia item ſpirituali ſiue eiuſdem, ſiue altioris cuiuſdam ordinis nexum aliquem habet, tanquam effectus cum cauſa, aut diſpoſitio cum forma, ad quam tendit.

OBSERVANDVM ſecundo eſt, ſpiritualia vendi poſſe duobus modis. primo ſecundùm ſe, ſiue vt alij dicunt, quoad habitum ſecundo ſecundum vſum, vel quoad actum. 7 Et quidem quoad habitum, vix ſpiritualia vendi poſſunt in abſtracto, ita vt gratia ſanctificans, vel ſcientia, vel character, qui eſt in aliquo, transferatur in alium, quem afficiat, & à quo poſſideatur. Poteſt tamen vendi primo tum in concreto cum ſubiecto, in quo eſt, vt ſi vendatur vir doctus, aut ſanctus, quia doctus, & ſanctus, & ratione doctrinæ, atque ſancti

ſanctitatis pluris vendatur; tum ratione actionis productiuæ ipſius, nam quando res & forma ſpiritualis poteſt per noſtram actionem in alio fieri, & produci, tunc ſi actio per quam, entitatem ſpiritualem in alio producimus, vendatur, dicitur vendi quoque eius actionis terminus, & effectus, quamuis neque ſeparatus à ſua actione vendi poſſit, neque vt ſic ſit in noſtra poteſtate, ſufficit enim ſi ſimus Domini actionis productiuæ talis termini, illámque vendamus; neque enim alio ferè modo venduntur qualitates, quam quia earum ſubiecta vna cum iis venduntur, aut actiones per quas producũtur; ſic non tantùm venditur figura, & pulchritudo, quia venditur tabula, in qua figura eleganter depicta fuit; ſed ſi quis pulchritudinem in alterius facie depingere poſſet, vendendo illam actionem pingendi, venderet pulchritudinem per illam productam: ſicut etiam vendit figuras, quas in alterius tabella eius coloribus pingit, quia vendit actionem, per quam illas delineat. Quoties igitur aliqua actio eſt in noſtra poteſtate, & dominio, & à nobis venditur, eius quoque effectus, & terminus venditur, non in concreto, & cum ſuo ſubiecto, quod tunc non venditur, ſed ſecundum ſe; quia tota actio productiua non æſtimatur, neque venditur, niſi propter terminum, cuius eſt productiua.

Secundo venditur res ſpiritualis quoad vſum, ſiue quoad actum, quando meus actus ſpiritualis poteſt alteri eſſe vtilis, & quia licet non poſſim meum illum actum in alium transferre, vti iam monui, illum tamen non elicio, niſi alterius cauſa, aut ad ipſius arbitrium, atque ad tale exercitium pretium aliquod paciſcor. Quæ omnia clariora fient percurrendo varias entium ſpiritualium, tum naturalium, tum ſupernaturalium ſpecies. Anima, intellectus, voluntas, cæteræque eius potentiæ, ſiue ſpirituales, ſiue corporeæ non poſſunt ita vendi ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt in alium transferantur, in eóque phyſicè maneant, vti ſtatim apparet: quod idẽ contingit in habitibus, qui noſtris potentiis inhærent, atque etiam in actibus immanentibus, & internis earundem potentiarum; poteſt tamen vendi in concreto tum anima, tum intellectus, tum habitus, eiúſque omnis actus, ſi homo ſeipſum alteri vendat, aut ſi ſuam artem, vel doctrinam ita ciuili alterius dominio ſubiiciat, vt non poſſit iure vti ſua doctrina, arte, aut facultate, niſi ad ipſius nutum, illíque tantùm, eiúſque commodis, atque vtilitatibus laborare. Deinde vendi poſſunt opera, quæ fiunt per hæc ſpiritualia principia, ſiue ea ſint cauſæ, ſiue actiones tantùm, cùm enim opera externa, quæ procedunt ab eiuſmodi principiis internis, in alterius vtilitatem, & commodum cedere poſſint, nihil repugnat ea opera vendi, atque vna cum ipſis actiones, quibus ſimilia opera exercentur, vendi dicentur. Ex his porrò operibus, quæ ab intellectu, eiúſque habitibus producuntur, alia ſunt corporea ſiue tranſeuntia, vt pulſatio cytharæ; ſiue permanentia, vt pictura, domus, cæteráque artium factiuarum opera, quæ omnia vendibilia eſſe nemo dubitat. Alia ſunt ſpiritualia, quia, quamuis fiant quoque per actiones ſenſibiles, & materiales, proximè tamen, & per ſe ordinantur ad inſtruendam mentem alterius, eiuſque voluntatem mouen

mouendam, & dirigendam, vt ſcientia, doctrina, conſilium, exhortatio, producunt enim ſuo modo in alterius mente, aut voluntate quidpiam ſpirituale, & quia tota iſta actio externa de facto vendi poteſt, eius quoque terminus, qui, vt dixi, ſpiritualis eſt, venditur reipſa, venditur præstereà labor, qui cum eiuſmodi actionibus coniungitur, quíque ſæpè improbus eſt.

Venio ad ſpiritualia ſupernaturalia, in quibus primum locum obtinét, quę ſunt eſſentialiter, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſupernaturalia, vt gratia ſanctificans, omnéſque habitus ſupernaturales. Hæc porrò venduntur reipſa in concreto, ſi vendatur ſanctus, aut Chriſtianus, quà Chriſtianus aut ſanctus, tunc enim venditur ſanctitas, & fides cum ſuo ſubiecto. Deinde venduntur hęc omnia ſecundùm ſe, quando venditur actio, per quam in alio producuntur. Sic Sacerdos, qui vendit abſolutionē, aut collationem ordinis, adminiſtrationem baptiſmi, Confirmationis, alteriúſve Sacramenti, vendit vnà gratiam Sacramentalem, atque characterem, omnéſque habitus, qui vnà cum gratia ſanctificante producuntur, quia hæc omnia ſunt terminus productus ab actione vendita; immò quæ neque æſtimatur, neque venditur, niſi quia eſt productiua talis termini ſpiritualis, & ſupernaturalis, ſiue reipſa tunc producatur, vti ſæpè contingit, cùm malitia operantis non impediat Sacramentorum effectus; ſiue non producatur propter indiſpoſitionem ſubiecti; ſatis enim eſt, ſi hæc actio externa, quæ venditur, non conſideretur, quatenùs eſt ſacra, atque ſupernaturalis ratione termini, cuius eſt productiua.

Quarè qui negarunt cum Panormit. *in cap. Conſulere. de Simonia. num.* 3. Tabiena *ver. Simonia. num.* 7. Angel. *ver. eodem. num.* 1. ſpiritualia per eſſentiam, qualia ſunt gratia ſanctificans, & dona Spiritus ſancti de facto vendi poſſe voluerunt tantùm ea nude ſecundum ſe, & in abſtracto ſpectata non eſſe vendibilia, cùm vt ait Soto *lib. 9. quæſt. 6. art. 1. initio*, dementia ſit cogitare, quemquam poſſe illa in alium ſiue dono, ſiue pretio transfundere; non negarunt tamen hæc omnia coniuncta cum ſubiecto, in quo ſunt, aut cum actione, quam terminant, donari, vel vendi reipſa, ſiue de facto, quamuis non de iure.

Ex quibus interpretaberis Hieronym. *in cap. 3. Michæe*, vbi dicit 9
Spiritum ſanctum nec emi, nec vendi poſſe, nempe ſecundum ſe ſpectatum, neque propterea negat Hieronymus, actionem, qua datur Spiritus ſanctus de facto vendi potuiſſe. Difficilè tamen eſt, quod *ibidem* addit potuiſſe Petrum vendere S moni, quod ab ipſo petebatur, ſed oblatam pecuniam cum offerente damnaſſe. Quibus verbis videtur Hieronymus docere, licitam fuiſſe venditionem poteſtatis miraculorum, & dandi Spiritum ſanctum, quod falſiſſimum eſt, vt inferiùs oſtendam. Sed hæc lucem fortaſſis aliquam accipient ex Vrban. II. in ſua Epiſtola, quam ad Propoſitum S. Iuuentij apud Ticinum dedit, quámque integram ſuæ collectioni inſeruit Deusdedit *par.* 2. eius autem fragmentum Gratian. 1. *quæſt. 3. cap. Saluator.* Explicans igitur Vrban. illa Petri verba. *exiſtimaſti donum* Dei *pecunia poſſideri.* ſic ait. *Donum quippe* Dei *eſt res ipſi Eccleſia oblata. Et ſi benè animaduertis, Simon Magus, qui ad fidem*

M *ficte*

fictè acceſſit, non Spiritum ſanctum, propter Spiritum ſanctum, quo ipſe erat indignus (quoniam vt ſcriptum eſt, Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum) ſed ideò, quantum in ipſo erat, emere voluit, vt ex venditione ſignorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Nec Apoſtolus emptionem Spiritus ſancti, quam benè fieri non poſſe nouerat, ſed ambitionem quæſtus talis, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus in eodem Simone exhorruit, & maledictionis iaculo perculit. vides Vrbanum ſapientiſſimè explicare, quomodo in hoc infami commercio Simoniacorum dici poſſit vendi, aut non vendi Spiritum ſanctum. Neque enim venditur Spiritus ſanctus ſecundùm ſe, & in ſua perſona, cùm ſic non ſit in hominis dominio, non etiam petitur ab emente Spiritus ſanctus propter Spiritum ſanctum, cuius Maieſtate, aut præſentia non mouetur ſacrilegus mercator, ſed propter turpe lucrum, quod cùm eius donis coniunctum eſſe exiſtimat. Hócque vnum voluit Simon, nimirum ſibi paucis aliquot nummis comparare artem faciendi ſigna, quibus dabatur Spiritus ſanctus, & opera extraordinaria, quæ virtute Spiritus ſancti fiebant, vt inde quæſtum facere propudioſo mercimonio liceret. Quare Petrus non negauit vendere Spiritum ſanctum propriè, & ſecundùm ſe, cùm id ab ipſo nequaquam peteretur, ſed ambitionem quæſtûs, & auaritiam damnauit, eò quòd vnà cum poteſtate, quæ petebatur, venderetur & ipſe Spiritus ſanctus, quantùm vendi, aut emi poteſt; eò quod cum eiuſmodi donis eorum author vendi cenſeatur: quod verius multo eſt, quando per actionem, quæ venditur, communicatur Spiritus ſanctus, quandoquidem intelligi non poteſt, vendi actionem, & eius terminum non vendi, vti fuit explicatum, valétque hoc loco maximè, quod Vrban. refert ex ſuo prædeceſſore Paſchali I. *Quiſquis eorum alterum vendiderit, ſine quo alterum non prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Si enim hæc vera ſunt de rebus ipſis materialibus & corporalibus, vt loquitur Paſchalis, Eccleſiæ conſecratis, vti oſtendemus inferiùs, multò id veriùs erit in actionibus, aliiſque concomitanter annexis cum rebus ſpiritualibus, & quæ ad communicationem Spiritus ſancti ex diuina inſtitutione certò, & infallibiliter terminantur. Quarè addit Vrban. *Quod verò Spiritum Sanctum, quantum in ſe eſt, vendat, vel emat, qui præpoſituram, vel aliquid huiuſmodi vendit, vel emit, audi Auguſtinum ſuper Ioan. O quot Præpoſituras fecerunt; alterum Præpoſitum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Mauritania illi, & illi, quos iam nec nominare ſufficimus. Circuit ergo aliquis emere columbam, vnuſquiſque laudat Præpoſitum ſuum, quod vendit,* &c. *Ecce venerabilis Auguſtinus de Præpoſituræ diſtractione agens, nomine Columbæ Spiritus ſancti venditionem, vel emptionem accipit, ſicut & omnes huius Euangelici Capituli tractatores.* affirmat igitur Pontifex, tum ex communi omnium interpretum ſenſu, tum maximè ex Auguſtini mente, vendi reipſa columbam, & Spiritum ſanctum, quantum vendi, & emi poteſt; Ergò & gratia ſanctificans, ac reliqua dona Spiritus ſancti eadem ratione vendibilia erunt, qua ipſe Spiritus ſanctus,

ctus, non quod vi venditionis, & emptionis conferatur Spiritus ſanctus, aut eius pretioſa dona, quamuis ea omnia donentur per actionem venditam, eò quòd DEVS, qui ea dona illi actioni illigauit propter prauam operantis intentionem, ſuam promiſſionem non violet. Verba porrò Auguſtini, quæ adducit Vrban. habentur *tract.* 10. *in Ioannem*, vbi plura alia, quæ omiſit Pontifex, tradit, quibus & emi, & vendi Spiritum ſanctum pretio honoris, & pecuniæ, apertè, & non tantùm figurata locutione ſignificat, & reuerà Simonem Spiritum ſanctum emere voluiſſe, vt infame mercimonium deinceps faceret, hoc eſt, vt dicebat Vrban. *non propter ipſum Spiritum ſanctum*, ſed vt illum tanquam vilem aliquam mercedem aliis deinde diſtraheret. *Simon ille ideò*, inquit Auguſtin. *volebat emere Spiritum ſanctum, quia vendere volebat Spiritum ſanctum, & putabat Apoſtolos mercatores tales eſſe, quales Dominus de templo, flagello eiecit.* Addit hæreticos pretio honoris, & Cathedrarum vendere Spiritum ſanctum. *Qui ergò vendunt Columbas, fratres, qui dicunt nos damus Spiritum ſanctum. Quarè enim hoc dicunt, & quo pretio vendunt? pretium honoris ſui accipiunt, accipiunt pretium Cathedras temporales, vt videantur ipſi vēdere Columbas. Columba non eſt venalis, gratis datur, quia gratia vocatur.* deſcribit itaque Auguſt. Donatiſtas tanquam propolarios, qui laudent, quod vendunt; ſubditque verba relata ab Vrban. qui tamen mendoſos Codices nactus fuiſſe videtur, ait enim Auguſt. *Quot propoſita fecerunt*, vbi legit Vrban. *Prepoſituras. alterum prepoſitum habet Carthagine, & vnuſquiſque prepoſitum ſuum laudat*; Cùm in Auguſtino legatur. *vnuſquiſque ad propoſitum ſuum laudat, quod vendit.* Sed hæc vocum varietas non mutat ſententiam quoad venditionem Spiritus ſancti, de qua agimus. Vox enim propoſiti aliquando ſignificat apud Auguſt. ſectam, vt *lib.* 2. *contra Creſcon. cap.* 56. Iſti igitur, qui vendunt Columbas, & Spiritum ſanctum, in varias ſectas diuiſi ſunt, & ſinguli ſuam ſectam, & propoſitum laudant; ſinguli ſe dare Spiritum ſanctum promittunt, atque ea promiſſione *Cathedras temporales* nundinantur, itáque *Columbam* vendunt. Vides igitur vendi Spiritum ſanctum, eúmque emere voluiſſe Simonem, quatenus voluit eius communionem, ſiue poteſtatem illum communicandi, emere, eáque communicatione lucrum facere, vt iam diu obſeruarunt Chryſoſt. *hom.* 13. *in cap.* 8. *Actor.* Epiphan. *hær.* 21. Cyrill. *catech.* 16. qui obſeruat Simonem non petiiſſe *Spiritus ſancti communionem, ſed poteſtatem, vt aliis venderet, quod non erat venale, quod ipſe non poſſiderat.* Et ſanè petit, vt cuicúnque manus impoſuerit, Spiritum ſanctum accipiat; quaſi velit pecunia dominium Spiritus ſancti acquirere, qua de cauſa Simoniacos pejores dixit Macedonianis Tharaſi. Conſtantin. *Epiſtola ad Hadrian. Roman.* quia Macedoniani creaturam eſſe Spiritum ſanctum nugabantur: Simoniaci verò ipſum, ſeruum ſuum efficiunt, cùm eius dominium, ita pecuniâ ſe comparare exiſtimant, vt deinde ipſum aliis pro arbitrio conferant.

Maneat igitur, Spiritum vendi, & emi non ſecundum ſe, ſed vendita actione, per quam communicatur, aut cuius ipſe author eſt, atque ita PP. ſententias optimè in-

ter ſe cohærere, licet alij aſſerant, hanc vend tionem, alij illam vt poſſibilem negent; cùm alij loquantur de Spiritu ſancto ſecundum ſe ſumpto, alij prout eſt, alicuius actionis ipſius communicatiuæ, donorúmque illius productiuæ terminus, aut author miniſterij, quod eius duntaxat virtute exercetur.

Iam verò quod attinet ad illa verba Hieronymi *in cap. 3. Mich.* ſuperiùs allata. *Poterat vtique* (Petrus) *Simoni Mago vendere, quod petebat, immò poterat ſimulare vendentem, Spiritus enim ſanctus nec venundari, nec emi poterat, ſed oblatam pecuniam cum offerente damnauit.* non difficilem habent intellectum, neque enim vult Hieronym. iſtud mercimonium licitè potuiſſe exerceri. Sed cùm ibi inſectetur Clericorum auaritiam, qui ædificabant Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate, & in munere iudicabant, atque in mercede reſpondebant. Proponit Petri integritatem, qui ſe oblatæ pecuniæ cupiditate minimè in tranſuerſum agi paſſus eſt, cùm tamen fucum aliquem ſuæ auaritiæ obtendere potuiſſet; nimirum ſi ſimulaſſet venditionem ad emungendam pecuniam ab impio mercatore, vt qui probè ſciret Spiritum ſanctum neque emi, neque vendi poſſe. Et ſanè tentatam hoc caſu fuiſſe Apoſtolorũ ſententiam à dæmone, qui Simonis impotenti auaritia, & ambitione vtebatur, indicat Cyrill. *catech. citata*, & apertiſſimè fatetur ipſemet Petrus apud Clement. *lib. 6. conſtitut. cap. 7. ſcilicet*, inquit, *conſilium, & voluntas diaboli erat, vt ipſum Adam poſt deguſtatum cibum interdictum, promiſſa immortalitate priuauerat, ſic nos pecunia delinitos, & captos dono* Dei *priuaret, ſi hac permutatione facta donum Spiritus ſancti, quod æſtimationem ſuperat, nummis ipſi adiceremus.* Simonem prætereà non prætuliſſe niſi liberalem animum, indicat Clem. Roman. *cap. 6. & 7. lib. 4. conſtitut* vbi Petrus prohibet, ne ſuſcipiantur oblationes iniquorum, docétque exemplo ſuo, qui Simonis oblationem repudiauit, nempè in animum offerentis inſpexit; & vt *lib. 6. cap. 7.* loquitur *in maleficam ſerpentem, qui in eo erat:* vnde & dixit, *cor tuum non eſt rectum coram* Deo, quia neque eius animus gratus Deo, neque ſimplex, ſed obliquus erat. Ambroſi. *lib. 2. de pœnit. cap. 3.* negat ipſum habuiſſe *puram conſcientiam fidei*, & Origen. *hom. 16. in Matth.* comparat ficui arefactæ, quæ tamen viuens, & viridis videbatur, eúmque ſimulata innocentia Chriſti diſcipulum mentitum eſſe, eam perſonam detraxit Petrus, fel amaritudinis, in quo erat, & obligationem iniquitatis, qua irretiebatur, aperuit. Vrban. II. *Epiſtola nuper citata*, inquit, Simonem ad fidem fictè acceſſiſſe, indignúmque fuiſſe Spiritu ſancto, quem petere ſe ſimulabat, cùm reuerà lucri occaſionem captaret, Spiritum autem ſanctum effugere fictum, Petrum eam *quæſtus ambitionem, & auaritiam deprehendiſſe, exhorruiſſe, & maledictionis ſæculo perculiſſe.* valebat igitur ad Hieronymi inſtitutum, & ad carpendas ſordes, atque auaritiam Clericorum, Petri eximium exemplum, & ſingularis abſtinentia, qui pecuniã oblatam abiecit, quamuis honeſtæ cauſæ prætextus non deeſſet, neque vlla turpitudo in ea actione primo conſpectu ſe proderet, virúſque totum in animo Simonis lateret.

Hactenus de vendibilitate gratiæ

tiæ ſanctificantis, atque ſupernaturalium habituum, donorum, atque qualitatum permanentium.

10 Major videtur difficultas circa actus internos, & ſpirituales eiuſmodi habituum, neque enim aut ſecundum ſe, & in abſtracto vendi poſſunt, neque ratione actionis, quam terminent, & per quam in alio producantur, vt contingit in gratia ſanctificante, charactere, & ſi quæ ſit alia qualitas, quæ per Sacramenta producatur. Poteſt tamen iſta vendibilitas duobus modis explicari. primo ſi gratia alterius, aut ad eius arbitrium fiat, illud enim vendi de facto, non de iure poterit. v. g. vendo meum actum fidei, aut charitatis, quatenus tibi ad impetrationem, aut ſatisfactionem vtilis eſſe poteſt. Aut, obligo me ad eliciendum eiuſmodi actum, quando iuſſeris.

De poteſtate ſupernaturali Ordinis, & iuriſdictionis, eiúſque actibus non poteſt excitari controuerſia, tum quia actio collatiua illius poteſtatis cum externa ſit, vendibilis eſt, tum quia eius poteſtatis actus omnes, ſunt miniſteria quædam ſenſibilia, quæ de facto vendibilia ſunt, eadémque ratio valet in iis omnibus, quæ ſunt ſpiritualia cauſaliter, vt Sacramenta, & Sacramentalia; aut effectiuè, vt actus chariſmatum, & donorum, atque etiam poteſtatis ſupernaturalis; cùm enim omnia iſta aliquid ſenſibile contineant, vendilia erunt de facto. Atque adeò multò magis materialia, quæ ſpiritualibus tantùm ſunt annexa ſiue antecedenter, ſiue conſequenter, ſiue concomitanter; ea enim connexio non tollit ab ipſis materialitatem, & impedit quidem aliquando, ne licitè vendi poſſint; non autem facit, vt non ſint de facto vendibilia.

His obſeruatis perſpicuus eſt propoſitionis noſtræ ſenſus, continet ea quatuor vniuerſaliſſimas, eáſque indubitatas Regulas, quod ſingillatim oſtendendum nobis erit, poſt deducta aliquot conſectaria circa naturam Simoniæ.

QVÆSTIO IV.

CONSECTARIA Ex ſuperiori propoſitione vniuerſali.

CONſectar. I. Simonia eſt quædam ſacrilegij ſpecies.

Conſect. II. Simonia non eſt hæreſis, neque pugnat cum fide.

Conſectar. III. iniuſtitia committitur, quoties aliquid ratione ſolius ſpiritualitatis venditur.

Conſect. IV. omnis vera, & propriè dicta Simonia iure naturali, & diuino prohibita eſt, quæ verò ſolo iure Eccleſiaſtico inducitur, vera quidem, & grauis Irreligioſitas eſt, non tamen propria Simonia, & eiuſdem ſpeciei cum priori.

Conſect. V. Quinam poſſint eſſe Simoniaci.

CONSECTARIVM PRIMVM.

Simonia eſt quædam Sacrilegij ſpecies.

Ex his vniuerſaliſſimis Regulis de materia, & obiecto Simoniæ, plurima circa eius naturam, & proprietates, atque ſingularum difficultatum explicationes deducemus, atque imprimis, Simoniam violare Religionem, & inter ſacrilegij ſpecies cenſendam eſſe, quod vt intelligas, 1

aduertendum eſt Religionem habere duo actuum genera, alij enim primarij ſunt, quibus Devm in ſe colit, vt adoratio, & ſacrificium; alij ſunt ſecundarij, quibus res Deo ſacratas, & ad eius cultum deſtinatas cum quadam veneratione tractat. Quæ diuiſio actuum Religionis ſumitur ex diuiſione ipſius obiecti tum materialis, tum formalis, vnum enim eſt primarium, alterum ſecundarium; primarium materiale eſt Devs ipſe, qui in ſe, & per ſe colitur, & adoratur; ſecundarium eſt aliqua res creata ad diuinum cultum conſecrata, & in qua Devs colitur. Formale obiectum eſt diuina excellentia, quæ cùm in Deo aliter, quàm in rebus creatis exiſtat, in Deo enim eſt formaliter, & intrinſecè, atque per eſſentiam, in aliis autem per participationem, & per quandam vel denominationem, vel habitudinem ad Devm, conſtituit diuerſa obiecta cum habitudine quadam inter ſe, ita vt vnum ſit primarium, alterum ſecundarium. Actus igitur, qui verſantur circa Devm in ſe colendum, dicuntur primarij, cùm attingant obiectum primarium; qui verò verſantur circa res alias diuino cultui dicatas, ſunt ſecundarij, quia non niſi ſecundarium obiectum reſpiciunt. Eadem ratione Irreligioſitas habet aliquos actus, quibus Devm ipſum irreuerenter tractat, & continentur nomine communi Irreligioſitatis, aut Irreligionis, quæ immediatè opponitur Religioni, quatenus Devm, tanquam primarium obiectum reſpicit, eiuſmodi ſunt ſuperſtitio, blaſphemia, aliique ſimiles, qui ſiue per defectum, ſiue per exceſſum faciunt, vt actus ipſe, qui deberet eſſe Dei cultus, ſit eius iniuria. alij actus ſecundarij dicuntur, quia per illos irreuerenter tractantur res Deo dicatæ eiúſque cultui conſecratæ, quæ ſunt obiecta ſecundaria Religionis. Et hi omnes actus comprehenduntur nomine ſacrilegij, quod definitur violatio rei ſacræ à gloſſa *in cap. Omnes Eccleſiæ.* 17. *quæſt.* 4. & à Turrecrem. *in cap. ſacrilegium. ead. cauſa, & quæſt.* S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. irreuerentiam rerum ſacrarum nominat. & *art.* 3. illud in diuerſas ſpecies partitur ſecundùm diuerſam ſanctitatem rerum ſacrarum.

2 In Simonia porrò res ſacras indignè tractari, atque irreuerenter, ipſarúmque ſanctitatem violari cum graui Dei, ad cuius cultum dicatæ ſunt, iniuria, oſtendemus inferiùs in prima Regula, dum enim æſtimantur temporali pretio, deſpicatui habentur, & vileſcunt: Ergò Simonia ſacrilegium quoddam eſt Gregor. *lib.* 7. *Epiſt.* 110. *& Epiſt.* 113. *fit ſeculare per Simoniam quod ſacrum eſt.* Itaque fatentur gloſſa *in cap. Audiuimus.* 1. *quæſt.* 3. & Turrecrem. *in idem cap. num.* 2. Beda *in cap.* 8. *Act.* Soto. *lib.* 9 *quæſt.* 5. *art.* 1. *&* 2. Suar. *lib.* 4. *tract.* 3. *de Religio. cap.* 1. *num.* 7. Cùm reuerà ſit iniurioſa profanatio rei ſacræ per voluntariam commutationem, quibus poſtremis verbis Caiet. 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. diſtinguit Simoniam à ſacrilegio, ſed malè, cùm reuerà diſtinguenda ſit tantùm à cæteris ſpeciebus ſacrilegij, cùm ea differentia excludere non poſſit illam ab ipſo genere ſacrilegij, quod contrahit, quandoquidem in ea commutatione voluntaria continetur irreuerentia rei ſacræ, vt oſtendimus, quæ tamen iniuria diuerſa eſt ab ea, quæ in aliis ſacrilegij ſpeciebus continetur, quod à poſteriori colligimus

ex neceſſitate ipſam explicandi diſtinctè in confeſſione; neque enim ſatis fuerit Simoniaco, fateri ſe commiſiſſe ſacrilegium, niſi exprimat, illud ſacrilegium fuiſſe Simoniam, quæ etiam diuerſas habet ſpecies ex diuerſitate obiectorum circa quæ committitur, & modis, quibus perficitur. Voluit igitur Caietan. Simoniam diſtingui ab aliis ſpeciebus irreligionis, quæ paſſim comprehenduntur nomine ſacrilegij, non quod & ipſa Simonia verum ſacrilegium non ſit, ſed quia Simonia iniurioſa eſt rei ſacræ tractatio per modum voluntariæ commutationis iniuſtæ, id eſt, cum relatione ad alterum ementem, aut vendentem; cæteræ autem ſpecies ſacrilegij non includunt eiuſmodi relationem ad alterum, qui ſimilem iniuriam irroget rei ſacræ; præterquam quòd ſacrilegiũ eſt violatio rei ſacræ quoad vſum, eò quod illâ in profanos vſus vtaris, cùm ſacris eſſet deſtinata: Simonia verò ipſam dignitatem potiùs, quàm vſum rei ſacræ temerat, eò quod dignitas ſacrâ, & ſupremi cuiuſdam, ac diuini ordinis vileſcat venditione, & emptione, vti ſuperiùs explicuimus. Hinc porro huius ſceleris grauitatem arguit Damian. *opuſc. 6. cap. 37.* & magnam in Eccleſia perturbationem vocat Rupert. *lib. in Ioſue cap. 21.* diuinam verò iniuriam Ambroſ. *lib. de dignitat. ſacerd. cap. 5.*

CONSECTARIVM SECVNDVM.

Simonia non eſt hæreſis, neque pugnat cum fide.

1 Ratio huius conſectarij manifeſta eſt, ſacrilegium enim, & iniurioſa rerum diuinarum, ac ſacrarum tractatio, qualem eſſe Simoniam hactenùs oſtendimus, non requirit per ſe, & neceſſariò errorem in intellectu contra fidem, ſed prauum affectum, qui iudicium quidem practicum falſum ſemper ſupponit, non autem ſpeculatiuum, vti in omnibus peccatis contingit, in quibus æquè dici poſſet implicari hæreſim, propter errorem practicum, & ſaltem omnis irreligio foret hæreſis.

2 Simoniacæ nihilominùs hæreſis frequens eſt mentio apud veteres, ita enim nominat Tharaſi. *Epiſt. ad Hadrian. Roman. Pontif.* vbi illam cum Macedoniana hæreſi comparat, grauiorémque eſſe oſtendit, vti ſuperiùs retulimus. *Et cap. presbyter. 1. quæſt. 1.* quod ex regeſto S. Gregorij citat mendosè Gratian. cum in eo non reperiatur, ſed apud Gregor. VII. *lib. 6. Reg. in indice Concilij tunc habiti.* Huius tamen hæreſis ſæpiſſimè S. Gregor. meminit, *lib. 7. Epiſt. 110. & Epiſt. 113.* ait, illam primam contra Eccleſiam ortam eſſe, & diſtricta maledictione damnatam, quod repetit *Epiſt. 114. & lib. 4. Epiſt. 55.* vbi nefandiſſimam etiam prauitatem vocat. Vide etiam *Epiſt. 44. eiuſdem libri. & lib. 5. Epiſt. 107.* atque ex eodem Gregorio damnationem Simoniacæ, & Neophytorum hæreſis recitat Paſchali. I. *in decretali*, quam refert Iuo *2. p. cap. 84. & pa. 5. cap. 7.* & Concil. Meldenſ. *cap. 42.* apud Iuon. *pa. 5. cap. 75.* & ſanè in Galliis eam maximè hæreſim graſſatam eſſe, colliges non modò ex eo Concil. Meldenſi, ſed & ex Turon. ſub Carolo Magno. *cap 15.* Remenſi. *cap. 21.* Moguntin. *ſub Raban. cap. 12.* & altero Moguntino ſub Arnulpho, *cap. 6.* atque ex ipſis S. Gregorij

gorij

gorij citatis Epiſtolis: nam 110. *lib.* 7. *ad Syagrium, aliòſque Gallicanos Epiſcopos* de Gallicanis Eccleſiis hac in parte queritur; & *lib.* 4. *Epiſt.* 5. ad Vigilium Arelatenſ. In Germaniam quoque eam labem ſeſe propagaſſe ſignificat, vt nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniat. Denique Nicola. II. *cap. ſtatuimus* 1. *quæſt.* 1. & Paſchalis *cap. patet.* 1. *quæſt.* 1. Deodatus *cap. quoties, de Simonia*, hæreſis Simoniacæ meminêre. Vide & latè Goffridum Vindocin. *in opuſc. de Simonia*, quod tamen Torrenſis in Antapologetico pro reſidentia Paſtorum, tribuit Petro Leoni S. R. E. Cardinali Damian. *lib.* 1. *Epiſt.* 13. *opuſc.* 6. *cap.* 30. & *opuſc.* 30. *cap.* 1. & *cap.* 35. *in vita S. Romualdi*. & Ioann. Sariſberi. *lib.* 7 *polycrat. ca.* 19. Ratio verò huius appellationis eſt primo quia tum Simon, tum eius plerique ſectatores exiſtimabant, hæc dona diuina licitè vendi poſſe, atque ita errabant; quod Græcis quoque tribuit Guido Carmelit. & Armenis Alphonſ. à Caſtro *ver. Simonia*. Deinde quia, inquit S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. ſequutus Magiſt. *in* 4. *diſt.* 25 ſecundum exteriorem proteſtationem, qui vendit donum Spiritus ſancti, proteſtatur quodammodo ſe eſſe dominum ſpiritualis doni. Præterea hoc vitium vnà cum hæreſi natum eſt; ſanè Ambroſ. *lib.* 2 *de pœnit. cap.* 4. Simonem in Spiritum ſanctum blaſphemantem, puram conſcientiam fidei non habuiſſe docet. Hinc fit, vt ſapiat hæreſim, atque adeò ſit hæreſis largo modo, vt ait Gloſſa *in cap. firmiſſimè de hæreticis*, & Felin. *in cap.* 1. *de Simon.* Innocent. *in cap. quoties eod. tit.* Re. Ioan. 1. *part. de Simon. cap.* 23. *num.* 2. vnde fit vt Simoniacus ſit ſuſpectus de hæreſi, quod tradunt Innocentius, aliíque relati à Menoch. *lib.* 5. *de præſumpt. præſum.* 6. *num.* 30. Siman. *inſtit. Catholic. tit.* 31. Adrian. *quodlib.* 9. Soto. *lib.* 5. *quæſt.* 9. *art.* 1. quia perinde ſe gerunt, ac ſi de fide malè ſentirent, quod aduertit Gregor. *lib.* 9. *Epiſt.* 53. *ad Theodoricum Regem.*

CONSECTARIVM TERTIVM.

Iniuſtitia committitur, quoties aliquid ratione ſolius ſpiritualitatis venditur.

Hæc eſt altera malitia Simoniæ, 1
vt non modò contra Religionem pugnet, ſed etiam contra Iuſtitiam, quod concedunt Suar. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 7. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 162. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 5. Soto. *lib.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 1. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 4. Ferdinand. A Caſtro. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 6. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 1. *num.* 19. Bonac. *diſput. de Simon. quæſt.* 3. *ſub fin.* qui omnes iniuſtitiam quandóque in Simonia committi fatentur; neque nos dicimus in noſtro Conſectario, Simoniam omnem eſſe iniuſtitiam, ſed eam ſolâ, in qua aliquid ratione ſolius ſpiritualitatis venditur, v. g. qui calicem conſecratum pluris vendit propter conſecrationem, quàm exigat artis, & materiæ valor, ille & Simoniacus, & iniuſtus eſt, quatenùs pretium excedit valorem materiæ illius, ea tamen iniuſtitia non eſt, niſi ex parte vendentis, non verò ementis, quod vt clarius faciam.

Adverto, iniuſtitiam, quæ fingi poteſt in Simonia, vel admitti contra

contra DEVM, vel contra proximum. Contra DEVM quidem, quia cùm ſolus DEVS ſit dominus rei ſpiritualis, videtur vendi res aliena, eiúſque domino iniuria fieri. Hæc nihilominus iniuſtitia, & iniuria, eſt tantùm irreuerentia quædam, & irreligioſitas, quia DEVS hac venditione non priuatur dominio ſuæ rei, & eam eodem modo retinet, quo antè venditionem, quando quidem emptor non ſit magis dominus, quàm venditor, neque illam magis actuali DEI dominio ſubtrahit, & DEVS non prohibuit illam alteri dare, ſed ſolùm tali modo, nimirum per venditionem, & commutationem cum re temporali, tanquam eius pretio, quod dum fit, ſacra & diuina res vileſcit, Deúſque ipſe iniuria afficitur, ſicut & in omni ſacrilegio; non tamen iniuſtitia propriè dicta aduersùs illum committitur. Quarè ſi aliqua admittatur iniuſtitia Simoniæ, erit tantùm aduerſus proximum; eam tamen non committit emens, qui dat pretium pro re ſpirituali, quam enim irrogat iniuriam vendenti liberè ſuam rem ſpiritualem? Tota itaque difficultas eſt de vendente, qui rem ſpiritualem inæſtimabilem, & inuendibilem vendit; immò licet ipſa res eſſet vendilis, vendens tamen non eſt dominus ipſius, ſed diſpenſator; dominus autem vult, vt ſi res illa tradatur alteri, gratuitò donetur, & non vendatur, ac proinde iniuria fit ementi, à quo exigitur pretium pro re inæſtimabili, atque adeò inuendibili, & ei qui habet ius accipiendi eiuſmodi rem gratuitò ex voluntate domini. Verùm niſi ampliùs explicetur iſta doctrina, non ſatis oſtendit iniuſtitiam in Simoniaco vendente, nam res ſpiritualis dicitur inuendibilis, & inæſtimabilis pecuniâ, per exceſſum, & non per defectum, quia nimirum ſua dignitate, & valore ſuperat omnem pecuniam, & rem temporalem; quarè numquam æqualiter compenſari poterit, non fit autem iniuria emptori, quoties illi datur merx maioris valoris, quàm ſit pecunia ipſius. Sic dum fama, vita, pudicitia, aliáque bona ſuperioris ordinis commutantur cum pecunia, & quopiam alio bono inferiori, non fit iniuria, aut iniuſtitia aduersùs ementem, licet aliunde peccetur. voluntas etiam DEI iubentis hæc omnia ſpiritualia gratuito donari, non videtur obligare ex iuſtitia, cùm procedat ex motiuo Religionis, ne res ſacræ eiuſmodi commercio vileſcant, non autem ex intuitu commodi temporalis proximi, & ne ius ipſius violetur.

Obſerua itaque rem ſpiritualem aliquando habere annexum aliquod commodum temporale, in honore, vel fortunis, ornatu, voluptate; aliàs habere commodum ſpirituale, quale eſt in icuncula benedicta, Reliquiis ſanctorum, & ſimilibus, quo commodo tum temporali, tum ſpirituali priuat ſe, qui rem ſpiritualem, cui annexum eſt, alteri tradit, quarè & incommodum aliquod incurrit. Aliàs verò res ſpiritualis, quæ traditur, nullum habet annexum commodum temporale, neque etiam ſpirituale reſpectu tradentis, vti contingit in miniſtro Sacramentorum, quarè per traditionem rei nullum prorsùs incurritur damnum, aut incommodum ſiue temporale, ſiue ſpirituale. 2

Quoties igitur vendens rem ſpiritualem, accipit aliquid pro incommodo temporali, quod patitur in diſtractione ſuæ rei ſpiritualis, eſt

Simoniacus quidem, non tamen iniuſtus, niſi pretium excedat valorem illius incommodi, quod ſubit, quódque cum temporale ſit, æſtimabile eſt, nulla etenim committitur inæqualitas; quarè reſignans aliquod beneficium, aut admittens in Religionem, ſi compenſet præbendam temporalem, qua ſe ſpoliat abiiciendo beneficium, aut dignitatem, qua fruebatur, aut onus, quod ſibi imponit alendi religioſum, non committit iniuſtitiam; ſicut neque qui vendit calicem, & vaſa ſacra, pluris quàm valeat eorum materia, aut ars, quia ſe priuat ornatu ipſorum, aut voluptate, quam capiebat ex eiuſmodi ornamentis, non eſt iniuſtus, niſi ſit aliquis exceſſus in pretio; quod idem in aliis omnibus commutationibus alioquin legitimis contingit, quia nulla in ea venditione fingi poteſt inæqualitas, quandoquidem pretium non datur pro ſpirituali, ſed pro temporali annexo, cuius etiam valorem, & æſtimationem non ſuperat. Eſt quidem Irreligioſitas, quia quamdiu temporale illud manet annexum ſpirituali tanquam ſuæ cauſæ, & radici, induit ſpiritualitatem, & niſi, vti monuimus, ab ea ſpiritualitate ſeparetur, manet in altiori quodam & diuino ordine, ac per venditionem indignè tractatur; atque ita committitur Simonia, non tamen iniuſtitia, quæ cōſiſtit in inæqualitate, qualis nulla fingi poteſt hoc loco

Neque dicas, Conferentem, aut Reſignantem beneficium, teneri gratis id facere, cùm tantùm ſit diſpenſator, itáque iubeat dominus.

Reſpondeo enim, diſpenſatorem, qui aliquid gratuitò diſpenſandum accepit, peccare quidem, ſi illud vendat, non tamen violare iuſtitiam, quoties non accipit pretium præcisè pro ea diſpenſatione, & collatione, ſed in compenſationem emolumenti, quo ſe priuat alterius cauſa, vt contingit in reſignante; aut quod illi confert, cùm tamen conferre non teneretur; vti accidit in conferente beneficium, affectus enim ille, quo te aliis præfert, & priuatio facultatis benè faciendi aliis, à quibus maiorem beneuolentiam, & animi gratitudinem expectabat, ſolent vulgò magni æſtimari, atque adeò compēſari; Non erit igitur vlla iniuſtitia.

Quando verò in venditione rei ſpiritualis incurrit tantùm incommodum ſpirituale, quia nullum commodum temporale connexum habebat, maior videtur difficultas, an iniuſtitia committatur, quia illud damnum ſpirituale æquè videtur inuendibile, atque ipſa res ſpiritualis; aliunde tamen, cùm nemo ius habeat, vt ſui cauſa damna ſpiritualia, quæ grauiſſima ſunt, gratis ſubeam, non facio illi iniuriam, ſi aliquam ab eo compenſationem exigam, quamuis temporalem. Neque dicitur hoc damnum inæſtimabile, niſi quia tam graue eſt, vt nunquam ſatis compenſari poſſit; vnde potius ſequeretur nunquam committi iniuſtitiam, & inæqualitatem, accepto quocúnque pretio temporali, ſi enim pro damno temporali conſequente priuationem rei ſpiritualis poteſt exigi compenſatio temporalis absque iniuſtitia, cur non poterit quoque eadem exigi pro damno ſpirituali, quod eſt longè grauius temporali. Idcircò concludit Leſſius *cap. 35. cit. num. 159.* Reliquiarum venditionem iniuſtam minimè eſſe, quamuis ſit Simoniaca, & irreligioſa, atque adeò potiori iure poſſe cum, cui per vim ablatæ ſunt reliquiæ, accipere

cipere aliquid in compenſationem iniuriæ acceptæ, & Regem Burgundiæ non fuiſſe obligatū ad reſtituenda ea, quæ ipſi Henricus I. Imperator dederat pro lancea, in qua clauus Chriſti erat, & quam ab eo tum minis, tum importunis precibus extorſerat. Layman verò exiſtimat, poſſe quidem aliquid exigi ex vindicatiua iuſtitia in pœnam illatæ iniuriæ, in illa vi commiſſæ, non tamen pro ipſiſmet Reliquiis, ipſarúmque ſpirituali commodo, quod diſtinctum eſt à voluntate, quam quis capit ex illarum poſſeſſione propter eximium affectum aduersùs illas: Nam voluptas ex re ſacra, etiam vt ſacra eſt, pretio aliquo compenſabilis eſt, vti aduertit Suar. *lib.* 4. *cit. cap.* 59. *num.* 43. quia ea voluptas non eſt ſpiritualis, niſi per connexionem, per quam non mutatur in ſe, & tam compenſabilis, atque æſtimabilis eſt humano pretio, atque ſi ex re temporali caperetur; verùm quia mutat ſtatum, & fit ſacra ſanctitate quadam extrinſeca, non poteſt abſque irreligioſitate vendi, poterit tamen ſine iniuſtitia. At verò, quia commodum ſpirituale, quo quis ſe priuat, tradendo grana benedicta, Reliquias, cæteraque ſimilia, eſt ſpirituale in ſe, & non tantùm per annexionem, idcircò ex natura ſua inuendibile, & inæſtimabile eſt. Vnde ſi pro ipſo accipiatur pretium, committitur iniuſtitia, ſicut ſi pro applicatione Miſſæ, & priuatione fructus ſpiritualis, qui mihi obtingeret, aut pro ſatisfactionibus meis alteri applicatis pretium capio, Simoniam, & iniuſtitiam ſimul committo, inquit Suar. *cap.* 59. *cit. num.* 44.

In hoc diſſidio, quamuis hæc poſtrema Laymanni ſententia valdè probabilis videatur; non diſplicet, quod aſſerebat Leſſius, videlicet, iniuſtitiam non eſſe, ſi pro commodo purè ſpirituali, etiam ſecluſa iniuria facta in modo extorquendi rem ſacram, quidpiam exigatur, quia tunc res non venditur ſub ratione ſpiritualitatis præcisè, vt ſic enim, vt ſtatim dicam, eſt inuendibilis, ſed ſub ratione commodæ, ſiue venditur commodum, quod ex illa percipiebam, & quo me priuo in gratiam alterius; quamuis enim tale commodum ſit ex natura ſua ſpirituale, atque adeò ab ea ratione impræſcindibile; quatenùs tamen commodum eſt, pretio æſtimabile eſt. Neque vrget, niſi fallor, argumentum inductum à Suar. de Miſſa, quæ offertur pro alio, quæ vendi poſſet ſine iniuſtitia, eò quòd offerens priuet ſe fructu, quem ex ſacrificio caperet, dum illum alteri cedit. Eam enim conſequentiam concedit Ferdinand. *diſput.* 3. *tractat.* 17. *punct.* 26. *ſub fin.*

Reſtabat venditio rerum ſpiritualium, quæ nullum habent annexum commodum temporale, neque ſpirituale, quo ſe priuet vendens, vti videmus in adminiſtratione Sacramentorum. Hanc porrò venditionem Simoniacam, & ſimul iniuſtam eſſe fatentur DD initio relati. Ratio à priori eſt, quia hìc vendi non poteſt, niſi ſola res ſpiritualis, etiam vt ſpiritualis eſt, aut ratione ſpiritualitatis: atqui res ſpiritualis vt ſic, ex natura ſua eſt inuendibilis, gratiſque donanda; & prætereà fideles habent ius eiuſmodi res maximè communes omnibus, vti ſunt Sacramenta, gratis accipiendi ab Eccleſiæ miniſtris; patiuntur igitur iniuriam, ſi quidpiam in compenſationem, & pretium donare cogantur 3

tur. Conſecutio manifeſta eſt. Antecedens oſtenditur, quia res ſpiritualis inæſtimabilis eſt, ſiue hoc oriatur ex quodam dignitatis exceſſu, ſiue ex fine, ex quo ſunt creditæ hominibus diſpenſandæ. Satis enim eſt ad inſtitutum, vt non cadant ſub æſtimationem, & pretium humanum; eáque ſit communis omnium perſuaſio, non poterit igitur ratione talis rei pretium vllum exigi, aut augeri, quod non accidit in aliis bonis humanis, etiamſi quædam ſint ita eximia, vt per alia nunquàm ſatis ad æqualitatem compenſari valeant, vt vita, pudicitia, & fama comparatæ cum pecunia, habent nihilominus ſuam humanam æſtimationem, vti aliàs monui: Inde fit, vt conſentaneè ſuæ naturæ DEVS ita illas res ſpirituales commiſerit diſtribuendas hominibus, vt gratis omninò diſtribui voluerit, atque adeò qui cogitur pro illis accipiendis pretium dare, iniuriam patitur. Confirmatur, quia ſi ratione ſummi valoris, propter quem res ſpirituales dicuntur inuendibiles, & inæſtimabiles, liceret pretium accipere abſque iniuſtitia, eò quòd pretium nunquàm æquabitur valori rei traditæ, liceret decem aureorum millia pro baptiſmo, & quoduis aliud pretium exigere ſine vlla iniuſtitia; quia etiam illa ingens ſumma non pertinget ad valorem rei ſpiritualis; quod nemo prudens opinor affirmabit. Maneat igitur, Simoniam eſſe iniuſtitiam, non omnem quidem, vti malè cenſuit Nauarr. *lib.2. de Reſtitut. cap.2. num.* 384. ſed eam, in qua aliquid venditur ratione ſpiritualitatis ſolius, præciſa omni ratione commodi ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis.

CONSECTARIVM IV.

Omnis vera, & propriè dicta Simonia iure naturali, & diuino prohibita eſt; quæ verò ſolo Iure Eccleſiaſtico inducitur, vera quidem, & grauis Irreligioſitas eſt, non tamen ſemper propria Simonia, & eiuſdem ſpeciei cum priori.

Hoc conſectarium circa naturam 1
Simoniæ non modò euidens, & neceſſarium eſt ex diſputatis, ſed etiam diſſidentes ſententias componit, atque controuerſiam, quam non malè Valent. *tom. 3. diſput.6. quaeſt.*15. *p.* 5. & Ferdinand. *tract.* 17. *diſp.*3. *p.* 2. *num.* 2. ſuſpicantur eſſe de nomine, diſſoluit. Continet porrò duas partes, quarum prima, nimirum, Simoniam ex ſua natura, & ſecluſo iure humano, atque Eccleſiaſtico talem, prohibitam eſſe iure naturali, atque diuino, certa manebit quoad ius naturale ex prima Regula, vbi ratione euidenti oſtendemus, intrinſecam, & eſſentialem malitiam, quæ in venditione rei ſpiritualis, ac ſacræ pro temporali reperitur eſſe illicitam. quam, iure quoque diuino poſitiuo fuiſſe prohibitam à Chriſto, verior eſt ſententia, quam pleríque minùs efficaciter probant ex eo, quod Chriſtus vendentes columbas è templo expulerit; etiamſi enim PP. quos dabit Gratian. 1. *quaeſt.* 3. Columbam Spiritum ſanctum paſſim interpretentur, ex eóque Chriſti facto, in Simoniacos inuehantur; perſpicuum tamen eſt, eo loco nullum præceptum à Chriſto ferri. Quarè potiùs arguendum erit ex Matth. 10. *gratis accepiſtis, gratis*

gratis date. Eiuſmodi enim verbis legem ſanciri ex ipſo contextu, & natura munerum Apoſtolicorum, de quibus eo loco agitur, ac demum ex communi PP. conſenſu colligunt recentiores. Quia tamen hoc præceptum nouum non eſt, ſed declaratio potiùs præcepti naturalis, communiter DD. negant, nouum præceptum poſitiuum circa Simoniam à Chriſto latum eſſe, cum Victor. *Relect. de Simon. con.* 3. & S. Tho. qui docet, nulla præcepta negatiua, præter præcepta legis naturæ contineri in lege Euangelica: præcepta autem affirmatiua ſolùm verſari circa materiam fidei, & Sacramentorum 1. 2. *queſt.* 108. *art.* 1. *ad* 2. & *art.* 2. Tota igitur difficultas noſtri Conſectarij conſiſtit in altera eius parte, in qua negamus, omnem Simoniam ſola iure poſitiuo prohibitam, veram, & propriam Simoniam eſſe, quamuis Irreligioſitas quædam ſit.

2 Observa igitur, Simoniam iure Eccleſiaſtico induci poſſe duobus modis. primo quia res aliqua ſola Eccleſiæ inſtitutione ſacra ſit, & ſpiritualis, ac proinde materia Simoniæ, vti exponemus tertia parte primæ noſtræ Regulæ. quæſt. 4. ſecundo quia etiamſi Eccleſia non conſtituat rem aliquam ſacram ſua prohibitione, illius tamen venditionem, aut aliud pactum oneroſum circa illam prohibet intuitu Religionis, ex qua prohibitione ſit, vt eiuſmodi venditio habeat malitiam Simoniæ, quam reuerà non haberet ſecluſa tali prohibitione, à qua proinde illam immediatè, & totam accipit.

Et quidem quod attinet ad Simoniam primo illo modo ab Eccleſia inductam per inſtitutionem rei ſacræ, certum nobis erit ex prima Regula, quæſt. 4. ipſam eſſe veram, & propriè dictam Simoniam, atque ex ſua natura, & intrinſecè malam, eodémque iure naturali, ac diuino prohibitam, quo prohibita eſt illa, quæ circa res aut eſſentialiter, aut ex diuina inſtitutione ſacras, & ſpirituales exercetur, vti Victor. *Relect. de Simonia. num.* 15. & Soto. *lib.* 9. *de Iuſtit. quæſt.* 3. *art.* 2. diſputant, quia Simonia eſt venditio rei ſacræ, & ſpiritualis; res autem, quæ per inſtitutionem Eccleſiæ fuerit conſecrata, reuerà ſacra eſt, vti oſtendemus prima noſtra Regula, neque pendet ampliùs ab Eccleſia, vt res ſacra, licitè, vel illicitè vendatur pretio temporali, quamuis fuerit in poteſtate Eccleſiæ, talem rem non conſecrare. Quod variis exemplis Victoria ibidem illuſtrat. Aquæ benedictio eſt ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ, ſi quis tamen benedictam aquam ratione illius benedictionis venderet, committeret Simoniam, etiamſi nunquam Eccleſia prohibuiſſet eiuſmodi venditionem; quod idem in calice, vaſis, & aliis rebus conſecratis contingit, & ſanè aliud omninò eſt, rem quampiam ad ſpirituales quoſdam effectus conſecrari, aliud prohibere, rem ita conſecratam vendi. Prima illa conſecratio pendet ab Eccleſia; Irreuerentia autem, & ſacrilegium, quod in venditione rei conſecratæ contingit, ſequitur ex ipſa natura rei, vti in pollutione templi, aut ſacræ perſonæ violatione videmus; hæc enim ſacrilegia, ſunt talia ex iure naturali, quamuis templorum, & perſonarum conſecrationes ab hominibus inſtitutæ ſint: immò in ipſis Sacramentis, & aliis, quæ non ſunt eſſentialiter ſupernaturalia, ſed ſolùm

cauſaliter, & diſpoſitiuè, quia à Chriſto inſtituta ſunt ad hominum ſanctitatem, & ſalutem ſupernaturalem, ſanctitas, & ſupernaturalitas eſt à iure diuino poſitiuo, venditio autem ipſorum eſt Simoniaca ex iure naturali, & non tantùm ex prohibitione. Quarè tandem concludit Victoria, non minùs eſſe Simoniacum, aliquod pretium accipere pro conſecratione Calicis, quàm pro conſecratione Sacerdotis. Hanc poſteriorem autem nemo negabit eſſe de iure naturali. Idcircò vulgara illa diſtinctio DD. & Canoniſtarum Simoniæ naturali, & humano iure prohibitæ, non eſt intelligenda de Simonia, quæ committitur circa ea, quæ ſpiritualitatem, & ſanctitatem ex Eccleſiæ inſtitutione, atque variis conſecrationum ritibus ab ea præſcriptis obtinent. Vti tamen, ſed malè ſentiunt Paludan. *in* 4. *d.ſ.* 25. *quaſt.* 4. *ad* 2. *Durandi*, & Maior. *ibid. ead. diſput. quaſt.* 3 aliique nonnulli apud Victoriam.

3 Alter modus Simoniæ Iure Eccleſiaſtico inductæ erat ex prohibitione vendendi rem non ſacram, aut quidpiam accipiendi ex largitione rei ſacræ, quamuis ſine vllo contracta oneroſo, eo enim quod Eccleſia iſtas actiones prohibeat intuitu Religionis, & reuerentiæ erga res ſacras, volunt committi veram Simoniam, etiamſi Eccleſia ſua prohibitione nullam conſecrationem nouam, aut ſanctitatem addat rei, quam inuendibilem conſtituit. Ita Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 7. *num.* 4. Gordon *lib.* 8. *quaſt.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dubitat.* 4 *num.* 25. Victor. *Relect. de Simo: num.* 16. Bonacin. *diſput. de Simon quaſt.* 2. *num.* 7. Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 37. *diffic.* 2. Sanch. *lib.* 3. *conſil. ca.* 3. *dub.* 2. videturque eſſe ſententia gloſſæ *in capit. Saluator.* 1. *quaſt.* 3. *v. Iudicem. & in cap. ex parte* 1. *de officio delegati*, atque DD. in ea loca, dum abſolutè pronunciant, aliquam eſſe Simoniam, quia prohibita eſt; cuius etiam exemplum afferunt venditionem officij œconomi, Caſtaldi, & aliorum, quæ officia conſtat eſſe temporalia, quamuis remotam aliquam connexionem habeant cum rebus ſpiritualibus, quæ connexio non ſufficit ad conferendam ſpiritualitatem, vti monebo in expoſitione ſecundæ Regulæ quæſt. 6. ſi quæ igitur ſit in iſtis Simonia, qualem iura, & DD. agnoſcunt, illa non poteſt eſſe niſi ex prohibitione Eccleſiaſtica.

Contendo nihilominus eiuſmodi Simoniam non eſſe veram, & propriè dictam, cum Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *quaſt.* 5. *num.* 9. Manuel. Rodri. *tom.* 2 *ſumm. cap.* 58. *num.* 2. *&* 3. Soto. *lib.* 9. *de Iuſtit. quaſt.* 5. *art.* 2. *in reſponſ. ad argum.* Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quaſt.* 16. *p.* 5. Beinſfel. *in rubric. de Simon. Notab.* 12. *con.* 3. *&* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* § 6. *num.* 66. Eſtque, ni fallor, euidentiſſima ratio ex definitione Simoniæ 1. *quaſt.* explicata, & ex Regulis inferius tradendis. Simonia eſt eſſentialiter venditio, & emptio alicuius ſpiritualis pro temporali, ſiue illud ſpirituale ſit tale per eſſentiam, ſiue per ordinem, quem habet ex diuina, aut Eccleſiaſtica inſtitutione, à qua ſpiritualitatem, & ſanctitatem accipit, ſiue per connexionem proximam cum re ſacra. Atqui in caſu, de quo agimus, vel res, quæ vendi prohibetur, ſacra non eſt ſiue per ſe, ſiue per connexionem, ſed merè

rè temporalis manet; vel ſi ſpiritualis eſt, non venditur, ſed aliquis alius contractus circa illam prohibetur. Ergo in eo contractu non poteſtc ommitti vera Simonia, & quæ vniuocè conueniat cum ea, quam hactenùs definiuimus; cùm non ſit venditio rei ſacræ, quamuis ſit vel venditio, vel aliquis alius contractus iure merito ab Eccleſia prohibitus intuitu Religionis. Et ſicut fieri nequit, vt contractus, in quo non ſumitur lucrum aliquod ex mutuo, & vi mutui, ſit vſurarius, quamuis alias ob cauſas prohibeatur etiam intuitu æquitatis in commerciis, & in Republica ſeruandæ, atque adeò ſi contra eiuſmodi prohibitionem celebretur, ſit illicitus, & iniquus; ita non poteſt fieri, vt contractus, qui non eſt venditio rei ſpiritualis, ſit Simoniacus, quamcúnque aliam malitiam, & Irreligioſitatem, ex Eccleſiaſtica prohibitione accipiat.

Neque aliter profectò ſentiunt etiam plures Canoniſtæ, qui negant venditionem officiorum temporaliũ Eccleſiæ contra legem Vrbani II. *cap. Saluator.* 1. *quæſt.* 3. eſſe Simoniacam, etiamſi mala ſit, quos dabimus inferius in Conſectariis. Hæc omnia confirmantur percurrendo modos, quibus contingere poteſt hæc Simonia ſolius Iuris poſitiui, quos explicat Suar. *cap.* 7. *cit. à num.* 6. primus eſt, quando ab Eccleſia prohibetur celebrari aliquis contractus, aut datio, aut acceptio circa rem ſacram, licet neque ſit venditio, neque alius contractus ex natura ſua malus, vt ſi pro adminiſtratione alicuius ſpiritualis v. g. Sacramenti, prohibeatur aliquid etiam ſponte oblatum ſuſcipi, vt omnis Simoniæ ſuſpicio quàm longiſſimè remoueatur. Hoc tamen caſu nullam committi Simoniam ex ipſis textibus, in quibus ſimiles gratuitæ donationes prohibentur, oſtendam inferiùs in conſect. quæſt. 5. & 7. cum Ferdinand. *diſput.* 3. *cit. punct.* 5. ſecundo conſtituitur iſta Simonia, quando aliqua temporalia vendi prohibentur ab Eccleſia, intuitu quidem rei ſacræ, cum qua tamen nullam habent connexionem proximam, & ſufficientem ad accipiendam ſpiritualitatem, vt de officiis œconomi, Theſaurarij, defenſoris, aliíſque monebamus. At verò ne iſta quidem venditione committi veram Simoniam, plurimi Canoniſtæ docent, & ex ipſis verbis Canonum oſtenſuros nos recipimus conſect. tertio denique quoties permutatio ſpiritualis pro ſpirituali vetatur, ibi tamen non eſſe Simoniam ſtatim apparet ex ipſa definitione Simoniæ; & dum de permutatione beneficiorum agemus quæſt. 11. & 12. dicturi ſumus fuſiùs, atque etiam inferius diſputantes de pretio Simoniaco.

Fateor nihilominus, hos omnes contractus contra prohibitionem Eccleſiæ factos, irreligioſos, & ſacrilegos eſſe, quoties propter Religionem, vti fit, prohibetur, quod vnum probant argumenta Suar. & aliorum contra Durand. qui malè affirmabat, peccatum contra ſolum præceptum poſitiuum eſſe peccatum inobedientiæ. Certum enim eſt ex materia de legibus, & ex iis, quæ diximus prima parte ſciẽtiæ canonicę, legem humanam imperantem, aut prohibentem aliquem actum ex ſua natura indifferentem, conſtituere illum in materia, & ſpecie virtutis, aut vitij, ex cuius motiuo illum præcipit, aut prohibet. Nam qui non ieiunat in quadrageſima, aut comedit cibos prohibitos, non peccat contra

contra obedientiam, ſed contra abſtinentiam. Qui alium vi extrahit ab Eccleſia, ad cuius Azylum confugerat, ſacrilegus, non tantùm inobediens eſt. Atque ita de aliis. Immò in his non committitur inobedientia, niſi materialiter, ad inobedientiam enim formalem neceſſaria eſt formalis intentio violandi præceptum, vt præceptum eſt, aut contemnendi vel præceptum, vel ipſum Legiſlatorem. Quoties igitur Eccleſia venditionem rei temporalis, aut permutationem vnius ſpiritualis cum altero item ſpirituali, aut etiam gratuitam donationẽ temporalis pro ſpirituali inhibet ad vitandam omnem Simoniæ labem, atque adeò ex motiuo Religionis, & reuerentiæ aduerſus res ſacras, efficit vt hæc omnia ſint in materia Religionis, eorúmque transgreſſio ſit irreligioſitas, atque ſacrilegium, quod habet aliquam ſimilitudinem cum Simonia, non tamen eſt vera, & propriè dicta Simonia, cùm non conueniat vniuocè cum Simonia Iuris diuini, ſed tantùm in ratione quadam generica, & communi Irreligioſitatis, atque ſacrilegij; quanquam ob illam ſimilitudinem appellari ſoleat Simonia; ideóque monebam initio cum Valent. ferè de nomine hoc loco DD. inter ſe contendere.

CONSECTARIVM V.

Quinam poſſint eſſe Simoniaci.

1 Hæc quæſtio, in qua tricantur Canoniſtæ *in c. 1. de Simonia*, & ſummiſtæ *v. eodem*, quos dabit Couarr. *in Regul. peccatum. par. 2. cap. 8. num. 8.* aliíque, explicata manet ex ſuperiori, omnes illam committere poſſe, atque adeò ipſum ſummum Pontificem, ſi enim agamus de vera Simonia Iuris naturalis, atque diuini, certum eſt Pontificem, ſi rem ſpiritualem, v.gr. adminiſtrationem Sacramentorum, Ordinis, Iuriſdictionem ſpiritualem, aliáque eiuſmodi vel ex ſua natura, vel ex diuina, aut Eccleſiaſtica Inſtitutione ſacra, & ſpiritualia venderet, niſi priùs ex iis, quæ per Eccleſiam conſecrata ſunt, conſecrationem, aut ſanctitatem illam externam tolleret Simoniacum fore. Nam ſi pecuniam pro re ſpirituali acciperet, aliquo alio titulo, quàm venditionis, & pretij, vti facere poteſt, ex generali illa prouidentia, qua Eccleſiam regit, non peccabit peccato Simoniæ., licet fortaſſis quandóque quopiam alio peccato peccet. Ratio iſtorum eſt, quia cùm venditio rei ſpiritualis ſit intrinſecè, & eſſentialiter mala, vti diximus, à quocunque fiat, ſemper mala erit. Quarè non eſt, quod vel de Romana curia, vel de Epiſcopis, & inferioribus Prælatis, eorúmque officialibus diſputemus, an & ipſi quoque hanc Simoniam Iuris naturalis incurrere poſſint, cùm nihil planè appareat, vnde excuſari poſſint, & cur venditio rei ſpiritualis impoſſibilis ipſis ſit, aut malitiæ omnis expers, ſiue annuente, & ſciente Epiſcopo, & Pontifice fiat, ſiue illo ignorante, aut renuente. Neque priuatæ perſonæ duntaxat, ſed ipſæ etiam communitates, vt Capitula, Collegia, Conuentus, hoc peccato teneri poſſunt, cùm contractus venditionis, emptioniſvè, ſicut & alios omnes tum gratuitos tum oneroſos celebrare valeant; quorum contractuum oneroſorum materiam ſpiritualem eſſe, nihil prohibet; atque ita ſi Capitulum vendat

Iuriſdi.

Iuriſdictionem ſpiritualem, quam habet, aut eius actus, aut ingreſſum ad Religionem, aliáve ſimilia faciat Simoniam committet. Et de laicis fidelibus res quoque euidens eſt, cùm & ipſi ſpiritualia dare, vt baptiſmum, cooperationem ad functionem ſacram v. gr. miniſtrationem Miſſæ, & eadem ſpiritualia accipere pretio poſſint, aut aliis etiam emere, atque Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis in committenda Simonia cooperari.

Denique ne ipſi quidem infideles huius Simoniæ immunes dici queunt, ſi circa ſpiritualia cum fidelibus contractus oneroſos ineant, vt ſi infidelis alicui fideli emeret Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, facultatem adminiſtrandi Sacramenta, aut beneficium, aut baptiſmum, aliúdve Sacramentum, aut ſi quo alio modo cooperaretur Simoniaco fideli, reuerà peccaret peccato Simoniæ, quamuis pænis ab Eccleſia poſitis minimè teneretur.

Quod verò attinet ad Simoniam ſolius Iuris Eccleſiaſtici, quæ impropriè tantùm Simonia eſt, quamuis vera, & grauis Irreligioſitas, atque ſacrilegium exiſtat, vti diximus conſectario ſuperiori, de ſolo Pontifice poteſt excitari difficultas, cæteri enim omnes cùm ſubiiciantur legibus Eccleſiaſticis quoad vim tum directiuam, tum coactiuam, peccare poſſunt peccato huius Simoniæ, & pænas eius cauſa inflictas ſubire debebunt. Et ſane *Extrau. de Simonia inter commun.* ipſos etiam Cardinales expreſsè comprehendit. Quo modo verò ſingulæ perſonæ hac in parte delinquere valeant, dicemus in aliis conſectariis.

2 De vno igitur Pontifice diſputatur, an Simoniacus eſſe queat Simonia ſolius Iuris Eccleſiaſtici, alij enim negant, alij affirmant, vt fuſiùs tradit Suar. *lib.* 4. *cap.* 52. *à num.* 4. & Campeg. *opuſc. an Papa poſſit eſſe Simoniac.* pendet hæc quæſtio ex iis, quæ diximus alibi de obligatione, quam habet tum Pontifex, tum quilibet alius ſupremus princeps ſeruandi leges proprias ſiue Reipublicæ, tum à ſe ipſo, tum à ſuperioribus latas quoad directiuam, non quoad coactiuam, ex quibus diſſidentes Canoniſtarum ſententias facilè compones.

Primo enim Pontifex nunquam incurrit pænas Simoniacis ab Eccleſia ſtatutas ex generali principio à nobis in ſcientia canonica explicato, nullum principem ſubiici legibus pænalibus à ſe latis.

Secundo poteſt Papa abſolutè loquendo incurrere culpam Simoniæ Iuris humani. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. *num.* 33. Laym. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 64. Victor. *Relect. de Simon. num.* 39. quia cùm teneatur legibus Eccleſiaſticis quoad vim directiuam ex illo iure naturali, quo Princeps debet ſe conformare ſuis ſubditis, tanquam caput membris, niſi ſit aliqua cauſa, quæ Pontificem eximat à lege lata, aut ob quam ſecum ipſe diſpenſet, reuerà peccat violando eam legem; quod tamen peccatum ſecluſo ſcandalo, non erit graue, quia vti obſeruat Leſſi. *loc. cit.* non tenetur ſeruare legem niſi ex illo iure, quo tenetur ſe conformare ſubditis; quarè quoties illa difformitas, vel non conformatio grauis non erit, neque ſubditos offendet, non erit etiam grauis illius malitia, & culpa. Quod ſi ſecum ipſe diſpenſet abſque cauſa, tunc erit illicita diſpenſatio, erit tamen valida, vti diximus eo

loco. quarè non peccabit contra legem prohibentem Simoniam, aut venditionem v. gr. alicuius officij temporalis, ſed diſpenſando ſecum, & contra obligationem benè adminiſtrandi Rempublicam.

Tertio vix vnquam Pontifex incurrit, immò vix incurrere poteſt vitium huius Simoniæ, aut ſaltem illud facillimè vitare valet. Ita Suar. *cap.* 52. *cit.* Layman. & alij. primo quia pleræque, immò & omnes leges, quæ Simoniam iſtam prohibent ad inferiores Prælatos diriguntur, vt ibid. oſtendit Suar. neque Pontificem ratione ſuæ dignitatis, & in adminiſtranda Eccleſia poteſtatis comprehendunt. ſecundo quia poteſt Pontifex facilè aliquid accipere pro his, quæ vendi prohibentur alio titulo, quàm venditionis, ex illa enim diſpenſatione, quam habet, poſſunt occurrere variæ cauſæ, propter quas æquum videatur iſta, quæ ſub vna ratione prohibita ſunt, ſub alia ratione præſtare. tertio quia poteſt ſecum ſicut & cum alio quopiam diſpenſare; Curiam tamen Romanam, cùm obſtringatur ſacris Canonibus aduerſus illos aliquando committere Simoniam, certum eſt, neque etiamſi Papa id ſciat, & diſſimulet, ſtatim præſumendum erit, ipſum cum ſuis officialibus aut Curia diſpenſaſſe, cùm licet diſſimulet pœnam, non tamen eo ipſo eximat à culpa. Quarè tam diuturna debet eſſe ea ſcientia, & tolerantia, ſiue diſſimulatio Pontificis, vt lex Eccleſiaſtica conſuetudine contrariâ, vel ſaltem deſuetudine cenſeatur abrogata, ſecundùm ea quæ diſputauimus in ſcientia canonica de iure conſuetudinario. Venio ad vniuerſales Regulas circa materiam Simoniæ.

QVÆSTIO V.

Quomodo res ſupernaturalis ſit materia Simoniæ.

VNiuerſalem & latiſſime fuſam materiam paucis regulis complecti placuit; vt & perſpicuitati & breuitati conſuleremus. exordior à re ſupernaturali.

REGVLA VNIVERSALIS.

Omnis res ſupernaturalis, & ſacra ad ſalutem ſupernaturalem ſiue ex natura ſua, ſiue ex inſtitutione diuina, aut Eccleſiaſtica ordinata eſt materia Simoniæ.

CONFIRMATIO REGVLÆ.

Vniuerſaliſſimam hanc Regulam omnes agnoſcunt, ſumitúrque ex *Act.* 8. vbi damnatur Simon Magus, qui primus hoc peccato peccauit, quia exiſtimauit, donum DEI pecuniâ poſſidere; dona autem DEI in ſcripturis ſunt tum ipſe Spiritus ſanctus donorum omnium author, primúmque donum, vt prima part. diſputant Theologi; tum omnia chariſmata eiuſdem Spiritus, quæ enumerat Paulus ad Corinth *Epiſt.* 1. *cap.* 12. & *ad Ephel.* 4 Tum denique omnia, quæ ſpectant ad ſalutem ſpiritualem animæ; ea enim vel ordinantur ad dona, vel ex ipſis procedunt, atque adeò ipſorum ſanctitatem participant. Deinde dum Chriſtus *Matth.* 10. iubet Apoſtolos gratis dare, quæ gratis acceperant, in quibus verbis vetitam eſſe Simoniam, agnoſcunt plerique PP. inferiùs adducendi, loquitur de poteſtate

teſtate Euangelizandi, eiiciendi dæmones, & ſpiritus immundos è corporibus, curandi infirmos, & mortuos ſuſcitandi, aliiſque priuilegiis, quæ ad promouendam hominum ſalutem Apoſtolis vltrò contulerat. Aperta præterea ratio oſtendit, Dei dona non poſſe eſſe materiam venditionis abſque graui tum donantis Dei, tum ipſius doni iniuria, vti Petrus damnans Simoniam ſignificat; quis enim neget, donum, quod ob ſuam dignitatem, Dei proprium eſt, ab eiúſque gratuita liberalitate duntaxat pendet, contemni, quoties tanquam vile quidpiam temporali pretio diſtrahitur, & ita cum ipſo Deo agitur, atque ſi ad ſua dona præſtanda infami commercio, & mercede ſui miniſtri cogendus eſſet. Sanè vtile eſt, quidquid venditur, inquit Hormiſod. *Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan.* & Gregor. *lib.* 7. *Epiſt.* 113. *ad Brunechild. quin denuò vendetur, quod venditur; aut quis non vile putat eſſe, quod emitur.* Neque aliud volunt alij PP. dum paſſim dicunt, non poſſe ſpiritualia cum terrenis componi. & Gennad. *Epiſt. Encyclica*, *μὴ γὰρ ἔστω τῶν ἐπουρανίων, καὶ πνευματικῶν ἀμοιβὴν τὰ γήινα, καὶ ἐπίκηρα.* Prætcrquam quod reipſa ſignificamus hominem, quo cum paciſcimur, eſſe præcipuum donorum iſtorum authorem, qui pro ſua voluntate, aut gratuitò donet, aut pretio diuendat. Cùm igitur tum ipſi Deo, tum eius donis grauis infligatur iniuria in donorum iſtorum ſpiritualium venditione, dicendum eſt, illa licitè vendi non poſſe, atque adeò eſſe maximè propriam materiam Simoniæ. Eſtque ea ratio S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. dum dixit, rem ſpiritualem indignè tractari à Simoniaco: illa verò iniurioſa tractatio non ſumitur præcisè ex inæqualitate pretij temporalis, & doni ſpiritualis, eorúmque incommenſurabilitate; nam etiam in humanis bona diuerſorum ordinum, atque adeò inter ſe inæqualia aliquando inter ſe commutari, & compenſari ex prudenti hominum arbitrio, atque æſtimatione poſſunt. Ita fama, vita, membri amputatio pecuniâ nonnunquam compenſantur, quamuis pecunia longè inferius bonum ſit, quàm fama, vel vita, quia ab eo, qui non poteſt dare æquale, quod deberet, accipitur quod dare poteſt, & ponitur æqualitas, quantùm ponibilis eſt. Iniuria igitur, quæ committitur aduerſus rem ſpiritualem in contractu Simoniaco, accipienda eſt ex eius ſanctitate, & veluti diuinitate, à qua habet, vt à ſolo Deo pendere poſſit, & ſupra omnem humanam æſtimationem euehatur, cùm diuini cuiuſdam ordinis exiſtat, atque adeò ſacra quadam veneratione digna, quæ dignitas violatur, quoties cum aliquo bono inferioris ordinis tanquam digno ex hominum iudicio, pretio commutatur; alia verò bona inæqualia, quæ tamen inter ſe compenſari aliqua ex parte queunt, humana ſunt, atque adeò aliquo humano pretio compenſabilia, & in humanum iudicium, atque æſtimationem cadunt; & quamuis per bonum aliquod inferius nunquam compenſentur ad æqualitatem, compenſantur tamen aliqua ex parte, & æſtimabilia ſunt humano arbitrio: at verò bona diuina eo ipſo, quod diuina ſunt, ita ſupra omnia humana, & temporalia euehuntur, vt nullam cum eis proportionem habeant, quandoquidem toto genere diſtant, atque proinde nullo pretio æſtimabilia ſint ab

homine. Accedit & alia iniuria, quam obſeruat S. Thom. *artic. cit.* quòd in eo commercio vſurpetur quoddam dominium in iſta dona ſpiritualia, quæ tamen diuina ſunt; quamuis enim ſimus domini actuum, qui per ea exercentur, & quibus ad ea dona ſæpiùs diſponimur, eò quod liberè eos exercemus: tamen illa ipſa actio, quæ poterat à nobis, ſi libuiſſet, non exerceri, eſt donum gratuitum Dei, quatenùs diuina, ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt, eiúſque ſpiritualitatis, & ſupernaturalitatis principium, eſt donum Dei, & vel illa actio tendit tantùm ad ſacrificationem operantis, vel in alterius commodum. Primo modo, vtilis alteri eſſe non poteſt, neque nos habemus dominium illius actionis, vt eius valorem, dignitatem, ac meritum conferamus alteri, & quamuis prodeſſe illi poſſet ad ſatisfactionem, & impetrationem, id tamen non fit niſi per gratuitam Dei promiſſionem, qui volens ſe obligauit ad acceptandam talem actionem, quoties ad ſatisfaciendum, aut aliquid poſtulandum pro alio offerretur; Ex qua promiſſione non oritur in operante dominium ſuæ actionis ſatisfactoriæ, aut impetratoriæ, vt eam vili pecunia diuendat. Quod idem quoque dicendum eſt, quoties noſtra actio ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt, quia eſt collatiua gratiæ, & donorum aliis, cuiuſmodi ſunt Sacramentales; cùm enim non ſimus domini donorum, quæ per eam actionem conferuntur, quæque à Deo tantùm conferenda ſunt; Neque etiam domini ſimus actionis vt collatiuæ donorum, quia ſolum ratione ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt, facimúſque, vt initiò dicebamus, iniuriam Spiritui ſancto, donorum authori, quem nobis, quod monebat Tharaſi. *Epiſt. ad Adrianum Roman. Pontif.* ſubiicimus, ſeruúmque facimus, & pro Imperio vendimus, eiúſque bona, quo libet pretio, diſtrahimus; aut illa emptione comparamus, quaſi ex eius liberalitate, & voluntate minimè pendeant, ſed in iure vendentis, eáque in noſtrum dominium, & vſum omnem transferentis. Sacrilegium igitur, & grauis iniuria aduersùs diuina dona in eorum venditione committitur, ac proinde vera, & propria materia Simoniæ exiſtunt.

Quæ ratio non modò oſtendit 2
dona Dei ſupernaturalia ſecundùm ſuam ſubſtantiam, atque ex ſua natura ad ſalutem ſupernaturalem ordinata, qualia ſunt gratia ſanctificans, habitus ſupernaturales, eorúmque actus materiam eſſe Simoniæ, ſed etiam idem euincit in iis, quæ ſunt cauſaliter, & diſpoſitiuè ſpiritualia, atque ad cauſandam gratiam ſanctificantem, & ſalutem inſtituta, cuiuſmodi ſunt Sacramenta, & ſacrificium: quod omnes æquè fatentur. Hæc enim quamuis in actionibus quibuſdam materialibus, externis, & ſenſibilibus conſiſtant, cùm tamen ſint ex Chriſti libera inſtitutione gratiæ collatiua, reuerà ſunt dona ſupernaturalia, & ratione ſui termini, quem producunt, ſpiritualia, & talia vocantur ſimpliciter, & ſecundum ſe à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. *ad* 6. actio enim dicitur ſimpliciter ſecundum ſe, & ex natura ſua talis, qualis conſtituitur eſſentialiter per ordinem ad ſuum terminum, à quo ſpecificatur. Caietan. *ver. Simonia*, ait eſſe compoſita ex ſpirituali, & materiali, tanquam ex materia, & forma; ita tamen,

men, vt ſpirituale formæ locũ teneat, quandoquidem igitur ex forma ſumitur natura compoſiti, ita ex ſpirituali forma Sacramentorum, ipſorum natura ſumenda fuerit. Cùm igitur ſint à Chriſto inſtituta propter ſpiritualia, ex eóque fine ſuo intrinſeco, & effectu ſpiritualia ſint, & dona Dei, irreuerenter tractabuntur, ſi vendantur, fietque iniuria Deo, vti ſuperiùs expoſuimus.

3 Venio ad Tertiam noſtræ Regulæ partem, quæ continet ea, quæ ab Eccleſia conſecrata ſunt, & ad ſalutem ſupernaturalem ſuo modo promouendam, atque ad diuinum cultum inſtituta, quæ, Sacramentalium nomine paſſim comprehenduntur. Hæc autem ſunt imprimis omnes cærimoniæ, quæ in adminiſtrandis Sacramentis, & offerendo ſacrificio ſunt inſtitutæ; de quibus omnibus, & ſingulis diſputauimus in ſcientia canonica. ſecundo omnes aliæ benedictiones, & actiones ſacræ, quæ alicui ordini ſacro ex Eccleſiæ inſtitutione ſunt annexæ, & quamuis ab aliis fieri poſſint, tunc tamen priuatæ tantùm ſunt, & non ſolemnes. Hæ porrò ſunt iterum in duplici differentia, nam aliæ relinquunt aliquem effectum poſt ſe, vt conſecrationes quædam rerum, quæ deinde manent conſecratæ, & diuinis ſolùm vſibus deſtinatæ, vt benedictio, ſiue conſecratio Templi, Calicis, aliorúmque vaſorum, ac veſtium ſacrarum, benedictio olei, chriſmatis, aquæ. Aliæ verò tranſeunt vnà cum ſua actione, ſiue conſiſtunt tantùm in fieri, vt benedictio nuptiarum, Exorciſmus, aliæve cærimoniæ, ex quibus benedictionibus aliquæ ſunt inuocatiuæ, aliæ effectiuæ, quia priores agunt tantùm per modum impetrationis; poſteriores autem veluti per modum operis operati, omnes tamen ſunt alicui ordini ſacro annexæ, & ab Eccleſia, cuius etiam nomine, ab eiúſque Miniſtris fiunt, ad ſpiritualem quendam effectum aut impetrandum, aut faciendum inſtitutæ. De his igitur omnibus benedictionibus, aliiſque conſecrationibus agimus hoc loco, ſiue de Sacramentalibus tranſeuntibus, nam de rebus ipſis conſecratis, ſiue Sacramentalibus, vt aliqui loquuntur, permanentibus, dicam inferiùs in tertia Regula.

Dico itaque has omnes actiones eſſe materiam Simoniæ, quia ſunt aliquid ſpirituale, & ſupernaturale, ad ſalutem ſupernaturalem ſpectans; tum ratione principij à quo procedunt, tum ratione finis, in quem ordinantur; principium enim inſtituens eſt poteſtas ſupernaturalis Eccleſiæ collata; principium efficiens eſt aliquis ordo ſacer; finis verò eſt effectus ſpiritualis, quem per modum ſaltem impetrationis producit; nihil igitur deeſt ad ſpiritualitatem, ſupernaturalitatemque neceſſariam ad conſtituendam Simoniam, quod ampliùs conſtabit ex ſequenti Regula.

Neque dicas, hæc omnia talia eſſe duntaxat ex inſtitutione Eccleſiæ, atque adeò vel non eſſe materiam Simoniæ, vel ſaltem non niſi Simoniæ cuiuſdam Eccleſiaſticæ: Nam aliud eſt, rem quampiam in ſuo eſſe pendere ab hominum inſtitutione, aliud verò, vbi iam inſtituta eſt, ſuam habere naturam, & proprietates, atque ad hanc, vel illam virtutem pertinere. Atque ita omnes illæ benedictiones, actionéſque ſacræ poterant non inſtitui ab Eccleſia, vbi tamen inſtitutæ ſunt,

iam ſacræ manent independenter ab Eccleſia, & vt ſacræ pertinent ad religionem, atque quamdiu ſacræ manebunt, ad principium ſupernaturale, & finem ſupernaturalem, ordinem habebunt, materiaque Simoniæ ſecundùm eam ſupernaturalitatem exiſtent, ideóque iure merito tanquam Simoniacæ eiuſmodi prohibentur benedictiones. Ita de dedicatione Eccleſiæ ſanciuit Aquiſgran. II. Imperante Ludouico. *pa. 1. cap. 5.* & Cabillon. II. Imperante Magno Carolo. *cap. 16.* certum eſſe ſupponit, cum neque pro dedicandis Eccleſiis, neque pro dandis ordinibus quidpiam accipiendum eſſe ſtatuit.

QVÆSTIO VI.

CONSECTARIA Ex ſuperiori Regula.

CONſect. I. An ante legem Euangelicam fuerit Simonia.

Conſect. II. In pura natura fuiſſet aliqua Simoniæ ſpecies.

Conſect. III. Apud Idololatras nulla eſt vera Simonia, quare neque Ieroboam, neque Balaam Simoniaci fuerunt.

Conſect. IV. Scientia naturalis non eſt materia Simoniæ.

Conſect. V. Doctrina Theologiæ non eſt materia Simoniæ.

Conſect VI Neque licentia docendi, neque Magiſterium, neque Doctoratus in quacúnque ſcientia ſunt materia Simoniæ, ideóque vendi poſſunt.

Conſect. VII. Licentia ſtudendi non eſt materia Simoniæ.

Conſect. VIII Reſponſa, & conſilia etiam de quæſtionibus conſcientiæ non ſunt materia Simoniæ.

Conſect. IX. Concio, & Catechiſmus eſt materia Simoniæ.

Conſect. X. Obligatio ad faciendum actum ſpiritualem etiam ſoli operanti vtilem eſt materia Simoniæ; licebit tamen munere temporali, aliiſve modis, quàm vero contractu, & pacto oneroſo, alium ad actum ſpiritualem inuitare.

Conſect. XI. Soluuntur plures caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

Conſect. XII. Nulla pura promiſſio actus ſupernaturalis, ſed ea ſola, in qua exercetur actus Iuriſdictionis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, eſt materia Simoniæ.

Conſect. XIII. Solutio ſingulorum Caſuum ex ſuperiori Conſectario.

Conſect. XIV. Neque gratia vnionis Hypoſtaticæ, neque Chriſtus eſt materia Simoniæ, neque Iudas fuit propriè Simoniacus.

Conſect. XV. Vendere Chriſtianum, iuſtum, ſacerdotem, Clericum, Religioſum ſub illa ratione Chriſtiani, iuſti, ſacerdotis, &c. Simoniacum eſt.

Conſect. XVI. Gratiæ gratis datæ, vt prophetia, virtus miraculorum, & aliæ eiuſmodi ſunt materia Simoniæ.

Conſect. XVII. Omnia, & ſingula Sacramenta ſunt materia Simoniæ.

Conſect. XVIII. An matrimonium ſit materia Simoniæ.

Conſect. XIX. Sacramentalia omnia, & ſingula ſunt materia Simoniæ.

CONSECTARIVM I.

An ante legem Euangelicam fuerit Simonia.

Quæſtio hic gemnia excitari poteſt. prima an Simonia fuerit ante Chriſtum prohibita, quod certiſſimum eſt, cùm enim iure naturali, & diuino prohibita ſit, ſemper prohibita fuit, quandoquidem ius naturale diuinum ſemper viguit. Altera quæſtio eſt, an id temporis reperiretur materia Simoniæ, & præceptum aliquod poſitiuum de illa latum eſſet.

1 Et quidem, quod attinet ad materiam Simoniæ, illa fuit in lege naturali, & Moſaïca, nam tunc erant dona ſupernaturalia, vt gratiæ gratis datæ, prophetia, interpretatio ſomniorum, fuit quoque aliquod Sacramentum delendo peccato originali, ſacerdotium, & alia miniſteria ſacra, quod apertum quoque eſt in lege Moſaïca. Ratio verò euidentiſſimè idem perſuadet; Nam natura fuit ſemper eleuata ad finem ſupernaturalem, ad quem conſequendum DEVS illi perpetuò parauit dona ſupernaturalia, atque etiam illa exhibuit fidelibus, quales fuerunt poſteri Seth, & Abrahæ, qui verum DEI cultum retinuerunt, atque adeò vera miniſteria ſacra habuerunt, vt in Melchiſedechi ſacerdotio apparet, antequam cultus Aaronicus, & omnis eius ritus à DEO inſtituti fuiſſent, & lex data in manu Moyſi mediatoris. An verò id temporis ab aliquo commiſſum fuerit hoc peccatum, non conſtat; quod enim de Eſaü vendente primogenituram, cui annexum erat Sacerdotium, & de Ephrone vendente ſepulturam Abrahæ quidam obiiciunt, expendetur inferiùs in Conſectariis ex vltima noſtra Regula deductis. In lege certè Moſaïca Simoniam commiſſam fuiſſe ab Iaſone, & Menelao, qui pluribus argenti talentis ſacerdotium ab Antiocho Rege emerunt 2. *Mach. cap.* 4. dubitari nequit.

Circa præceptum poſitiuum Simoniæ nullum repetitur fuiſſe in lege naturæ: in lege autem Moſaïca comprehendebatur ſine dubio prohibitione numerum facta ſacerdotibus *Exod.* 24. & ſupponitur, quoties ob eiuſmodi numerum acceptationem, tum Prophetæ, tum ſacerdotes à DEO reprehenduntur intentatis acerbis minis. 1. *Reg.* 2. *Micheæ.* 3. Ezech. 24. & 34. *Ierem.* 23. Zachar. 11. quæ & alia obſeruauit Riber. *in capit.* 3. *Mich. citatum.* 2

CONSECTARIVM II.

In pura natura fuiſſet aliqua Simoniæ ſpecies.

Supponendum eſt, in pura natura futurum fuiſſe veri DEI ſacrum cultum, ſacerdotium, ſacrificia, aliáque ſacra munera ad veram Religionem naturalem pertinentia, atque adeò poteſtatem quandam Eccleſiaſticam ſpiritualem æquè, ac ciuilem, quod tradit Victor. *Relect.* 1. *de poteſtat. Eccleſ. ſect.* 4. *num.* 3. idque tam certum eſſe debet, quàm dari naturalem virtutem Religionis, quæ naturalem DEI cultum reſpiciat. Contra Philoſophos quoſdam, qui apud Lactant. *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 3. omnem DEI cultum ſuſtulerunt; quod & feciſſe impium Auerroëm 1

comm.

comm. 12. *in Metaph.* non leuis ſuſpicio eſt. Et quamuis hanc virtutem Ariſtoteles non explicârit, eius tamen ſæpiùs meminit variis locis, quæ collegerunt Poſſeuin. *dial.* 2. *de honore*, & Eugubin. *lib.* 4. *de perenni Philoſophia. cap.* 18. *&* 21. Stobæus *quoque in Eclog. Eth. capit.* 4. plurima tum ex eodem Ariſtotele, tum ex peripateticis de hac virtute congeſſit. Quare non ſatis prudenter Caiet. 2. 2. *quæſt.* 85. *artic.* 2. Ariſtotelem damnauit in hac re;qua eàdem calumnia Lactant. *lib.* 5. *inſtitut. cap.* 15. Platonem onerauit, cùm ex 4. *de legibus*, aliiſque locis eius mens perſpicua reddatur.

2 Religio porrò præſcribit actus, quibus DEVM exteriùs colamus, quem cultum, & ea, quæ ad ipſum proximè ſpectant, tanquam ſacrum habendum eſſe, ipſa naturalis ratio dictat. Dignitas itaque ſacerdotij, & munerum omnium Religioſorum venditione vileſceret, ac proinde peccaretur in ea venditione peccato Irreligioſitatis contra Religionem naturalem, quæ Irreligioſitas alia non eſſet, quàm Simonia. Ita Leſſi. *lib.*2.*cap.* 35. *num.* 8. & Suar. *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 8 *num.* 27. & ſeq. & ſanè ſapienter obſeruit Paludan. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 4. Non ideò vendere ſacerdotium, erat Simonia, quia illud erat à DEO inſtitutum, ſed quia Sacerdotium à quocúnque ſit inſtitutum, ad DEI cultum inſtitutum eſt. Quia tamen hæc Simonia non reſpiceret Religionem infuſam, & ſupernaturalem, eſſétque in materia omninò, & purè naturali, quamuis ſpirituali, & ſacra, non eſſet eiuſdem ſpeciei cum noſtra Simonia, quæ verſatur circa materiam ſupernaturalem & oppo-nitur Religioni infuſæ, atque ſupernaturali, ſed conuenirent in ratione generica indecentiæ, atque irreuerentiæ circa cultum veri DEI, per venditionem eorum, quæ ad eundem cultum pertinent.

CONSECTARIVM III.

Apud Idololatras nulla eſt vera Simonia, quarè neque Ieroboam, neque Balaam Simoniaci fuerunt.

Hoc Conſectarium impugnat Victor. *Relect. de Simonia.num.* 20. *&* 21. & Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. qui tamen ſuam ſententiam reſtringit ad tempus præcedens legem Euangelicam, quæ omnem antiquum cultum abrogauit. Verùm cùm nunquam apud Idololatras fuerint vera ſacerdotia, neque quidquam verè ſacrum, non potuit apud illos eſſe vera Simonia etiam contra ſanctitatem naturalem, niſi ex praua intentione, & conſcientia, vt de Ieroboam, & Balaamo dixit Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 2. Neque dicas cum Victor. in qualibet Republ. poteſtatem eſſe ex Iure naturali eligendi ſacerdotes, quarè qui ita creabantur, erant veri, & legitimi ſacerdotes, licet deinde poteſtate ſibi legitimè collata abuterentur ad Idoli cultum, nam illa poteſtas non eſt niſi ad conſtituendum veri DEI ſacerdotem; quare ſicut illi ſacerdotes non erant niſi falſi, ita eorum creatio iniqua erat, & per poteſtatem vſurpatam, quare & venditio illius Simoniaca eſſe non potuit ex obiecto: atque adeò Ieroboamum Simoniacum fuiſſe negamus, non tantùm, quia non conſtat, ipſum ſua impia ſacerdotia vendi.

vendidiſſe; quod enim dicitur 3. Reg. 13. *fecit de nouiſſimis ſacerdotes excelſorum, quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos*, non ſignificat eos, qui ambiebant ſacerdotium, impleſſe pecuniâ manum Ieroboam; ſed quemcúnque pro libito vſurpaſſe ſacerdotium, & impleſſe, aut potiùs initiaſſe, & conſecraſſe manum ſuam ſacrificando, vti explicat in illum locum Abulenſ. *quæſt.* 14. Sanch. *in Comm.* & alij paſſim; ſed etiamſi Ieroboamus illa ſacerdotia vendidiſſet, non vendebat aliquid inuendibile, aut reuerà ſacrum, ſed tantùm, ex falſa apprehenſione ementium, quod vnum attenderunt PP. ſi qui huius vitij impiiſſimum principem damnarunt.

2 Major quædam videtur difficultas in Baalamo, qui mercedem iniquitatis amauit. 2 *Epiſt. Petri. cap.* 2. & in *Epiſt. Iudæ*, dum maledicturus DEI populo pergeret, quare illum Simoniacis accenſent Hugo à S. Victor. *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 2. *par.* 10. Victor. *Relect. de Simon. num.* 10. Damian. *opuſ* 6. *capit.* 7. Lorin. *in cap.* 8. *Act.* Cornel. *in cap.* 12. *Num.* imò Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 2. ait Simoniacos dici Balaamitas. Verùm non magis ille fuit Simoniacus, quàm alij omnes Arioli, aut malefici, qui ſua maleficia infando commercio diſtrahunt, & meritò maleficij præmium, mercedem iniquitatis vocant Petrus, & Iudas, cùm non tantùm pro maledictione, ſed multò magis pro infami conſilio inducendi Iſraëlitas ad ſtupra cum Madianitis reddita fuerit.

***

CONSECTARIVM IV.

Scientia naturalis non eſt materia Simoniæ.

Huius conſectarij veritas conſtat ex definitione ipſa Simoniæ, atque ex noſtra propoſitione vniuerſali, & Regulis, quas hactenùs circa obiectum Simoniæ tradidimus, cùm enim illud obiectum debeat eſſe aliquid ſpirituale, & ſacrum, & ſcientia naturalis neque ſacra, neque ſpiritualis ſit, vt in hoc loco ſpirituale capimus pro eo, quòd ad finem ſupernaturalem ſiue ex natura ſua, ſiue ex inſtitutione refertur, atque adeò ſupernaturale eſt vel in ſe, vel ratione ordinis proximi cum aliquo ſupernaturali, ſtatim apparet circa ſcientiam merè naturalem, nullam Simoniam committi poſſe, etiamſi quis illam vendat, neque ſine pretio, aut mercede docere velit, aut pro nobilitate doctrinæ pretium augeat: quamuis enim poſſit quis contra iuſtitiam peccare, ſi cariùs vendat, non tamen contra Religionem, ſiue infuſam, ſiue naturalem Simoniam admittere. Et ſanè ſi quis ſcientiam alterius, ſiue maleficio, ſiue qua alia ratione deſtruere poſſet, non peccaret contra Religionem præciſè ex ea deſtructione. Ita paſſim recentiores Conſectario ſequenti allegandi cum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 71. *artic.* 4. *ad* 2. *& quæſt.* 100. *artic.* 3. contra Altiſſiodor. Alenſem, & alios quoſdam veteres, quos dabit Azor. 3. *p. inſtit. lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 6. neque refert, quòd quis intendat vendere ipſammet veritatem, cùm enim illa naturalis ſit, & neque ſacra, neque per ſe, aut ex inſtitutione proximè ordinata ad diuinum

P cultum,

cultum, reuerà non erit materia Simoniæ. In ea tamen venditione veritatis S. Thom. *quæſt.* 100. *cit. art.* 3. *ad* 1. graue peccatum agnoſcit, quod etiam Simoniam vocauerat *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *quæſt.* 2. *& quæſt.* 8. *artic.* 11. ſed eum loquendi modum, atque adeò ſententiam mutauit in Summa, vbi ſolum peccatum, quamuis graue, eſſe dixit. Quod aliqui petunt ex eo, quod veritas ſuperet omne pretium temporale. Verùm rectè monet Valent. *diſput.* 6. *cit. quæſt.* 16. *punct.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. non eſſe certum, an præſtet rebus ad vitam neceſſariis abundare, quàm habere cognitionem aliquarum veritatum, & ſcientiarum homini minimè neceſſariarum.

2 Quod autem dicitur *Prouerb.* 23. non eſſe vendendam diſciplinam, & *cap.* 3. eam eſſe pretioſiorem cunctis opibus, nihil planè conficit, quia ſicut prohibetur vendi doctrina, ita & ibidem dicitur emenda. Neque pugnat ſecum Salomon, vult enim nullis parcendum eſſe ſumptibus, vt quis ſibi ſapientiam comparet, etiam emendo quidquid ad illam obtinendam fuerit neceſſarium: Vbi verò eam acquiſiuerit, ne diuendat ſiue quia liberaliter illam communicare, generoſius erit, ſiue quia nunquam eſt contemnenda, & amittenda quocunque pretio, atque ita vel venditio, & emptio eo loco figuratè ſumitur, vt alibi ſæpiùs; vel in illis verbis non continetur præceptum, ſed conſilium duntaxat. Cùm autem dicitur ſapientia pretioſior cunctis opibus, ſignificatur illam nullo pretio obtineri poſſe. Si quis ingenio careat, aut laborem non adhibeat, etiamſi prædiues, & pingue Minerual det ſuo præceptori, non idcircò doctrinam ſibi comparabit. Itaque in hac venditione veritatis vt ſic Valent. Leſſi. & Suar. peccatum iniuſtitiæ agnoſcunt conſentaneè ad mentem S. Thom. qui *art.* 3. *cit.* ait illum, qui propter iuſtum ſtipendium, aut pretium ſuarum operarum, & laboris in docendo, aliquid aliud accipit, vendere ipſam veritatem. Tunc autem vel vendit rem non ſuam, vel bis idem vendit; Nam vel veritas conſideratur in mente docentis, & ſic non poteſt communicari alteri, neque proinde vendi abſque iniuſtitia, vel conſideratur in mente diſcipuli, in quo incipit quodammodo recipi, & tunc ampliùs non eſt in bonis docentis, cuius ingenij, & intellectus fœtus quidam eſt: vel conſideratur in verbis, aut ſignis, quibus eam doctor proponit intellectui diſcipuli, quem ſua induſtria, & labore ad aſſequendam cognitionem veritatis ipſi propoſitæ iuuet. Quod totum continetur nomine doctrinæ, aut actus docendi; atqui pro eo omni labore, induſtria actu, ac munere docendi iam iuſtum pretium accepit, vt ſupponimus: ergò ſi aliquid amplius exigat, vendit bis eandem rem, vel vendit ipſammet veritatem inuendibilem, & non ſuam. Non tamen iniuſtus erit, ſi pro nobilitate doctrinæ, aut pro maiori ſua peritia pretium augeat, quod quotidiè fieri videmus; quia doctrina ex ſuo obiecto, redditur dignior, ac proinde qua ratione vendibilis eſt, quod explicuimus in notatis huius quæſtionis, maioris valoris, & æſtimationis cenſebitur, quæ æſtimatio creſcit quoque ex nobilitate, peritia, & authoritate docentis, & non tantùm ex maiori, aut minori labore ipſius, alioquin, qui excellentiori ingenio eſt, & facilè doctri

doctrinam communicare poteſt ſiue improbo labore, ſiue exiguo eam ſibi comparauerit, minori ſtipendio dignus foret; Quod nemo prudens dixerit; Immò ſi quis nullo labore, & induſtria, ſed liberali DEI munere doctrinam accepiſſet, illius tamen vſum vendere poſſet eodem modo; ſicut ſuas operas ille, qui miraculo vel ſanitatem, vel manum recuperaſſet, cùm rei valor petendus non ſit ex modo, quo comparata eſt, aut pretio, quo conſtitit, ſed ex intrinſeca eius natura, aut communi hominum æſtimatione; Ideóque ſapienter monet Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99. non ſufficere ad Simoniam, quod donum ſit ſupernaturaliter datum, niſi vel in ſe ſupernaturale ſit, vel ad ſalutem animarum datum. Tunc enim ſcientiæ naturales ad aliorum ſalutem infuſæ, atque ipſarum vſus in ordine ad eam ſalutem forent materia Simoniæ, quod etiam aduertit Sanch. *lib.* 2. *Conſil. capit.* 3. *dubit.* 4. *num.* 5.

3 Ex quibus vlterius colliges contra Angelum *ver. Magiſter. num.* 11. & Hoſtienſ. Archidiac. atque alios apud ipſum. Magiſtrum mercede conductum ab Eccleſia ad docendum ſcientias naturales, non committere Simoniam, ſi aliquid à diſcipulis exigat; cùm tota illa doctrina ſit naturalis, neque magis ad Religionem pertineat, quàm ſi à poteſtate ſæculari conductus fuiſſet. Poterit tamen aliquando ex duplicato ſtipendio, aut ratione exceſsûs, aut violatione contractûs, & pacti iuſti, aut alio quopiam modo peccare contra Iuſtitiam. Qua de re vide DD. *in capit.* 1. *de Magiſtris.* Idem omninò dicendum erit cum Layman. etiamſi obligatio docendi ſit alligata beneficio Eccleſiaſtico, quia nihilominus ſemper manet temporalis, quare non ſit materia Simoniæ, ideóque ſi beneficium daretur pro ſcientia docenda, foret Simonia, vt contra Panormitanum alibi dicemus, quia daretur reuerà pro pretio temporali.

Addo demùm, neque Simoniam committi, quoties doctor non vult vacare à legendo, niſi pretio accepto à diſcipulis, etiamſi illam vacationem poſtulent ad colendum feſtum diem. Contra Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 5. §. 17. *notab.* 7. & 3. *p. tit.* 5. *cap.* 2. §. 5. quia & Raymundum allegat; qui ſicut lectio illa non eſt materia Simoniæ, neque eius carentia erit, vt patet. Quod verò ea vacatio à lectione referatur ad diei feſti obſeruantiam, nihil omninò facit ad Simoniam, quia neque lectio violat obſeruantiam feſti, neque non lectio ad illam quidpiam facit, niſi ex intentione, & animo vacantium, quod totum extrinſecum eſt tum lectioni, tum vacationi, quæ ex ea intentione vacantium non fit ſacra, & inuendibilis, ſiue materia Simoniæ, alioquin ea quæ ad diuinum cultum deſtinantur, vt candelæ, vinum, veſtes vendi non poſſent abſque Simonia. 4

CONSECTARIUM V.

Doctrina Theologiæ non eſt materia Simoniæ.

Accipio Theologiam hoc loco, vt paſſim vſurpatur pro ſcientia, quæ humana ratione, & induſtria concluſiones ex fidei principiis deducit, ſiue ſcripturas interpretetur, ſiue ſub- 1

P 2 tiliori

tiliori ratione de variis controuerſiis diſceptet, ſiue quæ ad mores Chriſtianos pertinent, explicet, ea ratione qua in ſcholis doceri ſolet, & nego eam eſſe materiam Simoniæ, ac proinde dico munus eam docendi poſſe vendi. Ita Caiet. *in art.* 3. *quæſt.* 100. 22. Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 1. Victor. *Relect. de Simonia. num.* 6. vbi etiam Durandum allegat eò quod *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. ſcientiam vendi poſſe dicat, neque quidquam de Theologia excipiat. Soto. *lib.* 9. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 1. Ledeſma. 2. *pa. tractat.* 13. *diffic.* 2. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 16. *quæſt.* 66. *punct.* 2. *quæſt.* 2. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 18. *num.* 9. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 80. Rodriq. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 59. *num.* 2. quoad Theologiam Scholaſticam. Ripa *de peſte p. vltim. num.* 94. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 37. *diffic.* 8. *num.* 2. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim.* §. 4. *num.* 30. Ferdinand. A Caſtro. *tractat.* 13. *diſput.* 3. *punct.* 10. *num.* 2. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 88. *num.* 3. & 4. Gordon. *Lib.* 8. *quæſt.* 8. *cap.* 4. *num.* 15. Filluc. *tractat.* 45. *cap.* 4. *quæſ.* 7. Bonac. *diſput. de Simonia. quæſt.* 4. §. 8. *num.* 5. Azor. 3. *pa. cap.* 17. *quæſt.* 4. Gloſſa quoque manifeſtè dicit 1. *quæſt.* 3. *in cap. vendentes. ver. Debitam.* Theologum, & Decretiſtam aliquid percipere poſſe ex eo quod docent. Neque ſecum pugnat, dum *ead. cauſa quæſt.* 1. *cap. qui ſtudet. ver. Sanitatis*, ait non recipi mercedem pro ſcientia, ſed pro labore; Nam ibidem etiam dicit, neque medicum accipere pretium pro danda ſanitate, ſed pro labore ſuo; quia nempe neque ſanitas, neque ſcientia, aliæve ſimiles qualitates in ſeipſis, & in abſtracto vendi queunt: venduntur tamen tanquam termini actionum, quibus producuntur, quoties illæ actiones venduntur, vti dixi in notatis initio quæſtionis 5. & de uendibilitate veritatis in proximè ſuperiori Conſectario. Communi tamen doctrinæ repugnant Sylu. *ver. Simonia. quæſt.* 10. *initio* allegans Paludan. *in cap.* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. cui etiam conſentit Antonin. 2. *pa. titul.* 1. *cap.* 5. §. 17. *notab.* 6. *ſub fin.*

2 Ratio noſtri conſectarij eſt, quia etiamſi Theologia procedat ex principiis fidei, atque ea ex parte ſupernaturalis ſit, velintque plures tum habitum, tum actum Theologicum eſſe eſſentialiter, & ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalem, quod & nos exiſtimauimus 1. p. nihilominus doctrina, ſiue actus docendi Theologiam tum ſpeculatiuam, tum practicam, & moralem, atque interpretandi ſcripturas, naturalis omninò eſt, & fit eodem modo, quo cæterarum ſcientiarum doctrina traditur; Neque enim doctor Theologus quamuis res ſupernaturales explicet alia ratione, influit in notitiam auditorum, & eorum mentes illuminat, quàm quia naturaliter eorum diſcurſum dirigit, & iuuat, vti in aliis ſententiis. Quare hæreticus, qui fidei principiis non cederet, ſi Theologiam nihilominus probè calleret, æquè docere illam poſſet, atque Catholicus: quare hic actus non eſt ſupernaturalis ratione principij, aut operis ab illo producti. Quod verò actus verè Theologicus tum in docente, tum in diſcente ſupernaturalis ſit, nihil admodùm vrget, quia actio docendi ea quæ per aſſenſum Theologicum, & ſupernaturalem deinde cognoſcuntur, eſt omninò naturalis, neque ordinatur

ex

ex ſe ad ſalutem ſupernaturalem, ſed ad intelligentiam obiecti propoſiti, cui auditor tum naturaliter, tum ſupernaturaliter pro diuerſo motiuo aſſentitur.

CONSECTARIVM VI.

Neque licentia docendi, neque Magiſterium, neque Doctoratus in quacúnque ſcientia ſunt materia Simoniæ, ideóque vendi poſſunt.

1 Hoc Conſectarium neceſſariò deducitur ex ſuperiori, cùm enim actus ipſe docendi ſit merè naturalis, licentia ſiue facultas ad ipſum non poteſt eſſe niſi merè naturalis; quarè in noſtram aſſertionem conſentiunt omnes ſuperiori difficultate laudati. Et quidem quod attinet ad gradum Magiſterij, ac Doctoratus, Antoni. 3. *p. tit.* 5. *cap.* 2. §. 6. ait ſe neminem legiſſe, qui negaret pecuniam pro illius collatione licitè accipi, ipsáque perpetua, atque vniuerſa'i conſuetudine id abundè confirmari: Et ſanè in Doctoratu duo tantùm fingi poſſunt, nempe teſtimonium publicum ſcientiæ acquiſitæ, atque dignitas, & honoris inſignia, de qua dignitate, eiúſque priuilegiis vide Tiraq. *de nobilitate cap.* 28. *num* 2. *& cap.* 20. *num.* 68. Chaſſan. *in Cat. Part.* 8. *Conſ.* 12. Bobadilla *in ſua politica, lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 42. Ioan. Garcias *de nobilitat. Gloſſa* 48. §. 3. *num.* 72. Rebuff. *de priuil. Schola. priuil.* 169. Alterum eſt ius docendi, quod confertur: vtrúmque autem iſtud omnino naturale, & temporale eſt; quod etiam S. Thom. *quodlib.* 3. *artic.* 9. dixit. Neque refert, quod collatio, aut inſtitutio Pontificia ſit, neque enim propterea eſt à poteſtate ſpirituali, vt ſpiritualis eſt, ſed vt eſt eminenter politica, vt notauit Leſſi. & nos explicauimus fuſiùs *in* 2. *Regula*, actum enim, qui eſt à poteſtate eminenter politica, & formaliter ſpirituali, ac ſupernaturali, non magis ſpiritualem, & ſupernaturalem eſſe, quàm ſi à formaliter temporali, & mere politica exiret docebimus.

Quod attinet ad licentiam docendi, ſingularis videtur difficultas, propter *cap.* 1. *&* 3. *de Magiſt.* quod prohibet quidquam exigi cuiuſcunque conſuetudinis prætextu pro licentia docendi. Et *cap.* 2. ſi quid exactum, & acceptum pro ea licentia fuerit, reſtitui iubet. *cap. verò* 4. *&* 5. prouidetur de ſalario ſufficienti Magiſtris, vt gratis docere poſſint, quod etiam circa Theologum accuratè curauit Concil. Trid. *ſeſſ.* 5. *de reformat. cap.* 1. neque tantùm Concil. Lateran. ſub Alexand. III. & aliud ſub Innocent. circa hos magiſtros curandos laborarunt; ſed iam olim Concil. item Roman. ſub Eugen. II. & ſub Leone IV. & ſub Gregorio VII. Synodi ſub Eugenio II. verba refert Gratian. *cap. de quibuſdam.* 37. *diſt.* Iuo *pa.* 4. *cap.* 14. Anſelm. *lib.* 7. *cap.* 2. propter prohibitionem igitur factam ab Eccleſia exiſtimauit Gloſſa *in cap.* 1. *de Magiſtris. ver. Conſuetudinis*, eſſe quaſi Simoniacum accipere aliquid pro concedenda licentia docendi; quod aliqui etiam dixerunt apud Cardinal: ſed tum ipſe, tum Petrus de Ancona, quem allegat, contrarium ſentiunt. Leſſius verò putauit, eſſe Simoniam Iuris Eccleſiaſtici. Mihi cum Antonin. Cardinali, Tabiena, & recentioribus ſuperiùs allegatis, iniuſtum, & illicitum lu- 2

crum videtur, non autem vlla Simoniæ ſpecies. Illicitum quidem lucrum probat ea prohibitio, refértque Ioan. And. *in cap. Quarto de Magiſtris* fuiſſe impetratum contra Cancellarium Pariſienſem, qui à quolibet docente vnam Marcham exigebat. Iniuſtum autem eſt hoc lucrum, quia ſupponitur Magiſter habere iuſtum ſtipendium, de quo detrahit id, quod pro licentia docendi dare debebit; vnde vt illud compenſet, ab diſcipulis quidpiam exigere ipſum oportebit; quo caſu id licere tum Panormitan. tum alij omnes concedunt. Cùm tamen Eccleſia toto illo tit. velit doceri gratis. Deinde *cap. 3. eod. tit.* prohibetur, ne Doctores, qui iam habent iuſtum ſtipendium, poſtulent quidpiam ab aliis, qui in eadem Eccleſia Scholas habere voluerint. Denique quia munus docendi annexum aliquando eſt alicui beneficio Eccleſiaſtico, quod non niſi cum eo onere confertur, & nonnulli Prælati dum tale beneficium conferrent, aliquid accipiebant pro licentia docendi, id iure merito prohibetur, & ſpeciem quandam Simoniæ habere non male dicitur.

CONSECTARIVM VII.

Licentia ſtudendi non eſt materia Simoniæ.

Cap. vltim. de Magiſtris, docentes per quinquennium Theologiam gaudent fructibus præbendarum ſuarum, vt multis probant Rebuff. *de priuil. Schol. priuil. 23. & 31.* & *in praxi tit. de diſpenſat. non reſident. num. 25.* Garc. *de beneficiis 3. pa. cap. 2. num 54.* Carolus de Graſſis *de effectib. Clericat. in prælud. num.* 106. Moneta. *de diſtribut. quotidian. part. 2. quæſt. 10.* Ricci. *in Collect. deciſio. collect. 446.* Barboſa. *cap. 37. de Canonic. num. 46.* & *cap. 1. ſeſſ. 5. Trident. de reformat. num. 48.* & *de poteſtate Epiſcop. allegat. 56. num. 18.* & *in Collect. ad cap. vltim. de Magiſtris*, atque alij paſſim. quamuis igitur iiſdem authores, aliíque allati à Garcia *cap. cit. num. 14.* negent petendam eſſe licentiam ſtudendi per quinquennium Theologiæ, aut Iuri Canonico in ſtudio generali, aut celebri vniuerſitate, quia ius eam concedit. Si tamen Prælatus pro facienda ea licentia aliquid exigeret, non eſſet Simoniacus ex Tabiena *ver. Magiſter. num. 11.* & Antonin. *3. pa. tit. 5. cap. 2. §. 6.* vbi & Innocentium allegat. contra quoſdam veteres, in quibus numerat Hugonem, & Paludan. idem Antonin. *2. pa. tit. 1. cap. 5. §. 17.* Ratio perſpicua eſt, quia non magis licentia ſtudendi ſpiritualis eſt, quam licentia docendi; etſi enim aliquando proueniat ab ſpirituali poteſtate, hoc eſt per accidens, & quatenus illa eſt eminenter politica ſpiritualis, vti ſæpius monuimus. Deinde licentia non eſt alterius ordinis, quam actus ad quem datur; actus autem ſtudij eſt merè naturalis, & temporalis, erit tamen iniuſta iſta acceptio, & per iniuriam extorta, vt apparet ex dictis.

CONSECTARIVM VIII.

Reſponſa, & Conſilia etiam de quæſtionibus conſcientiæ non ſunt materia Simoniæ.

Hoc Conſectarium docetur à 1

S.Thom.

S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. & Nauarr. *capit.* 23. *num.* 100. quatenùs abſolutè dicunt, licitè accipi pretium doctrinæ, & conſilij, neque diſtinguunt de conſilio Theologico. Diſertè autem illud etiam dum quæritur ad pacandam conſcientiam, & pro foro tantùm interno materiam eſſe Simoniæ negant Caietan. *in art.* 3. *S. Thomæ citatum.* Suar. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 19. Gordon. *lib.* 4. *quæſt.* 8. *cap.* 4. *num.* 16. Ferdinand. à Caſtro. *diſput.* 3. *citata. punct.* 10. *num.* 5. Fillluc. *tractat.* 45. *cap.* 4. *num.* 31. Bonac. *diſput. de Simonia. quæſt.* 4. §. 10. *num.* 6. & 7. Contra Victor. *Relect. de Simonia.* Gloſſam *in cap. Non liceat.* 11. *quæſt.* 3. quæ conſilium ſine labore præſtitum vendi non poſſe dicit. Leſſi. *cap.* 35. *lib.* 2. *num.* 78. Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 37. *diffic.* 2. Sanch. *lib.* 2. Ledeſm. *in Summa.* 2. *pa. tractat.* 12. *diffic.* 2. Sanch. *lib.* 2. *Conſil. capit.* 3. *dubitat.* 5. *num.* 7.

2 Obſerua porrò Conſilium aliud dari pro foro externo, in quo cauſa aliqua agitanda eſt, quale datur ab Aduocato; aliud verò pro foro tantùm interno, quod iterum duplex eſt; Nam vnum eſt mere morale naturale, quia procedit ex principiis ſolo lumine naturæ notis, & non tēdit niſi ad actum moralem, & honeſtum naturalem, aut pacandam cōſcientiam in ordine ad honeſtatem merè naturalem, & non ſupponit vllam fidei reuelationem; quale conſilium daretur à philoſopho morali, & ex ſcriptis Senecæ, aut Epicteti colligeretur. Aliud verò conſilium eſt morale quodammodò ſupernaturale, quia ex principiis fidei lumine notis oritur, quale datur à Theologo, & Chriſtiano. Quod iterum duplex eſt, vnum merè doctrinale, quia tendit per ſe duntaxat ad inſtruendum intellectum interrogantis circa aliquam veritatem practicam, etiamſi interrogans alia intentione illud quærat, vlteriùſque dirigat ad pacandam ſuam conſcientiam contra morſus, qui lumen fidei ſupponunt, aut ad dirigendam ſuam vitam etiam vt Chriſtianam. Aliud verò Conſilium ex modo, quo datur, æquiualet exhortationi, ſiue concioni, & per ſe ordinatur ad mores corrigendos, motus animi componendos, & vitam homine Chriſtiano dignam inſtituendam: Quale conſilium vocant ſpirituale, vt à doctrinali diſtinguant. Denique aliquando conſilium magis pendet ex peculiari quadam Spiritûs ſancti illuſtratione, & vnctione, quàm ex doctrina etiam Theologica humano modo, & opera parta.

3 Conſilium igitur pro foro exteriori, ſiue ab aduocato, ſiue à Canoniſta, ſiue à Theologo, & quocúnque tandem alio detur, non eſſe materiam Simoniæ, ſed pretio humano æſtimabile, omnes æquè conſentiunt, etiamſi facilè, & nullo labore præſtetur. Contra Gloſſam citatam. authores dabit Tiraquell. *de nobilit. cap.* 29. *num.* 30. qui id in aduocato, & Iuriſconſulto probant, omnéſque Theologi *in art.* 1. *quæſt.* 71. 22. & Canoniſtæ *in cap. non licet.* 11. *quæſt.* 3. Antonin. 3. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §. 4. & ſummiſtæ *ver. aduocatus.* diſputant enim duntaxat, an gratis pauperum patrocinium capere debeat. Idem autem dicendum eſt de conſilio ad proſequendam litem. Ratio clara eſt ex eo, quod totum illud conſilium ſit actus merè naturalis tum ratione principij, quod

eſt

eſt ſcientia naturalis, maximè forenſis, tum ratione finis, qui eſt aut intellectus inſtructio, aut vtilitas tantùm temporalis: Quod autem hoc Conſilium detur à Theologo, id per accidens eſt, neque ratio perſonæ reſpódentis mutat naturam reſponſi, aut conſilij; Immò licet non poſſit æquè dari ab alio, quàm à Theologo; cùm tamen Theologia, à qua procedit, non ſit materia Simoniæ, vti diximus Conſect. V. Et in hoc caſu vſus Theologiæ, ſiue actus illius in dando conſilio ſit actus merè naturalis tum ratione ſui, tum ratione effectus, ſiue finis proximi; non erit etiam materia Simoniæ, quamuis in eo aliis modis fortaſſis peccari poſſit, vt alibi dicetur.

Secundo Conſilium morale, cùm omninò naturale ſit ratione principij, à quo procedit, & termini ad quem tendit, nam fluit à Philoſophia morali, atque ideò æquè à Seneca, aut Epicteto dari potuiſſet, & tendit ad honeſtatem merè naturalem, nullúmque principium reuelatum ſupponit, ex nullo capite trahit ſpiritualitatem, ſiue ſupernaturalitatem, per quam fiat inuendibile.

Tertio Conſilium Teologicum doctrinale, naturale quoque eſt, quia licet procedat à ſcientia, cuius principia ſupernaturalia ſunt, & quæ ipſa fortaſſis ſupernaturalis eſt, ea tamen parta eſt humana induſtria, & ab ea non fluit niſi humano modo per modum magiſterij, & doctrinæ finis autem proximus eius eſt docere intellectum circa cognitionem alicuius veritatis ſiue ſpeculatiuæ, ſiue practicæ, neque ad aliud aut ex natura ſua, aut ex intentione docentis refertur: Et ſæpè æquè daretur à Canoniſta, atque à Theologo; aut ſanè illud ipſum eſt, quod in Scholis traditur, aut in libris ſcribitur; vt ſic autem non eſt quid ſupernaturale, vti diximus Conſect. 1. quod autem priuatim magiſterium non mutat eius naturam, neque illud euehit ad ſupernaturalitatem, cùm in vtróque caſu Theologus operetur tantùm vt Magiſter humanus ad tollendam ignorantiam in re practica: quod verò interrogans pacem conſcientiæ quærat, extrinſecum eſt ipſi conſilio, quod idem eſt, ad quemcunque finem à quærente referatur; quanquam & ille reuerà aliud non intendat, quàm ſcire opinionem in ea materia veram, aut falſam, aut probabilem, vt ſecundum eam deinde componat mores: Quæ vitæ compoſitio eſt finis remotus reſpectu reſpondentis, cuius eſt tantùm, quid verum, falſum, aut probabile ſit, in materia poſita docere, neque aliis intentionibus quærentis conformare ſe tenetur.

Quarto ſi Conſilium ſpirituale ſit, quia ex ſe primò tendit ad vitam Chriſtianam inſtituendam, & affectum excitandum, cùm tunc æquiualeat priuatæ concioni, de ipſo idem, quod de concione dicemus proximo conſectario, ſentiendum erit. 4

Non nego verò conſilium, quod proximè ex illuſtratione & vnctione Spiritûs, non autem ex doctrina humano modo acquiſita procedit eſſe materiam Simoniæ; quia vel pertinet ad gratiam gratis datam, vel eſt fructus gratiæ ſanctificantis, atque adeò in ſe ſpiritualè, vel ſaltem principaliter exiſtit. Verùm difficile fuerit dignoſcere, quandónam conſilium ex eiuſmodi Spiritus ſancti lumine procedat. Suar. *capit.* 18. *cit. num.* 21. ait id contingere, quoties iudicandum eſt de vocatione.

vocatione aliqua, an diuina ſit, de modo vincendi aliquam tentationem, de modo orandi, aut meditandi; de veris, aut falſis reuelationibus, atque aliis, quæ in via Spiritûs accidunt, & de quibus implicatæ ſunt aliquando difficultates. Quod confirmat, quia viri timorati nunquàm ſolent pro eiuſmodi conſultationibus pretium accipere. Verùm, cùm vt rectè aduertit Bonac. etiam conſilia de his rebus dari poſſint ad inſtruendum intellectum, & per modum humani magiſterij, non neceſſariò ſunt materia Simoniæ. Adde & hæc omnia probabiliter definiri poſſe ex principiis Theologicis, SS. Patrum, eorum præcipuè, qui eiuſmodi materias tractarunt, lectione, ex attento ſtudio, atque meditatione, variíſque experientiis. Quarè vix vnquam certò conſtare poterit aliquod hiſce de rebus conſilium ita eſſe ex ſupernaturali Spiritus ſancti lumine, vt & ipſum ſit ſupernaturale, atque adeò materia Simoniæ.

CONSECTARIVM IX.

Concio, & Catechiſmus eſt materia Simoniæ.

Ita omnes. quia *Matth.* 10. inter ea, quæ gratis donanda iubet Chriſtus, vti diximus *Conſect.* 4. prædicatio Euangelij numeratur. Deinde Concionator inſtrumentum eſt, & os Spiritus ſancti ad enunciandum Euangelium, & verbum Dei, quod eſt aliquid ſupernaturale, iſtúdque miniſterium proximè inſtitutum eſt tanquam medium maximè efficax ad animarum ſalutem, vt nimirum intellectus lumine ſupernaturali illuſtratus, & voluntas accenſa ad vitam æternam tendat, quod totum gratiam excitantem, & adiuuantem poſtulat; idcircò totum hoc officium, eiúſque actus ſupernaturalitatem habent, neque pro ipſis pretium aliquod exigi poteſt abſque Simonia. Nihil verò intereſt, ſiue iſta Concio publica ſit, ſiue priuata, & quocúnq; modo fiat, modò ſit reuerà vel inſtructio ad fidem, vel exhortatio, quæ in finem ſupernaturalem tendat; Nam ſi ſit exhortatio merè moralis, & ad honeſtatem moralem, vt ad aliquid audendum fortiter, quo modo Duces concionibus ſuis militum animos accendunt, aut parentes, vel pædotribæ filiorum, & diſcipulorum mentes ad honeſtatem moralem & politicam hortantur, non erit materia Simoniæ; Non peccabunt etiam Ludimagiſtri, ſi mercede doceant Chriſtianam doctrinam pueros, ad exercendam duntaxat memoriam, ſicut eos alia quædam docent, quia in omnibus iſtis caſibus nihil eſt ſupernaturale quod vendatur; eáque diſtinctione facilè ſoluuntur caſus alij particulares, qui occurrere poſſent. Hinc vides, quo iure dixerit Durand. *in* 2. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. & Nauarr. *cap. inter verba conc.* 5. *Corollar.* 1. *num.* 14. Concionantem vt victum paret, peccare, nam ſi victum ille tanquam præmium, pretiúmque Concionis capiat, reuerà Simoniacus eſt; ſi autem ille finis non ſit principalis, quia non intendit vendere concionem, ſed ea tanquam medio vti ad quærendam Eleemoſynam, ſicut & ad quærendam gloriam, peccat ex fine minùs digno illius operis, quod ibi latè Nauarr. diſputat, non eſt tamen Simoniacus, vt dicemus inferiùs q. de pretio Simoniaco.

CONSECTARIVM X.

Obligatio ad faciendum actum ſpiritualem etiam ſoli operanti vtilem, eſt materia Simoniæ; licebit tamen munere temporali, aliiſve modis, quàm vero contractu, & pacto oneroſo, alium ad actum ſpiritualem inuitare.

1 Ago de actu ſpirituali duntaxat, non autem de quocúnque actu honeſto, & virtutis in materia merè morali, & naturali; nam etiamſi vtilitatem alterius, quàm operantis reſpiciat, non modò ſine vlla Simonia, ſed ſæpiùs abſque vlla alia culpa pro pretio temporali exerceri poterit. Qua ratione miles imperio ſui principis euocatus tenetur obedire, non tamen ſine ſtipendiis, & mercede: Et licet quandoque medicus, & aduocatus teneantur ſub reatu culpæ mortalis ſuas operas præſtare indigentibus, non tamen gratis, & ſine mercede, quam quoque iure quis exiget pro labore, & induſtria adhibita in reſtinguendo incendio domûs proximi, ad quod tamen charitas ipſum vrgebat, quæ omnia veriora erunt in operibus, ad quæ aliunde quis non obſtringitur, & quę ſupererogationis dicuntur, aut in iis, quæ ſolam vtilitatem operantis reſpiciunt; idcircò Valent. *tom. 3. diſput. quæſt. 16. pa. 2. quæſt. 3.* in vniuerſum pronuntiat actus virtutum, quatenùs habent vtilitatem aliquam temporalem eſſe temporaliter æſtimabiles, & pro iis pretium abſque Simonia capi poſſe, modò nihil accipiatur propter ſpiritualitatem, quam habent; cuiuſmodi, inquit, ſunt actus miſericordiæ ad corpus pertinentes. Verùm actus virtutum moralium præcisè ſecundum honeſtatem naturalem ſpectati, nihil habent ſpiritualitatis prout in tota iſta materia de Simonia, ſpirituale vſurpamus, niſi ex intentione, & animo, quo ad finem aliquem ſupernaturalem proximè referuntur, illam ſpiritualitatem, & ſupernaturalitatem hauriant, & ſecundum illam pretio temporali compenſentur, alioquin enim in ſeſe ſpectati, neque ad altiorem ordinem euecti, merè naturales manent, & incapaces Simoniæ, immò & quandoque omnis alterius labis expertes ex eo, quod pro pretio, & mercede temporali exerceantur, vt monui; quod ipſum fuſiùs explicat Molin. *tractat. 2. de Iuſtitia. diſput. 93.* vbi & hanc vniuerſalem regulam tradit ad cognoſcendum, quandónam pro operationibus virtutum, moralium ſcilicet, aliquid licitè accipi, & exigi poſſit. Quoties enim aliquis tenetur iure aliquo naturali, diuino, aut humano ad aliquod opus gratis præſtandum, pro eo nequit abſque iniuſtitia pretium exigere; ſi verò vel nullo iure tenetur ad opus, vel non ad gratis illud præſtandum, tunc pro eo pretium poſtulare, & recipere licitè poterit.

Quæ regula ex ipſis terminis manifeſta fit, & exemplis vulgaribus illuſtratur; quia enim Chriſtianus tenetur audire ſacrum diebus feſtis, & abſtinere à carnibus in quadrageſima, infidelis ſuſcipere baptiſmum, & quilibet non fornicari; nequit abſque iniuſtitia pretium ad implenda iſta præcepta tum humana, tum diuina, tum naturalia exigere; & ſi illud accipiat, obligabitur ex iuſtitia ad reſtituendum, nam tenetur v. g. mulier iure naturali 2

rali tum ad non fornicandum, tum ad non quærendum aurum via fornicationis, quarè vt vtrúmque illud præceptum ſeruet, non habet ius exigendi pecuniam: ridiculum enim eſſet exiſtimare, accipi poſſe pretium pro lucro ceſſante ex non fornicatione, eò quod lucrando aliquid licitè acceptura erat, nam etiam, qui vult locare ſuam operam ad interficiendum alium, poſſet aliquid exigere pro lucro, quod ipſi ceſſat, dum non locat operam ad iniuſtum homicidium, vti poterat. Et quamuis mulier iuſtè accipiat poſt fornicatione mercedem ſibi promiſſam, non potuit tamen licitè de fornicatione ex pretio paciſci, atque adeò debuit ab illo pacto abſtinere ſine pretio. Itaque in vniuerſum nemo, vt non peccet, pretium exigere poteſt, vt verò actum poſitiuum virtutis præſtet, aliquando poteſt, quia ad non peccandum iure naturali gratis obligatur; non verò ſemper ad actum poſitiuum gratuitò, etiamſi illum non faciendo peccet, non tamen exigendo aliquid pro illo actu, peccat, vt dicebamus de aduocato, & medico: Et patet in eo, qui aliquid dat diuiti extremè ipſo nunc indigenti, aut etiam pauperi, non tenetur enim ita dare gratis, vt non poſſit iure à diuite iam nunc pretium poſtulare, atque obligare pauperem ad illud rependendum, dum ad pinguiorem fortunam venerit, quamuis, ſi propter negatam mercedem deſinat in ea extrema neceſſitate, tum diuiti, tum pauperi ſuccurrere, reuerà peccet contra legem charitatis, quæ obligabat ad ſuccurrendum in iis circumſtantiis, non tamen ad non exigendum vllum ſui laboris præmium; Idcircò negatur *l. quarta. §. ſi tibi ff. de condictione ob cauſam turpem,* & *l. ſolent. ff. de præſcript. verbor.* repeti poſſe, quod datum eſt ad indicandum ſeruum fugitiuum domino ipſum quærenti, quanquàm nullus neget, legem charitatis obligaſſe ad eam indicationem. Cùm igitur pretium exhibitum actibus honeſtis merè naturalibus ſæpiùs illicitum non ſit, multò minus erit Simoniacum.

Quæſtio igitur tantùm eſt de actibus ſupernaturalibus, qui ad ſalutem propriam operantis referuntur, cuiuſmodi ſunt, vt quis fiat Chriſtianus, Religioſus, frequentet Sacramenta, actum fidei, aut amoris diuini exerceat; dico autem obligationem ad eiuſmodi actus ex pacto, & contractu oneroſo, ita vt quis obligatus maneat vi illius pacti abſolutè, & determinatè ad fidem, religionem, Sacramenti ſuſceptionem, aliúmve ſimilem actum ſpiritualem, atque proximè ad ſalutem animæ ſupernaturalem tendentem, eſſe Simoniacam. Ita communiter DD. *in cap. quam pio. 1. quæſt. 2.* & *in cap. dilectus. 2. de Simonia.* S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 4. & Theologi. Barthol. & ſequaces *in l. Titia. ff. de verbor. obligat.* Summiſtæ *ver. Simonia.* dum negant ſpe præmij, aut timore pœnæ quempiam excitari poſſe ad fidem, aut Religionem; nam multò magis id affirmabunt de obligatione imponenda per pactum oneroſum alicuius temporalis pro eo ſpirituali exhibendi; immò neque aliud fortaſſis volunt, vt dicam 2. parte Conſectarij. Expreſsè verò noſtram ſententiam tradunt Suar. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 17. Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 37. *difficul.* 15. Bonac. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 7. *num.* 1. Ferdinand. *diſput.* 3. *cit. punct.* 9. *num.* 8. contra Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. 5

num. 66. & Sanch. *lib* 1. *de matrim. diſp ut.* 39. *num.* 4. qui tamen ſicut & ij, quos allegat, ita ſe explicat, vt nihil omninò aliud, quàm quod dicemus in ſecunda noſtra concluſione velle videantur, quamuis non ita propriè vtantur nomine pacti.

Probatur igitur noſtra aſſertio primo *ex cap. Quam pio.* 1. *quæſt.* 2. Monaſterium enim quoddam, prælatum ab alio Monaſterio obtinere non poterat, niſi aliquid in compenſationem daret illi Monaſterio, à quo Prælatum poſtulabat, qua de re conſulit Pontificem, qui imprimis DEVM teſtatur, ſe in hac quæſtione anxium eſſe, vt videas illum minimè ironicè loqui, vt parùm ſanè prudenter dixit Gloſſa. Deinde ſe nunquàm legiſſe, Apoſtolos, eorúmque diſcipulos quempiam muneribus ad DEI obſequium prouocaſſe. Tertio, omne donum perfectum de ſurſum eſſe, & illum qui pro Eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, munus DEI vendere. Quartò denique, ſi quem petebant in Prælatum, adeò ipſis neceſſarius erat, illum quidem accipere licere, *modò abeſſet omnis pactio, omniſque conuentio*, & ille *gratis* DEO *ſeruire inciperet.* poſtmodùm tamen permittebat aliquod ſubſidium Monaſterio, ex quo deſumptus erat, mitterent; liberaliter nimirum, & gratuitò, cùm *omnis pactio*, omniſque conuentio remiſſa eſſet. Vides in toto eo caſu electionem Prælati fuiſſe illis ſolis, qui eligebant, vtilem, non autem Monaſterio, ex quo deſumebatur; prohibet tamen Pontifex aliquid exigi ab iſtis Monachis, vt Prælatum ſibi accipere poſſent.

Secundo quia hi actus ſunt verè ſpirituales ad ſupernaturalem animæ ſalutem tendentes, atque adeò in ſe ſpectati materia Simoniæ; Ergo & oblatio ad ipſis. Antecedens certiſſimum eſt ex notatis initio conſectarij, atque ex propoſitione vniuerſali iam pridem tradita. Conſecutio verò perſpicua eſt, neque enim obligatio ad actum aliquem æſtimari, aut vendi, & emi poteſt, quin & ipſemet actus vendatur, cùm tota ea obligatio tendat in actum, neque alia de cauſa ematur, quàm vt actus fiat; neque pretio æſtimabilis ſit, niſi ratione ſui actus; alioquin liceret emere aliquem in Prælatum, aut Epiſcopum ſibi vtilem, quod tamen prohiberi diximus *cap. Quam pio.* 1. *quæſt.* 2. quia diceretur emi obligatio, non actus regendi, & numquam ferè committeretur Simonia, nam ſi licitò ematur obligatio, vt quis velit baptizari, emetur quoque eodem iure obligatio, vt quis baptizet, & emetur obligatio eligendi in Prælatum, ſicut obligatio acceptandi electionem de ſe factam; licebit prætereà dare pretium ordinationis tum paſſiuæ, vt quis ſe obliget, quod ſe ordinare patietur; tum actiuæ, vt teneatur alium ordinare, nam in omnibus iſtis emetur obligatio tantùm, non actus.

Dices cum Leſſio & Sanch. diſcrimen eſſe inter ſuſceptionem baptiſmi, & illius collationem, quod ſuſceptio baptiſmi ſit vtilis tantum operanti, non autem collatio, vnde fit, vt in obligatione recipiendi baptiſmum nequeat eſſe pactum Simoniacum, quod requirit, vt detur temporale pro ſpirituali, qui autem dat pecunias alteri, vt baptiſetur, nihil ab illo accipit, ſed illi dat temporale duntaxat, vt illo præmio ipſum obliget ad ſuſcipiendum quoque ſpirituale; quare dans temporale, nihil planè lucratur, nihílque prorſùs 4

ſùs accipit, ſed ille cui dat vnà cum lucro, & pretio temporali, habet actum ſpiritualem ſibi vtilem. quem exercet: vnde fit, vt totum iſtud pactum faciendi actum vtilem duntaxat operanti, pro temporali pretio, æquiualeat liberali donationi. Et ſanè *in cap. Quam pio*, exigebantur munera à Monaſterio Prælato carente, vt Prælatus illi concederetur, totáque illa conceſſio cedebat in vtilitatem Monaſterij dantis pecuniam, & Prælatum accipientis, non autem in vtilitatem Monaſterij dantis Prælatum.

Reſpondeo in eo quidem caſu *cap. Quam pio*, opus, pro quo munus exigitur, ſpectare ſolum commodum illius, à quo exigitur; Nihilominùs Bonifacium tradere in reſponſione doctrinam vniuerſalem, dum dicit, quoties aliquod munus pro Eccleſiaſtica ſuſceptione ſuſcipitur, vendi donum DEI, & idcircò prohibet omnem pactionem, omnémque conuentionem, quia id de quo agitur, donum DEI eſt, & inuendibile, neque diſtinguit, an veniat in commodum dantis munus, aut accipientis; ſufficit enim, ſi donum DEI ſit, vt omnis pactio, omníſque conuentio circa ipſum prohibeatur, & mala ſit, non aliâ certè malitiâ, quàm Simoniacâ. Et ſanè ſi Religio emeret alicuius ingreſſum ob ingredientis tantùm vtilitatem ſpiritualem, committeret Simoniam, ſicut & ille, qui fratris quoque maioris natu Religioſum ſtatũ emeret, vt ipſe derelicta hæreditate potiretur; qui etiam non ſibi, ſed Titio emeret à Caio baptiſmum, Simoniacus foret; in his tamen caſibus nihil ſibi emeret, qui temporale daret pro ſpirituali ex contractu oneroſo, & determinatè atque abſolutè ad dandum ſpirituale obligatorio. Enimuerò ad emptionem minimè neceſſarium eſt, rem emptam venire in dominium ementis, ſed vt in eo ſtatu, & modo conſtituatur, in quo emens illam eſſe vult, & in quo illam ponere tenetur vendens præcisè ex contractu venditionis & ratione pretij, de quo paciſcatur ea de cauſa. Quòd autem emens rem emptam deſtinet ſuis commodis, aut alienis, extrinſecum omninò eſt emptioni, præterquam quod qui facit actum ſpiritualem ſibi vtilem, pro pretio temporali emit reuerà aliquid temporale per aliquid ſpirituale tanquam pretium, ergo ipſe Simoniacus eſt, vti conſtat ex definitione Simoniæ q. I. explicata, ibi enim ſignanter diximus, illam eſſe venditionem, vel emptionem ſpiritualis pro temporali tanquam pretio, atque vt inter explicandum monuimus, temporalis pro ſpirituali pretio; Et ſanè eadem Irreligioſitas, & iniurioſa rerum diuinarum, ſacrarúmque tractatio reperitur in commutatione oneroſa temporalis pro ſpirituali, atque ſpiritualis pro temporali, tam enim vileſcit ſpirituale, quãdo datur in pretium temporalis, quàm quando temporale datur in pretium ipſius.

5 Secunda pars noſtri conſectarij affirmabat, aliquem poſſe muneribus inuitari ad actum ſpiritualem, omnibus aliis modis, qui non continebunt obligationem abſolutam præciſam, & determinatam ex vi pacti initi. Ita paſſim omnes recentiores inferiùs adducendi. Ratio eſt, quia tunc eſt liberalis duntaxat, & gratuita donatio. quam licitam eſſe ad perſuadendum actum ſpiritualem conſentiunt omnes, vt videbis apud Barboſ. *in Collectan. ad cap. Quam*

pio. & authores à nobis relatos *in 1. parte conſectarij*, qui ſapienter aduertunt, Bonifacium in illa ſua reſponſione excluſiſſe duntaxat pactionem, & conuentionem, quæ voces in communi vſu ſignificant, contractum oneroſum, ex quo naſcitur in vtróque contrahente, & paciſcente abſoluta, & determinata obligatio. Prætereà liberalem iſtam donationem ad perſuadendam Religionem, fidem, conuerſionem, tum ſapientum omnium vſus, tum Dei pænis, aut beneficiis temporalibus homines ad obſequium inuitantis exempla, tum patrum doctrina ſatis ſupérque ſuadent. Aug. *Ep ad Macedonium*, in eo dilectionē proximi collocat, ſi vel beneficientiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinę coërcitione proximum adducamus ad colendum Deum, idque vnumquémque præſtare debere affirmat, eius verba referuntur 23. *quæſt.* 4. *cap. debet.* 53. alia eiuſdem S. Doctoris verba aduerſus Petilianum dabit Medin. *C. de reſtitutione. q.* 27. *dub.* 4 Donatiſtis enim optat omnia Eccleſiarum Catholicarum bona, modò ipſi Catholici fiant. Et Gregor. *lib.* 3. *Epiſt.* 26. oneribus, & exactionibus vrgendos eſſe vult ad fidem ruſticos, & ſanè pænis impoſitis poſſe malos ad bonum cogi pluribus oſtendit Gratian. 23. *quæſt.* 6. eſtque ea politiarum omnium lex ſanctiſſima, præmiis ad virtutem eiues hortari, & ſuppliciorum metu à ſcelere retrahere. Deniq; maniſeſtiſſima ratio demonſtrat, nulla labe hanc donationem liberalem aſpergi poſſe; Imprimis enim non eſt mala ex obiecto, quod eſt donum aliquod indifferens; neque ex fine proximo, qui honeſtus eſt, nimirum proximi ſalus, aut virtutis exercitium; neque etiam ex modo, quo fit, quia donum illud non datur vt pretium rei ſpiritualis, ſed merè gratuitò, ex eáque nulla obligatio abſoluta, & determinata naſcitur, neque vllum pactum, aut contractus celebratur. Itaque ex nullo prorsùs capite mala eſt ea donatio, & multò minus Simoniaca. Neque diſtinguendum eſt cum Gloſſa *in cap. Quam pio. ver. interueniv.* inter opera neceſſitatis, ſiue præcepti & conſilij, cùm Simonia ſpectet duntaxat venditionem rei ſpiritualis pro temporali, quod autem illud ſpirituale ſit opus imperatum, aut non imperatum, neceſſarium aut liberum, non attendit; eæ enim rationes ſunt prorſus extrinſecæ ad operationem ſpiritualem, & ſupernaturalem.

Videndum itaque reſtat, quibus modis hæc donatio temporalis pro actu ſpirituali, vtili operanti, fieri queat.

6 Primo igitur dari poſſunt munera ad captandam beneuolentiam, vt deinde faciliùs ipſi Religio, aut fides, aut aliud bonum opus perſuadeatur; Et quamuis accipiens dona ſciat animum dantis, minimè tamen peccat, cùm ipſi integrum prorſùs ſit, facere quod rogatur, aut renuere. Ita Molin. *tractat.* 2. *diſp.* 231 *ſub fin.* Medin. *C. de Reſtitutione. quæſt.* 27. *dubit.* 4. quia in hoc perſpicuum eſt, donationem eſſe merè liberalem.

Secundo licet munere temporali remouere ab aliquo impedimenta boni operis, promittere v. gr. ſolutionem æris alieni, & vſurarum, quibus premitur Iudæus, qui idcircò baptiſmum refugit, ne cogatur malè parta reſtituere, quia in eo nulla eſt emptio rei ſpiritualis, ſed remotio impedimentorum. Ita Felin. *in*

cap.

cap. Dilectus. 2. *de Simonia. num.* 2. Turrecremat. *in C. Quam pio.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 1. Abb. *in C. Cum in Eccleſia. de Simonia. num.* 7. Sylu. *ver. Simonia. quæſt.* 8. Angelus *eod. ver.* 2. *num.* 13.

Tertio licet donare temporale ea conditione, & modo, vt quis faciat opus ſpirituale, ita tamen vt ſtatim acquirat dominium rei donatæ, non tamen maneat ſimpliciter obligatus ad opus faciendum, quia conditio tunc oppoſita, non eſt propriè conditio, ſed modus quidam, qui non inducat obligationem. Ita Molin. *loc. cit.* Suarez & alij; & ſanè cùm omnis prorſùs obligatio ſecludatur, nulla ibi pactio, aut contractus oneroſus apparet.

Quarto licet aliquid ita donare pro opere pio, vt donatarius maneat obligatus vel ad implendam conditionem operis pij, vel ad reddendum donatori, quod acceperat. Aut vt donator non maneat obligatus ad dandam rem promiſſam, implendámve promiſſionem, niſi poſita conditione pij operis, poſtquam nimirum donatarius fidem, aut Religionem ſuſceperit. Ita Suarez *in cap.* 18. *cit.* Bonac. *quæſt.* 4. *cit.* §. 8. *num.* 3. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *capit. vltim.* §. 2. *num.* 11. Nauarr. *cap. inter verba.* 11. *quæſt.* 3. *Conc.* 5. *num.* 17. Ioan. Malder. 2. 2. *tractat.* 9. *cap.* 3. *dubit.* 7. & alij, quia ibi nullus eſt contractus oneroſus, nulláve obligatio imponitur, ſed eſt liberalis promiſſio, aut donatio, limitata tamẽ prudenter à donante, & promittente, qui facit gratuitam optionem alteri, vt eligat quod voluerit, illúmque tam liberum relinquit ad exercendum pium opus, quàm priùs erat; ſed ad illud tantùm inuitatur ſpe obtinendi aliquid temporale, non tamen aut cogitur, aut obligatur; atque vt reſpondet Nauarr. *cap. inter verba. con.* 5. *Corolla.* 1. *num.* 20. poteſt, qui inuitatur à munere temporali, operari ob alium finem, quàm temporalem; quod vero addit, illum inuitari tantum ad minùs peccandum, quia minus peccatum eſt propter finem merè temporalem, fidem amplecti quàm perſeuerare in infidelitate, non placet, quia finis temporalis non ſemper, & quocúnque modo propoſitus corrumpit actum ſpiritualem; ſed ea de re alibi commodiùs dicetur.

CONSECTARIVM XI.

Soluuntur plures caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

Ex tradita hactenùs doctrina quid iuris ſit in quotidianis difficultatibus ſolidè iudicabis.

Et primo quidem Gregor. *lib.* 7. *Regiſt. Epiſt.* 36. *Indict.* 2. cuius verba referuntur *cap. cùm ſit proprium.* 2. *de conditionibus appoſitis*, non ſine mendis, quæ doceant ex lacunis potiùs, quàm ex fonte hauſiſſe collectorem, vti obſeruat Antonin. Auguſt. *in notis ad cap.* 2. *tit.* 5. *lib.* 4. *decretal.* 1. *collectionis.* Gregorius, inquam, probat factum diaconi, qui manumiſerat duo mancipia ea conditione, vt monachi fierent, & in Monaſterio, in quo ipſe fuerat, permanerent, & niſi id facerent, ſeruituti iterum ſubijcerentur. Quarè cùm vnus ex illis ſeruis, deſerto Monaſterio, clericus factus fuiſſet, iubet Gregorius retrudi ipſum in Monaſteriũ, & manumittentis voluntatem impleri: In cuius decreti æquitate tuenda eò quòd eiuſmodi manumiſſio quoddam pactum circa ſpiritua- 1

ſpiritualia, nimirum ingreſſum Religionis, contineret, plurimùm laborant DD. Et quidem Gloſſa reſpondet primo libertatem eſſe aliquid ſpirituale, atque ita cum alio ſpirituali commutari poſſe; quod optimè impugnat Panormitan. quia alioqui libertas non caderet in laicum, & non eſſet pecuniâ redimibilis, vti tamen eſt. *l. 4. ff. de Manumiſſ.* ſecundo ait eadem gloſſa, Monachatum hic non conferri ſub conditione, ſed libertatem, ſi voluerint hi ſerui Monachari. Verùm manet tota difficultas, quia libertas, quod aliquid temporale eſt datur ex pacto, & obligatione Monachatûs ſuſcipiendi. tertio Panormitan. *in hoc cap.* vult eſſe conditionem intrinſecam, quia antequam quis fiat aut Monachus, aut Clericus, debet eſſe liber; datur igitur libertas, vt quis fiat Monachus, ſicut datur prædium, vt in eo ædificetur Eccleſia abſque vlla Simonia: verùm in noſtro caſu non datur tantùm libertas, vt fiat aptus ad Monachiſmum ſuſcipiendum, ſed cum conditione Monachatûs ſuſcipiendi, in certo quodam Monaſterio; ita vt ſi altera ex his conditionibus deſit, recidat in ſeruitutem. quarto Hoſtienſ. conditionem vult ſumi pro modo; ſed præterquam quòd ſubtilior eſt inquiſitio diſtinctionis modi à conditione, in hoc caſu non mutatur intellectus Iuris, vt ait Panormitan. manétque dari libertatem pro Monachatu, atque ita temporale pro ſpirituali. quinto Barboſa in Collectan. ad hoc *cap. cùm ſit proprium.* ait, conditionem, & modum ingrediendi Religionem adiectum manumiſſioni, non requirere acceptationem partis pro ſua ſubſtantia, quia fuit adiectus manumiſſioni proprij ſerui: libertas autem data proprio ſeruo ſtatim habet ſuum effectum, quamuis à parte non acceptetur *l. 2. C. de Manumiſſ. vindicta.* idémque de modo adiecto dicendum eſt, eò quòd acceſſorium ſequatur principale; vnde fit, vt in tota iſta manumiſſione, de qua agimus, nulla ſit pactio, aut conuentio, quam ſolam circa ſpiritualia, tanquam Simoniacam improbamus. Nam in conuentione actus, ſiue partis acceptatione non ſubſiſtit. *l. quamcunque gerimus. 10. ff. de actionib. & obligat. & l. 1. §. Conuentiones. ff. de pactis.* verùm etiamſi poſſit manumitti ſeruus inuitus licet, atque ita donatio libertatis proprio ſeruo, ſubſiſtat illo non acceptante: quando tamen ad valorem ipſius manumiſſionis adiicitur conditio, aut modus, cuius impletio pendet à libera voluntate, atque à facto ſerui manumiſſi, reuera requiritur eius acceptatio, ſine qua non ponitur, & modus adiectus, atque ita non ſubſiſtit manumiſſio, quæ conditionata tantùm erat; alioquin iſti ſerui fuiſſent liberi, antequàm fierent Monachi, quod nemo dixerit. ſexto itaque idem Barboſa reſpondet, tunc conditionatam donationem non eſſe liberalem, quando modus, cauſa, vel conditio adiicitur in fauorem dantis aut alicuius tertij, quod docet Tiraq. *in l. ſi vnquam. ff. de donation. ver. donatione. num. 145.* Quando autem conditio, modus, & cauſa, ſolius donatarij commodum ſpectant, tunc donatio liberalis omninò, & gratuita manet: ſi enim dones Titio prædium, vt in eo ſibi domum ædificet, aut ex eius prouentibus ſua nomina diſſoluat, nunquid gratuitò donabis, etiamſi velis irritã eſſe donationem, niſi Titius aut domum ædificet, aut nomina diluat. In noſtro caſu donatur.

natur libertas, vt ſeruus fiat Religioſus, in qua donatione tum res donata, nimirùm libertas, tum conditio appoſita, nempe Monachiſmus, ſerui, & donatarij ſolius commoda reſpiciunt. Hæc ſolutio ſuperiùs impugnata fuit, nam emptio, aliúſve contractus onerosus ſubſiſtere poteſt, etiamſi res empta vendentis vtilitatem reſpiciat, vti variis exemplis cum Suare, Ferdinand. & aliis ibidem oſtendi; ſufficit enim, ſi res empta non ſit ampliùs in dominio vendentis, eodem modo, quo antea, & conſtituatur in eo ſtatu, in quo emens illam eſſe vult.

Reſpondendum itaque eſt, vti ſuperiori Conſectario diximus, nullàm hic obligationem præciſam, & determinatam ad Religionem imponi his mancipiis, ſed illis dari optionem liberrimam, vt vel maneant ſerui, vel Monachi fiant. quod ipſum ſapienter aduertit gloſſa. Voluit quidem dominus ſpe libertatis allicere ſeruos ad Religionem, quod iuſtum eſſe oſtendimus. Et ſanè quàm hoc loco aut iniuriam, aut coactionem fingere poſſumus, cùm in eorum arbitrio maneat Religio, libertas, & ſeruitus. Eſtque magnus fauor, cùm datur via facilis, & honeſta euadendi ſeruitutem, quod autem non ſub alio modo illis concedatur libertas, nulla eſt iniuria, cùm iure relinqui poſſint in ſeruitute, neque aut illam, aut aliam viam recuperandæ libertatis, quæ ipſis non debetur, offerre teneretur hic Diaconus, qui idcircò dici non poteſt, ſua mancipia ad Monachatum coëgiſſe, aut pactum cum illis iniuiſſe; neque enim dedit libertatem in præmium profeſſionis Religioſæ, ſed ob illum finem, non ob alium, placuit ſiquidem ipſi ita ſuam liberalem, & gratuitam donationem reſtringere, non autem abſolutè manumittere ſua mancipia; Et eò magis ſe liberalem exhibuit, quod appoſuit conditionem quæ ex ſola mancipiorum libertate pendebat, vt penes ipſos omninò ſit ſua libertas, ſi enim conditionem ex aliena voluntate pendentem adieciſſet, vt vos manumitto, ſi ego ipſe, aut Titius frater fiat Monachus, minùs liberalis haberetur; non tamen Simoniacus, aut pacto oneroſo temporale pro ſpirituali dediſſe.

2 Secundo hinc apparet, Reo poſſe donari vitam ea conditione, vt fiat Religioſus, quia neque cogitur ad Religionem, nec Religio emitur: ſed Reo datur optio Religionis, aut mortis, ad quam damnatus eſt; quod idem dicendum de infideli, cui, ſi baptiſatur, vita conceditur. Medin. *C. de Reſtitut. quæſt.* 27. *dubitat.* 4.

Tertio legatum cum conditione, vt legatarius fiat Religioſus, aut Catholicus, vt illud ſibi comparet, validum, & licitum eſt, neque vllo modo Simoniacum, quod pluribus oſtendit Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 30. *num.* 15 neque ad cauſas, quas fingit Medin. *C. de Reſtitut. quæſt.* 27. *ſub fin.* opus erit recurrere.

Quarto parentes, qui liberis munera, aut legata faciunt, ſi Sacramenta frequentent, qui meretricibus, ſi ad frugem redeant, dotem ſpondent, benè faciunt, neque pacta Simoniaca obeunt.

Quinto licet abſque Simonia contrahere Matrimonium cum infideli, aut illud promittere, ſi conuertatur. Probant paſſim omnes ex *cap. non oportet.* 28. *quæſt.* 1. quod ex Concil. Agathenſi *cap.* 67. ſumptum eſt, & Iuo 8. *pa. cap.* 20. refert

atque Burchar. *lib.* 9. *cap.* 78. ſed verbis omninò diuerſis à Gratiano, qui tamen concordat cum editione vulgari Conciliorum. Idem prorsùs ſtatuerat Laodicenum tempore Damaſi *cap.* 31. quod integrum repetiit Agathenſe; idémque edixit Chalcedon. *act.* 15. *can.* 14. nempe tunc licitum eſſe fidelis cum hæretico connubium, quando ille ſuam conuerſionem promittit. Et quanquam non meminerint iſta Concilia pacti initi de conuerſione futura, illud tamen ſatis approbant, cùm tunc licitum volunt eſſe eiuſmodi coniugium, quando promiſſio conuerſionis, & non tantùm ſpes quædam illius eſt. Ratio ſuperiori conſectario reddita fuit, quia datur optio infideli manendi in ſua infidelitate ſine tali coniugio, vel veniendi ad fidem, & contrahendi tale coniugium. Et ſanè qui fidei conditionem poſtulat, habet ius, & obligationem non conſentiendi in tale matrimonium abſque ea conditione, quæ requiritur, vt perſona idonea ſit ad licitè contrahendum. Sicut ſi petens Religioſum habitum, iubeatur ſtudere aliquamdiu, vt ſe aptum reddat illi profeſſioni, nulla ſanè Simonia committitur.

Idem prorsùs dicendum eſt de illa conditione apponi ſolita. Contraho, vel contraham tecum matrimonium, ſi dederis mihi decem, quam approbat Alexand. *in Concil. Lateran. par.* 6. *cap.* 12. & refertur *cap. de illis. de conditionibus appoſitis*, quia, vt ſæpiùs monui, non iniicitur propterea obligatio contrahendi, ſed vnus; conſentit in Matrimonium cum ea conditione; liberum enim ipſi eſt ſuum conſenſum limitare, ſicut & alteri appoſitam conditionem admittere, aut reiicere. Quòd verò ea conditio reiiciatur à Celſo I. C. *l. ſi ita ſtipulatus fuero.* 97. §. *ſi tibi nupſero. ff. de verbor. obligationib.* ne videlicet reddantur venalia matrimonia, nihil nobis obſtat, quia imprimis quærimus tantùm, an in eo contractu ſit aliqua Simonia; quod negamus, ſiue aliqua alia ex cauſa reprobandus ſit ille contractus, ſiue omninò probandus videatur. Deinde non improbat Celſus eam conditionem, niſi quando eius conditionis nulla probabilis, & honeſta cauſa exiſtit, idcircò monet cauſa cognita denegandam actionem. Ita ex Bartholom. & aliis Sanch. *lib.* 1. *diſputat.* 33. *numer.* 4. Caniſ. *in* 4. *Decretal. in capit.* 3. *de condition. appoſit.* Pontif. *lib.* 3. *de matrimon. cap.* 8. *numer.* 10. vide etiam Couarru. *in* 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 3. §. 3.

Quinto reiiciendus eſt Medina *C. de Reſtit. quæſt.* 27. vbi vult Simoniacum eſſe pactum, quo aliquid datur, vt quis Religionem ingrediatur ea lege, vt ſi non ingrediatur, reſtituat; ait quidem id reſtituendum eſſe, non danti, ſed Religioni; vtrumque diſplicet. Iam enim in illo pacto nullam Simoniam eſſe oſtendimus, cùm ex eo nulla oriatur obligatio ingrediendi Religionem; Et multò minùs reſtitutio, ſi quæ facienda eſſet, fieri deberet Religioni, quæ nullum omninò ius in eam ſummam datam cum illa conditione acquiſiuit, vt patet. 4

Sexto Alere aliquem in ſtudiis cum obligatione ſuſcipiendi ordines, aut Religionem, Simoniacum foret. Licebit tamen ei alimenta miniſtrare eo fine, vt Religioſus, vel Clericus fiat; atque ea conditione, vt alioquin alimenta, & expenſas eas reſtituat. Leſſi. *cap.* 35. *cit. num.* 67. 5

Ferdi

Ferdinand. *p.9. cit.num. vlt.* aliique, quia in hoc poſteriori caſu nulla imponitur obligatio, vti in primo, ſed fit limitata donatio.

Septimò nequit Monaſterium inops paciſci cum opulento, vt pro Prælato, quem illi ſuppeditat, certam illi pecuniam rependat; Eſt enim caſus capitis. *Quam pio.* 1. *quæſt.* 2 & in eo reuerà datur temporale pro ſpirituali per modum pretij per pactum, & conuentionem oneroſam.

CONSECTARIVM XII.

Nulla pura omiſſio Actûs ſpiritualis, ſed ea ſola, in qua exercetur Actus Iuriſdictionis, & poteſtatis Eccleſiaſtica, eſt materia Simoniæ.

Non agimus de omiſſione actûs moralis duntaxat, quia cùm ipſemet actus non ſit materia Simoniæ, vti oſtendimus ſuperiùs; multò minùs id habebit eius omiſſio, ideóque diximus accipi poſſe pretium à Doctore pro omittenda lectione etiam die feſto. Quæſtio itaque eſt de actûs ſpiritualis omiſſione, v. gr. ne quis baptiſet, abſoluat, ſacrum faciat, vel audiat, horas Canonicas non recitet, non eligat, non præſentet, aliiſve ſimilibus.

1 Vt verò diſſidentes ſententias componerem, diſtinxi geminam omiſſionem actûs ſpiritualis, & ſacri; vnam appello nudam, & puram, quia nullum effectum moralem habet, nihílque poſt ſe relinquit, in eáque nihil aliud prorſùs attendi poteſt, quàm carentia, aut non eſſe actûs ſpiritualis, qui non ponitur, vt non recitatio officij Canonici, non ſacrificatio, non auditio Miſſæ, non exercitium fidei, aut miſericordiæ, aut obedientiæ, & ſimilis virtutis. Altera omiſſio non eſt omninò nuda carentia actûs, ſed exercitium quoddam, & moralis vſus virtutis actiuæ, in moralibus enim ſæpiùs cauſa agit, nihil poſitiuè, & phyſicè producendo, ſicut libertas, liberè omittendo actum, quem potuiſſet ponere, maximè exerceretur, neque opus eſt vlla actione, qua velit omittere, ſed ſimpliciter & nudè omittendo, quod facere poſſet, ſi liberet, liberè omittit, ideóque pura omiſſio bona, aut mala eſſe poteſt, vti diximus prima ſecundæ fuſiùs. Sic non minùs iniuſtus eſt, qui patitur occidi, quem tenebatur defendere, quàm ſi ipſum occidat; quarè cùm omiſſio ſit aliquando peccatum, poteſt habere eoſdem effectus morales, quos habet actio; & tunc etiamſi ſit pura omiſſio phyſicè, quia nullum habet adiunctum actum phyſicum, non dicitur tamen pura moraliter, quia habet eoſdem effectus morales, quos habet actio phyſica. v. gr. iniuſta omiſſio defenſionis, quæ eſt cauſa homicidij, erit quoque Irregularitatis cauſa. Quæ omnia verioa ſunt, quando poteſtas moralis per omiſſionem exercetur; Ita non abſolutio pænitentis, aut Excommunicati, eſt damnatio quædam, aut retentio, ratione cuius manet quis authoritatiuè ligatus peccatis, aut Cenſuris. Ratio huius diſcriminis inter iſtas omiſſiones morales, quarum aliquæ ſunt puræ, aliæ non puræ, & continent exercitium poteſtatis alicuius moralis, petenda eſt ex diſcrimine poteſtatum moralium, à quibus fluunt; aliquæ enim ex ipſis datæ ſunt duntaxat ad agendum, aliæ verò dantur tum ad agendum,

tum ad non agendum: inde enim fit, vt non actio ſit exercitium aliquorum poteſtatum moralium, & non aliarum, quod illuſtri exemplo libertatis noſtræ ſuperiùs adducto oſtendo. Non viſio enim, aut non intellectio non eſt actus, ſiue exercitium potentiæ viſiuæ, aut intellectiuæ, & tamen non volitio eſt exercitium libertatis, quia viſus, & intellectus dati ſunt tantùm ad videndum, & intelligendum: libertas autem data fuit ad agendum, dum poteſt non agere, & ad non agendum, dum poſſet agere; idcircò non agere eſt exercitium libertatis, non velle quidem, aut non nolle, non eſt exercitium voluntatis, vt potentia naturalis eſt; vt autem eſt potentia libera, tam agit non volendo, aut non nolendo, quàm poſitiuè volendo, aut nolendo. Sic quia gratia datur ad agendum actum ſupernaturalem, non autem ad illum omittendum, fit vt omiſſio actus ſupernaturalis non ſit à gratia, quæ eſt poteſtas moralis ad actionem tantùm collata, eſt tamen ea omiſſio à voluntate vt potentiâ libera, quæ, vt dixi, in non actione exercetur, eò quòd ſit poteſtas ad vtrumlibet, agendum ſcilicet, aut non agendum. Eandem videmus diſtinctionem inter poteſtatem ordinis, & Iuriſdictionis Eccleſiæ collatam; poteſtas enim ordinis eſt tantùm data ad agendum, conſecrandum v. g. confirmandum, inponendas manus, & idcircò non conſecratio, non confirmatio, non ſunt vſus, & exercitia poteſtatis Ordinis, ſed ſunt nudæ, & puræ omiſſiones actuum iſtius poteſtatis. At verò poteſtas Iuriſdictionis conceſſa fuit ad ſoluendum, & ligandum, condonandum, & retinendum; vnde fit, vt abſolutio ſæpiùs ſit vſus, & exercitium poteſtatis ordinis. Quoties igitur omiſſio actûs ſpiritualis parit moralem aliquem effectum, toties dicitur eſſe non pura.

Obſeruo prætereà, actum ſpiritualem, qui omittitur, aliquando vtilem futurum fuiſſe omitti, qui proinde aliquo commodo ſiue ſpirituali, ſiue temporali ſe priuat ea omiſſione, aliquando etiam actus ſpiritualis non poterat benè, & licitè fieri. His obſeruatis.

Certum eſt primo committi Simoniam, quoties pro iactura fructûs ſpiritualis, qui proueniret ex poſitione actus alicuius, datur temporale in compenſationem, & pretium ipſum omittenti, vt ſi quis pro iactura fructus, quam facit non audiendo, aut non celebrando ſacrum, non ſuſcipiendo Sacramentum, non orando, non recitando horas Canonicas, non lucrando Indulgentias, pretium caperet, & non præcisè, quia hos actus omittit, Simoniacus foret, quia reuerà daret temporale pro ſpirituali. 2

Si verò datur aliquid pro commodo temporali, quod cum actu ſpirituali, qui omittitur, tanquam fructus eius aliquis, perciperet, non exiſtimo committi Simoniam, quia compenſatur duntaxat iactura temporalis alio temporali, neque quidquam ſpirituale aut datur, aut accipitur v. g. damnum diſtributionum quotidianarum, ſtipendij, aut Eleemoſynæ, quod quis incurrit non recitando officium, aut non faciendo ſacrum, non dicendo aliquas orationes, compenſari poſſet ab eo, qui vellet iſtos actus omitti, quia cum nuda omiſſio actus ſpiritualis vt ſic, non ſit aliquid ſpirituale, vt dicam ſtatim, & præter eam omiſſionem nudam nihil aliud hîc reperiatur,

riatur, quàm damnum temporale, in cuius ſolius compenſationem aliquid datur, non video quomodo in ea compenſatione ratio Simoniæ fingi queat. Idque voluit Leſſi. *ca.* 35. *dubij ſub finem.*

Certum eſt ſecundo quoties actus ſpiritualis, qui omittitur, nequit bene & licitè fieri, non eſſe Simoniam, illius omiſſionem pretio temporali redimere, & multò minùs muneribus, ac liberali donatione ad eam omiſſionem inuitare; quod poſtremum nemo negabit, quandoquidem conſtat ex duobus proximis conſectariis, inuitationem ad actum ſpiritualem ſpe lucri temporalis, modo abſit pactio obligationem inferens, licitam eſſe; multò igitur magis fas fuerit, deterrere à malo pecuniâ, alióve munere; Immò & dato pretio obligare ad omittendum actum malum, vnde enim aut malitia, aut Simonia illi obligationi, & pacto accedere poteſt, vti argumentatur Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 2. *quæſt.* 4. *Conc.* 1. Quare ei, quem ſcio electurum indignum, aut abſoluturum impænitentem, licebit pecuniam dare, ne eligat, aut abſoluat, aut ne ordinet, quem non niſi Simoniacè fuerat ordinaturus. Neque rectè Abbas *in cap. cùm in Eccleſiæ. de Simonia. num.* 8. & Redoanus 1. *part. de Simon. cap.* 8. *num.* 9. dantem temporale pro omiſſione actûs iniuſti, vt Simoniacæ ordinationis, aut illicitæ electionis, abſoluūt à Simonia, damnant autem accipientem, quia reuerà neque dans neq; recipiens, vendunt, aut emunt aliquid ſpirituale; ſed vsū libertatis in facienda, aut omittenda actione mala, quia mala eſt. Quarè vtrúmque immunem à Simonia dixit Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 24. §2.

Tota igitur difficultas eſt de omiſſione actûs ſpiritualis, qui licitè fieri poterat, aut etiam debebat, an pro illa præcisè poſſit dari aliquid temporale; quam in iſto Conſectario facilè definio ex Regulis traditis cum Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 11. Suar. *lib.* 4. *cit. cap.* 22. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *capit. vltim. num.* 43.

Dico enim primo puram omiſſionem actûs ſpiritualis, cuiuſmodi eſt illa, in qua nullus exercetur vſus iuriſdictionis, aut poteſtatis ſpiritualis, & nullum aliud bonum ſpirituale, quod vendatur, attenditur, non eſſe materiam Simoniæ. Ita ſentiunt ſatem, quotquot in vniuerſum pronunriant in omiſſione ſpiritualis actus nunquam committi Simoniam. Adrian. *quodli.* 9. *art.* 2. Innoc. *in cap. Nemo. de Simonia.* Valent. *loc. cit.* Leſſi. *cap.* 35. *dub.* 11. *num.* 64. & alij. quos ſequitur, & refert Bonac. *diſput. de Simonia. quæſt.* 4. §. 9. *num.* 2. Ratio eſt iam indicata, quia omiſſio actus ſpiritualis, non eſt aliquid ſpirituale neque in ſe, neque ratione principij, à quo fluit; neque ratione finis, & effectûs, quem nullum habet, quoties eſt pura omiſſio; ſic enim eſt merum non ens: Ergo nulla fit tunc commutatio ſpiritualis pro temporali. Neque refert, quod ille actus eſſet debitus ſiue ex charitate, ſiue ex officio, atque ita quodammodo ex Iuſtitia; inde enim fiet, vt illa omiſſio ſit mala, atque eius etiam venditio, non tamen malitia Simoniæ, quamdiu, vt dixi, pura manebit, & in ea non erit vſus poteſtatis ſpiritualis, aut aliquid ſpirituale quod vendatur, non attendetur. Non enim quærimus an ea omiſſio ſit peccaminoſa, ſed an ſit Simoniaca: Et ſane, ſi dare alicui

pecuniam, vt committat aliquod peccatum, non ſit Simonia; neque etiam erit, ſi detur, vt omittar actum virtutis contra præceptum affirmatiuum, atque ita peccer.

4 Dico ſecundo omiſſionem non puram actûs ſpiritualis, quæ eſt quidam vſus poteſtatis, ac Iuriſdictionis ſpiritualis, eſſe veram materiam Simoniæ. Quod docent, qui cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 3. in omiſſione actus ſpiritualis, nulla alia adhibita diſtinctione, Simoniam committi fatebantur. Quos dabit Barboſa *in collectan. ad cap. Nemo. de Simonia*, vbi interpretes communiter ita ſentiunt, quos deinde Caſuiſtæ *ver. Simonia.* paſſim ſequuntur, à quibus enumerandis abſtinemus, quia ipſos conciliamus cum iis, quos ſibi aduerſarios exiſtimant in priore parte noſtri conſectarij. Ratio verò huiuſce concluſionis euidentiſſima eſt, quia non modò ſpiritualis poteſtas, & iuriſdictio, ſed omnis eius vſus eſt materia Simoniæ ex Regula tradita, atqui omiſſio de qua agimus eſt vſus eiuſmodi poteſtatis, vti explicuimus in notatis; ergo & ipſa eſt materia Simoniæ, atque adeò inuendibilis. Neq; ſanè ea omiſſio aut venditur aut æſtimatur in ſe, & propter ſe, ſed quatenùs fluit à tali Iuriſdictione Eccleſiaſtica, ideóque habet efficientiam quandam moralem, vt non abſolutio in Sacramento, aut in Iudicio merè Eccleſiaſtico, eſt virtualiter, ſiue æquiualenter, & moraliter ſententia condemnatoria per ſpiritualem poteſtatem, fitque irreuerentia tum Sacramento, tum Iudicio Eccleſiaſtico. Quoties igitur omiſſio actûs ſpiritualis non eſt pura omiſſio, aut negatio vſûs ſpiritualis poteſtatis; ſed eſt moraliter quidam vſus eiuſmodi poteſtatis, quod ex effectu huius negationis facilè colligitur, erit materia Simoniæ.

CONSECTARIVM XIII.

Solutio ſingulorum Caſuum ex ſuperiori Conſectario.

Hinc primo expones *cap. Nemo de Simonia*, vbi prohibet Alexand. ne quis præsbyter prerio, vel fauore cælet Epiſcopo publicum peccatorem, vel inceſtuoſum, vel non pænitentem, aut minùs dignè pænitentem reconciliet, vel quocunque liuore pænitentem à reconciliatione remoueat. Quia, inquit Pontifex, vtrúmque Simoniacum eſt. Ergo committitur Simonia contra quàm aſſeruimus per puram omiſſionem actus ſpiritualis, cuiuſmodi eſt, non audire confeſſionem pænitentis, aut non accuſare pænitentem, in eiuſmodi enim omiſſionibus nullus fingi poteſt vſus poteſtatis ſpiritualis. 1

Quare Innoc. *in hoc Caput.* Adrian. *quodlib.* 9. *artic.* 2. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 64. Valent. *pa.* 2. *cit. quæſt.* 4. Simoniam hoc loco interpretantur impropriè ſecundum quandam apparentiam. qua ratione collatio beneficij facta precibus, & reſpectu conſanguinitatis dicitur Simoniaca. *C. ordinationes.* 114. 1. *quæſt.* 1. Collatio quoque facta timore dicitur Simoniaca à S. Thom. vti obſeruauit Victoria *Relect. de Simonia. num.* 15. in quibus tamen non eſſe veram Simoniam conſtabit, vbi de pretio Simoniaco diſputabimus. Deinde quis dicat fauore cælare peccatorem, ſiue illum non deferre ad Iudicem Eccleſiaſticum, eſſe Simoniam;

moniam, quandoquidem delatio, & non delatio ſunt actus merè ciuiles, & non ſpirituales, & omninò per accidens eſt, quòd ad proximi correptionem, emendationem, aut punitionem cum ordine ad eius ſalutem ſupernaturalem referantur: Quarè niſi ille ordo ſpiritualis, in ea venditione attendatur, non poterit vlla Simonia in illis reperiri, adde & puram omiſſionem non poſſe eſſe materiam Simoniæ ex ſuperiori conſectario. Si quæ igitur Simonia in hoc textu tribuatur quibuſdam puris omiſſionibus, ea non erit niſi impropria, & ſimilitudinaria, qualem non negamus; eò quòd dum non fieri actùs venditur, ſignificari videtur, ipſum quoque fieri eſſe vendibile, & pretio æſtimabile; quia tamen non venditur reipſa res ſpiritualis, & ſacra, ſed ipſo facto quodammodo ſignificatur ipſam eſſe vendibilem, reuerà non committitur Simonia, quæ eſſentialiter conſiſtit in contractu, & pacto oneroſo circa rem ſacram. Inde nihilominùs fit, vt quia in eo contractu circa omiſſionem actûs, & rei ſacræ, quo tacitè ſignificatur, rem ſacram eſſe vendibilem, fit aliqua iniuria eidem rei ſacræ, Eccleſia poſſit einſmodi contractum prohibere intuitu Religionis, atque in eo ſit Simonia Iuris Eccleſiaſtici, quæ ſimilitudinaria tantùm eſt, vt diximus *Conſectar. 4. quæſt. 3.* atque ita hoc caput Leſſius interpretatur. Valentia verò hanc ſimilitudinem Simoniæ in eo ponit, quod, ſicut ille, qui emit, aut vendit actum ſpiritualem, tanti æſtimat pecuniam, quanti æſtimat actum ſpiritualem, quem emit, vel vendit, ita qui abſtinet ab actu ſpirituali propter pecuniam, pluris videatur æſtimare pecuniam, quàm actum ſpiritualem, quem ad obtinendam pecuniam permittit; verùm id ſemper neceſſarium non eſt; non enim ſemper id efficimus, quod pluris æſtimamus: Et ſanè ſi ea mente omitteretur actus ſpiritualis, qui ponendus alioquin erat, non committeretur tantùm Simonia ſimilitudinaria, ſed vera, & propria, daretur enim actus ſpiritualis pro pecunia; neque enim omiſſio actus, æſtimabilis eſt niſi ratione actus, cuius eſt omiſſio. Hæc porrò expoſitio non vndequaque probanda eſt, ſequeretur enim negationem reconciliationis pænitenti, non eſſe niſi Simoniacam ſimilitudinariè; cùm tamen in ea ſit vſus poteſtatis ſpiritualis, & conſequenter vera Simonia, ſi vendatur, vt diximus *Conſectar. ſuperiori conc.* 2. niſi velis, Simoniam accipi ſecundum ſenſum diſtributiuum prout applicatur diuerſis caſibus in eo capite adductis propriè, aut impropriè vſurpari.

Reſpond. itaque ſecundo cum Suar. *lib. 4. de Simon. cap. 22. num. 14.* & Barboſ. *in cap. Nemo. num. 2.* bipartitum eſſe illud caput. in prima parte agitur de occultatione publici peccatoris, quem Epiſcopo, & eius miniſtris Clerici prodere tenentur. Quarè prohibentur aliquod præmium, aut emolumentum temporale accipere ad eam occultationem, ſed nulla fit Simoniæ mentio, neque propter eam eiuſmodi munera vetantur, ſed quia illa occultatio criminis Clericorum officio, & bonis moribus aduerſatur. In ſecunda parte prohibentur præsbyteri pænitentem reconciliare, aut reconciliationem negare propter pretium, Quia vtrumque Simoniacum eſt, vt patet ex dictis. Quarè ea poſtrema verba non debent referri ad vtrámque partem

tem capitis, ſed ad duo illa, quæ in ſecunda parte continentur, nempe reconciliationem, ſiue abſolutionem pænitentis, & negationem talis reconciliationis. Quam expoſitionem quoque admittit gloſſa. *ibid. ver. vtrumque.*

Reſpondeo tertio, ſi placeat cum Panormit. Hoſtienſ. vocem, verumque, ad totum textum, & duas eius partes referre, quod placet etiam gloſſæ, & vocem Simoniæ propriè vſurpare. Pontificem loqui de ea occultatione peccati, in qua etiam continetur aliquis actus poſitiuus, qui ſit aliqualis vſus poteſtatis ſpiritualis; poteſt enim Parrochus ita occultare, aut non deferre, & non corrigere, vt ſit pura, & nuda omiſſio reuelationis, quo caſu peccabit quidem contra Iuſtitiam, charitatem, aut proprium munus, non tamen peccato Simoniæ, quamuis pro eo ſilentio pretium accipiat. Si vero occultatio criminis, ſit actus poſitiuus, quia vel præcipit ſubditis, ne denuntient ſcelus, vel obtinet à Miniſtris ne nomen Rei ſcribant, aut ſcriptum deleant, aut ne aduersùs illum per aliquot tempus procedatur, aut cum eo diſſimuletur; quæ diſſimulatio æquiualet condonationi. In his omnibus exercet Iuriſdictionem Eccleſiaſticam tum Parrochus, tum alij, qui ita abſoluunt, aut abſoluere nituntur Reum, aut eius abſolutioni cooperantur, per occultationem poſitiuam criminis, & non puram omiſſionem delationis, ſiue accuſationis: atque ita ſi pretio corrupti id faciunt, verè Simoniaci ſunt, vti optimè definiuit in capite iſto Alexander.

2. Secundo Iudex, qui denegat abſolutionem à Cenſuris in foro externo, atque ita non abſoluendo ligat, aut ligatum retinet authoritatiue, vt ita dicam, munere corruptus, Simoniacus eſt. Laym. *loc. cit.* ſequitur ex dictis.

Tertio examinatores ad ordines, audiendas confeſſiones, beneficium, aliáſve functiones Eccleſiaſticas, ſi dignos reiiciant, vel non approbent propter pecuniam, Simoniaci ſunt ex Suar. & Laym. *ll. cc.* quia illa omiſſio, ſiue non approbatio æquiualet actui, quo examinatus declaratur indignus tali functione. Quarè ea omiſſio fluit à Iuriſdictione Eccleſiaſtica, ſicut & approbatio, idcircò tum pro approbatione, tum pro reprobatione nequit abſque Simonia pretium accipi. Neque dicas, Examinatores nullam habere Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quia licet fortaſſis id verum ſit in rigore, nihilominus negari nequit ipſos participare aliqua ratione Iuriſdictionem eius, qui illis vices ſuas commiſit, quod ſufficit ad committendam Simoniam.

Quarto non audire confeſſionem, non eſt materia Simoniæ, quia ibi nullus eſt actus Iuriſdictionis, ſed ſolùm non vſus voluntarius Iuriſdictionis: neque ea omiſſio, aut non auditio confeſſionis habet aliquem effectum ſpiritualem, & moralem, qui ad Iuriſdictionem pertineat. Quia licet ille pænitens maneat ligatus, quia non ſoluitur; non tamen ea ligatio continuatur authoritatiuè, ſiue ex poteſtate Eccleſiaſtica: Neque quidquam refert, quod Parrochus, aut alius quiſpiam teneatur tunc audire confeſſionem ex Iuſtitia, aut ex charitate; inde enim tantùm fiet, vt peccet contra illas virtutes, non autem Simoniam admittat.

Quinto negare abſolutionem in foro

foro Sacramentali, eſt materia Simoniæ quia eſt vſus poteſtatis ſpiritualis, vti diximus; eſtque omiſſio illa diuerſæ ſpeciei ab ea, qua omittitur tota confeſſio, eò quòd vna ſit actus Iuriſdictionis, non verò altera.

Sexto negare licentiam ſubdito iuſtè petenti, vt alteri confiteatur, eſt materia Simoniæ. Vgolin. *de Simonia Tab.* 1. *cap.* 36. §. 3. *num.* 6. Suar. *cap.* 22. *cit. num.* 16. quia illa negatio eſt actus Iuriſdictionis, à qua authoritatem, & vim habet ligandi ſubditum, ne validè exercere poſſit actum, quem iure poſtulat.

Septimo Parrochus omittens miſſam, quam ſubditis dicere tenetur, non eſt Simoniacus, licet id pretio faciat; quia illa omiſſio pura eſt.

Octauo qui dat pecuniam alteri, ne concurrat ad beneficium, aut ne interſit electioni, aut ne ſuffragium alicui det, vt alter eligi faciliùs, & certiùs poſſit, committit Simoniam, vti dicemus inferiùs; quia non datur tunc pretium pro ſola omiſſione actus, ſed pro aſſecutione beneficij, ad quod reuerà ille ſibi viam munit pecuniâ.

CONSECTARIVM XIV.

Neque gratia vnionis Hypoſtaticæ, neque Chriſtus eſt materia Simoniæ, neque Iudas fuit propriè Simoniacus.

1 Ita Suar. *lib.* 4. *tract.* 3. *de Religion. cap.* 9. *num.* 3. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim.* §. 35. Filluc. *tractat.* 43. *cap.* 2. *quæſt.* 14. contra Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. *num.* 3. quia gratia vnionis eſt ſuperioris cuiuſdam ordinis ſupra rem ſpiritualem purè creatam; neque Chriſtus fuit pura creatura. Quarè venditio eiuſmodi vnionis, aut Chriſti continet ſacrilegium, & irreuerentiam, quæ ſuperat omnem malitiam Simoniæ: ideóque non conuenit cum illa, niſi in ratione quadam communi, & analoga; ſicut neque peccata formaliter contra virtutes infuſas, aut Theologicas conueniunt ſpecie analoga, immò neque in ratione generica, & vniuoca cum iis, quæ committuntur aduersùs ſimiles virtutes merè naturales. Neque negamus gratiam vnionis eſſe aliquid creatum, idque inutiliter probat Bonacin. ſed quia terminatiuè includit ipſum DEVM, dicimus eſſe altioris ordinis, quàm ſint omnia alia dona creata, quamuis ſupernaturalia, quia licet dicant ordinem ad DEVM, ipſum tamen minimè in ſe continent, ita vt iis venditis, aut irreuerenter habitis, dicatur ipſemet DEVS perſonaliter vendi, & irreuerenter tractari. Vnde etiam duci poteſt alia ratio noſtri conſectarij, ſi quis enim reuerà cognoſceret DEVM in gratia vnionis, aut in Chriſto vendi, nunquam inducere poſſet in animum, illum eſſe materiam venditionis; quarè circa DEVM in ſe, aut ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & perſonam, nunquam videtur committi poſſe Simonia, ad quam requiritur cognitio, ſiue actualis aduertentia ad rem, quæ venditur.

Hinc fit, neque Iudam vendentem Chriſtum, neque Phariſæos ipſum ementes, commiſiſſe propriè Simoniam, ſed ſacrilegium longè grauius, vt obſeruant iidem DD. cum Valent. *tom* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. 2

p.1.ſub finem. Neque abnuit Soto *lib.9. queſt.5.art.1. con.1.* & omninò concedit Bonac. *loc. cit.* parùm ſibi conſtans Ratio eſt, quia, vt iam diximus, Chriſtus non eſt materia Simoniæ; Deinde illum non vendidit Iudas, niſi vt purum hominem, nec quidquam de ſpiritualitate cogitauit, quæ ignorantia cum culpabilis foret, non excuſat quidem ipſum à ſacrilegio, excuſat tamen à Simonia, in qua venditur ſpirituale, quod niſi vt tale cognoſcatur, reuerà non dicitur vendi niſi materialiter, & quamuis, vt dixi, Chriſti diuinitatem cognouiſſet Iudas, non peccaſſet peccato Simoniæ, ſed Irreligioſitatis grauioris, violando diuinam excellentiam in ſeipſa, & non tantùm in rebus eius cultui deſtinatis, vti facit Simonia, vti explicuimus conſect.1. Patres nihilominus ſæpiùs Simoniacos Iudæ comparant. Chryſoſtom. *tract. de fugienda ſimulata ſpecie. tom.6. græcolat. Editionis ſub fin.* Tharaſius Conſtant. *ad Adrian. Roman.* Calliſtus Papa. *ſerm. de vigilia S. Iacobi*, benè multis id proſequitur. Balſomon. *ad Epiſtolam Tharaſij.* Goffridus Vindocin. *opuſc.* 10. Damian. *opuſc.* 5. *in reſponſione Archiepiſcopi Mediolanen.* Synodus Conſtan. ſub Hieremia Patriarcha Schiſmatico an. 1571. vti refertur *lib.2. Turcogræciæ*, adducit in hanc rem verba Baſilij, atque eius Interpretis Zonaræ Monachi; vti videas, quàm communis fuerit iſta Simoniacorum, & Iudæ comparatio; Ex ea tamen non colligitur niſi grauitas criminis Simoniaci, & aliqua illius cum Iudæ nefandiſſimo ſcelere ſimilitudo, quam nos non diffitemur.

CONSECTARIVM XV.

Vendere Chriſtianum, Iuſtum, Sacerdotem, Clericum, Religioſum, ſub illa ratione Chriſtiani, Iuſti, Sacerdotis, Simoniacum eſt.

Contingere poteſt iſte caſus, quia nonnunquam ab Hæreticis, & infidelibus augetur pretium ratione iſtarum qualitatum, dum bello, aut alia ratione captos vendunt: tunc autem committi Simoniam nullus negabit, cùm ſic vendatur Religio, Sacerdotium, Iuſtitia, & ſanctitas in concreto, hoc eſt, vnà cum ſuis ſubiectis, quæ ratione iſtorum accidentium pluris æſtimantur. Quare totus ille exceſſus, & augmentum pretij non datur niſi ob iſta accidentia, quæ ſpiritualia, & ſupernaturalia ſunt, atque propria materia Simoniæ; nam ſi tantùm venderet eiuſmodi hominem ſecundùm communem aliorum æſtimationem, habita ratione vtilitatis, quæ ex eo capi poteſt, vti ex aliis mancipiis, nulla foret Simonia, neque enim venderentur, gratia, Sacerdotium, Religio, & aliæ eiuſmodi qualitates, quæ ipſi inſunt, & nulla ratione in ea venditione conſiderantur, ſed per accidens omninò ſe habent.

CONSECTARIVM XVI.

Gratiæ gratis datæ, vt Prophetia, virtus miraculorum, & aliæ eiuſmodi ſunt materia Simoniæ.

Ratio eſt, quia hæc dona ſunt 1
ſuper

ſupernaturalia, & inſtituta ad ſalutem ſupernaturalem, vt ad confirmandam fidem, aut quid ſimile; & deinde actiones horum donorum fluunt à principio ſpirituali, vt patet, atque ita ſpirituales ſunt in ſe. Itaque Balaamus, ſi verus propheta fuiſſet, Simoniam commiſiſſet in vendenda prophetia; quia tamen ſua vaticinia, & maleficia, non diuina oracula vendidit, Simoniacus non fuit, vti diximus ſuperiùs. Si Pontifex Hebræus, vt applicaret Ephod, aut DEVM conſuleret, & DEI nomine reſponderet, à Dauide, aut aliis mercedem accepiſſet, Simoniam incurriſſet. Samuel autem, aliique prophetæ munera, & tabernaculi ſtipes quidem accipiebant, ſed non in pretium prophetandi, vti dicam quæſt. 11. Hieronym. *in cap. 3. Michæ.* ait quidem oblata munera, ſed ea non accepiſſe Samuëlem, ſicut neque alios ſacros Prophetas, ſed ariolos quoſdam, ex quibus nata fuerit ea conſuetudo, quam etiam aliqui ſeruandam eſſe in adeundis veris prophetis, falsò ſibi perſuaſerint.

2 Hinc autem colliges, an Giezi, qui à Naamo pro reddita ſibi ſanitate ab Eliſæo, nomine eiuſdem Eliſæi munera petiit, Simoniacus fuerit, vti aſſerere videntur PP. dum illi Simoniacos conferunt. Ambroſ. *lib. 4. in Luc.* Cyrill. *catech. 16.* Taraſi. *Epiſt. ad Adrian.* quibus adhæſerunt plures Theologi cum S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 1. *ad* 4. Summiſtæ, & Canoniſtæ *in cap. ſicut pro certo. de Simonia.* Abulenſ. *in 4. Regum. 5. quæſt.* 29. Hugo Vic. *lib.* 2. *de Sacram. pa.* 10. *cap.* 2. Mihi diſtinguendum videtur, ſi enim Giezi habuit animum petendi illa munera tanquam mercedem collatæ ſanitatis Naamano, reuerà commiſit Simoniam; nam nihil intereſt, quod pretium exigatur pro re ſpirituali ante, vel poſt eius collationem, modò reuerà pretium ſit, atque hanc intentionem prauam ſuſpicantur in Giezi PP. & Theologi, qui illum Simoniæ damnant; Quanquam ex ipſo eius facto non colligatur neceſſario, potuit enim à Naamano, quem viderat paratum ad liberalem donationem, & vt gratum animum accepti beneficij memorem teſtaretur, aliquid eam in cauſam exigere: qua etiam intentione reuerà donauit Naamanus, quem nullus huius criminis arguit. Si itaque Giezi hoc quoque animo fuit, non peccauit peccato Simoniæ, ſed iniuſtitiæ, & furti, vti obſeruat Chryſ. *in cap. 3. Iſai.* quia per fraudem rapuit à Naamano, quæ ipſe illi dari noluit, ſed Eliſæo. Deinde perfidus fuit, qui finxit ſibi id imperatum ab Eliſæo, quem cupiditatis infamare non verebatur. Auaritiæ accuſat Ambroſ. *lib. 4. in cap. 4. Lucæ.* vbi ait omnes auaros Giezi lepram cum diuitiis ſuis poſſidere.

CONSECTARIVM XVII.

Omnia, & ſingula Sacramenta ſunt materia Simoniæ.

Non diſtinguo Sacramenta ab ipſorum adminiſtratione, præterquam in Euchariſtia, quæ ſola eſt Sacramentum permanens, & in facto eſſe, vt loquuntur, cætera conſiſtunt in fieri, nullúmque deinde eſſe retinent, neque durant poſt vſum. quare non poſſunt vendi, niſi eorum adminiſtratio, & fieri vendatur, & vendita adminiſtratione Sacramentorum,

ipſa quoque Sacramenta venduntur. Quod etiam in Euchariſtia verum eſt, quia licet eius adminiſtratio diſtinguatur ab ipſa; ea tamen adminiſtratio neque vendibilis, neque æſtimabilis eſt niſi ratione Euchariſtiæ, quæ miniſtratur vti diximus in explicanda noſtra propoſitione vniuerſali.

1 Contendo itaque tum Sacramenta, tum ipſorum adminiſtrationem eſſe propriam Simoniæ materiam. Hæc enim omnia ſunt ſpiritualia tum ſimpliciter, & ſecundum eſſe ex S.Thom. tum diſpoſitiuè, ſiue cauſaliter ratione ſui effectus, vti expoſuimus ſecunda parte noſtræ Regulæ.

Quarè Sacramentorum adminiſtrationem pretio fieri prohibuerunt PP. & Synodi apud Gratian. 1. *quæſt.* 1. *& ſeq.* non modò, quia id offenderet piorum animos, & pauperes à Sacramentorum perceptione prohiberet, quod obſeruat Gelaſi. *Epiſt.* 1. *ad Epiſcop. Lucan. cap.* 7. aut quia, cùm animarum Rectores teneantur ex officio ſibi ab Eccleſia demandato ſuis ſubditis Sacramenta miniſtrare, non poſſunt abſque iniuſtitia pretium eiuſmodi adminiſtrationis exigere. Ideóque Gregor. *lib.* 11. *Epiſt.* 20. monet Siciliæ Epiſcopos, ne ad conſignandos infantes grauent ſuos ſubditos accipiendo aliquid præter id, quod pro labore quondam definitum fuerat, ſed maximè ne crimen Simoniæ incurrant.

Atque vt à baptiſmo ordiar. Ita iubet Gelaſi. *loc. cit.* Tolet. 11. *cap.* 8. prohibet quamlibet inuiſibilis gratiæ collationem, vti legunt antiqui Codices; atque Iuo *part.* 1. *cap.* 73. *&* 5. *pa. cap.* 126. aut vt habet Gratian. 1. *quæſt.* 1 *cap. quidquid inuiſibilis.* 101. Conſolationem queſtibus nummorum fieri, aut quibuſlibet præmiis venundari. Eò quòd Chriſtus gratis accepta, gratis dare iubeat; atque hanc legem ſeruari vult in baptiſandis, conſignandíſque fidelibus, collatione Chriſmatis, & promotionibus graduum, de quibus omnibus, atque etiam Communione, & ſepultura idem ſtatuit Tribur. *cap.* 22. ſub Arnulpho. Refert Burch. *lib.* 4. *cap.* 101. & Iuo 1. *p. cap.* 295. immò ad fraudem omnem vitandam recuſari vult etiam ſponte oblata. Nam licet apud Gratian. & Iuonem legatur particula exceptiua, niſi voluntariè oblata; in codice tamen Regio abeſt particula, niſi; Idem quoque edixit Eliberitanum *cap.* 48. vbi morem mittendi in concham nummos ab iis, qui baptiſabantur, improbat. Præterea Barcinon. II. *cap.* 1. & Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. hæc munera in ſpeciem gratuita reiiciunt. Nihilominus Bracā. II. *cap.* 7. ſponte oblata à parentibus infantes ſuos ad baptiſmum adducentibus permittit.

In his autem omnibus decretis, vides quoque prohiberi venalitatem Confirmationis, ſeu, vt loquuntur PP. conſignationis infantium, ad quam pertinet etiam Chriſmatis, & balſami ſancti venditio, de qua inferiùs ex Concil. Aquiſgran II. ſub Ludouic. *parte* 1. *cap.* 5. & Meldenſ. *cap.* 45.

Quod attinet ad Euchariſtiam, 2
ea nomine communionis in decretis allatis apertè exprimitur: diſertè etiam Trull *cap.* 23. vetat obolos, aut aliquid quamuis exiguum ab iis, qui communionem populo impartiuntur accipi, quia gratia Spiritus ſancti minimè venalis eſt. οὐδὲ γὰρ πεπραμένη ἡ χάρις, οὐδὲ χρήμασιν ὁ ἁγιασμὸς

ἁγιασμὸς μεταδίδοται. obſeruatque Balſam. in hunc canonem ea maximè de cauſa ſancta dona, nominare ſancta, ἁγία δωρεά τὰ ἁγία, quia liberaliter donantur, teſtatúrque ſe oua gallinacea panis fermento mixta, ſalſas carnes, ſimilia eſculenta, aliáque munera, quæ à mulieribus die Paſchatis ad ſacerdotem, vt ab eo diuina participarent, deferri ſolebant in Cherronenſi regione in vico Calotychas dicto, ſuſtuliſſe. porrò in venditione Euchariſtiæ non tantùm Simonia eſt, quatenus Sacramentum vilipenditur, ſed ſacrilegium maioris cuiuſdam malitiæ in perſonam Chriſti, quæ Euchariſtiâ verè continetur: quod ſcelus creſcit, ſi aut Iudæo, aut malefico ad ſua maleficia, aut iniurioſam profanationem vendatur.

5 Sacramentum pænitentiæ, & reconciliationis peccatoris, vti nominant PP. vendi prohibetur. *cap. nemo presbyterorum. de Simonia.* poteſt autem variis modis circa hoc Sacramentum committi Simonia, vti obſeruat Suar. *lib. 4. cit. ſect.* 19. primo ſi pretium accipiatur pro audienda confeſſione. ſecundo ſi pro impertienda abſolutione poſt auditam confeſſionem, ſiue pænitens eâ dignus ſit, ſiue indignus; quia licet abſolutio indigno præſtita non valeat, neque quoad effectum, neque vt alias docui, ad conficiendum Sacramentum, atque adeò ex eo capite dici nequeat Sacramentalis: nihilominus in ea vtitur Iuriſdictione ſpirituali, quantùm poteſt Sacerdos, ideóque Simonia fuerit, non ex venditione Sacramenti, ſed ex venditione poteſtatis ſpiritualis, quia illa vtitur, ſiue ipſam exercet, quantum poteſt propter pretium: quin immò licet Sacerdos accipiat ſolum pretium pro verbis abſolutionis abſque vlla intentione prolatis, Simoniacus eſt, tum quia cooperatur pænitenti, Sacramentum, vti exiſtimat, ementi; tũ quia pactus eſt de venditione Sacramentalis abſolutionis, atque adeò conuentionalem Simoniam incurrit. Quod ſi pænitens, & ſacerdos conuenirent de abſolutione tantùm externa, ad imponendum aſtantibus, non committeret quidem Simoniam, Reus tamen eſſet ſacrilegij, & Irreligioſitatis; munus enim illud ſacrum confeſſarij eiuſmodi fœdis pactionibus vileſcit. tertio Simonia erit, ſi poſt auditam confeſſionem vendatur negatio abſolutionis, quia in ea negatione eſt quidam actus clauium, quo declaratur pænitens indignus abſolutione, ideóque eſt materia Simoniæ ex diſputatis conſ. 12. quarto accipiendo pretiũ pro leui pœnitentia imponenda, aut pro illa augenda incurretur Simonia, quia pænitentia, eiúſque impoſitio eſt pars Sacramenti, & actus Iuriſdictionis ſpiritualis, atque ex duplici illo capite ſacra eſt, & materia Simoniæ. quinto imponere in pænam Sacramentalem pænitenti Eleemoſynas, aut miſſas celebrandas, & cogere, aut obligare ipſum, vt applicet confeſſario, eſt Simonia; eiuſmodi enim coactio, & obligatio eſt pretio æſtimabilis: ſi autem confeſſarius ſperet eas Miſſas ſe dicturum, aut Eleemoſynas percepturum, eóque animo talem pænitentiam iniungat, non eſt Simoniacus, quia nullam imponit obligationem, neque vllum pactum, aut commutationem oneroſam facit, quod verum erit, etiamſi oſtendat, ſe paratum ad earum Miſſarum celebrationem, aut ſuam tenuitatem pænitenti exponat, modò non ſit vlla, vt dixi, coactio,

aut obligatio, cuius etiam ſpecies omnis prudenti confeſſario cauenda erit, ad vitandum ſcandalum, & offenſionem, omniſque auaritiæ, & cupiditatis vmbram, ideóque conſultius fuerit perpetuò ab his omnibus abſtinere.

4 Sacramentum ordinis, eiúſque collationem, materiam eſſe Simoniæ, tum quia verum ibi Sacramentum fit, & confertur, tum quia vſus eſt, & actus ſpiritualis poteſtatis, certiſſimum manet ex dictis, súntque frequentiſſimi PP. & Synodi in hac noxa exagitanda, & caſtiganda Ipſorum loca benè multa congeſſit Gratianus 1. *quæſt.* 1. 28. primis capitibus, & deinde à *capit.* 107. *ad* 122. & prætereà *quæſt.* 2. *capit.* 4. *&* *quæſt.* 3. *capit.* 10. illuſtre quoque eſt Paſchalis II. decretum, quod integrum adducit Iuo 2. *pa. cap.* 84. vbi Pontifex ex antiquis PP. maximè Gregorio hoc ſcelus damnat. Neque ſanè quidquam frequentius eſt apud antiquos tractatores rerum Eccleſiaſticarum, quam huius criminis exagitatio. Quare ſuperuacaneum foret ſingulorum loca annotare, aut Synodorum Canones adducere; ſatis ſit nouiſſimum Tridentini decretum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. immò aliqui eò prouecti ſunt, vt videantur negare ordinem Simoniacè collatum eſſe verum ordinem, vt *adem cauſa, &* *quæſt.* 1. *cap.* 29. diſputat Gratian. patrum tamen eorum mentem ſuo loco expoſuimus. An autem pro litteris dimiſſorialibus, aut teſtimonialibus aliquid à Notario, aliiſve officialibus accipi poſſit, & quo Iure, dicemus q. 16. conſ. 12.

5 Sacramentum extremæ vnctionis, cùm vt alibi dictum fuit, ſit verum Sacramentum gratiæ ſanctificantis collatiuum, æquè etiam materia Simoniæ exiſtit, & omninò inuendibile eſt, quod etiam ſæpiùs Eccleſia definiuit. Innoc. II. in Synodo Rom. *capit.* 2. Simoniacum dicit, quodlibet Eccleſiaſticum Sacramentum, vtpote Chriſma, vel oleum ſanctum, &c. interueniente execrabili ardore auaritiæ per pecuniam comparare. Nomine autem olei ſancti ſignificare extremam vnctionem, ſicut & confirmationem nomine Chriſmatis obuium eſt. Eadem edixit Leo IX. in Synodo Rhem. *capit.* 4. vti refert Iuo 1. *part. cap.* 71. ne quis pro ſepultura, vel baptiſmo, ſeu pro Euchariſtia, aut infirmorum viſitatione quidquam exigat. Loquitur enim de ſacra viſitatione infirmorum, de qua agit Burch. *toto lib.* 18 in ea autem infirmus poſt auditam eius confeſſionem vngebatur, vt præſcribitur in ritu huiuſce viſitationis relato à Burchardo: qui idem à Callixto imperatum refert *cap.* 2. *illius libri.*

CONSECTARIVM XVIII.

An matrimonium ſit materia Simoniæ.

Negarunt gloſſa *in cap. Cùm in Eccleſia. de Simonia. & in cap. quidquid* 1. *quæſt.* 1. *& in cap. Honorantur.* 32. *quæſt.* 2. Durand. *in* 4. *d.* 26. *quæſt.* 3. allegans Hoſtienſ. quibus etiam conſentit Alenſ. 2. *part. quæſt.* 169. *m.* 4. *artic.* 1. *dub.* 1. *ſub finem.* quibus cæteri omnes paſſim repugnant. 1

Diſtingnenda verò eſt in Matrimonio Ratio Sacramenti à ratione contractus politici, qui præſupponitur Sacramentalitati tanquam eius ſubiectum, neque per Sacramenta

mentalitatem mittatur, ſed conſecratur: ſupponitur tamen validus, legitimus, & perfectus in ratione contractûs, priuſquam acceſſione Sacramentalitatis fiat ſacer: quamuis enim ſimul re, & tempore matrimonium inter fideles ſit Sacramentum, & contractus, non tamen ſimul ratione, & natura, præterquam quod pacta matrimonialia tum circa dotem, tum circa alia fiunt diu ante celebrationem contractûs matrimonialis, qui eſt Sacramentum.

2 Matrimonium igitur vt Sacramentum eſt, inuendibile eſt æquè, ac reliqua Sacramenta; ideò verò gloſſa, aliíque id negarunt, quia non exiſtimarunt per illud conferri gratiam, ſed tantum eſſe Sacramentum in ampliori quadam ſignificatione; quod falſiſſimum eſt, & erroneum, cùm cõtrarium tum à Florentino, tum à Tridentino definitum ſit. Et verò etiamſi Sacramentum iſtud non foret gratiæ ferax, vti falsò ſupponit gloſſa; ex negatione tamen illius effectus malè intulit eadem gloſſa, licitam eſſe eius venditionem, cùm plures actiones, & benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ non conferant gratiam ex opere operato, & tamen ſint vera materia Simoniæ, vti diximus in noſtra Regula, & ex ſubiiciendis conſectariis conſtabit ampliùs. Itaque etiamſi matrimonium non conferret gratiam ex opere operato, ſi nihilomus tamen eſſet Sacramentum, vti fatetur gloſſa, materia Simoniæ foret.

At verò vt matrimonium eſt contractus quidam humanus, ſiue commutatio reciproca corporum, quæ inuicem venduntur, & commutantur ad vſum connubialem, non eſt materia Simoniæ, quod dixit S.Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 6. licitè dari pecuniam pro matrimonio, vt eſt officium naturæ, quia enim contractus, vt iuſtus ſit, ſupponit æqualitatem, & ſæpiùs inter perſonas, quæ matrimonium inire volunt, inæqualitas quædam eſt in nobilitate, diuitiis, ætate, pulchritudine, fiunt plurima pacta, quibus ea inæqualitas reducatur ad æqualitatem, & aliunde compenſetur. Præterea cùm in contractu connubiali ſpectetur bonum prolis, & diuerſorum onerum, quæ ferenda ſunt, facilis ſuſtentatio, de dote, aliíſque eiuſmodi contrahitur; ſed in eo contractu nunquam datur temporale pro ſpirituali, ſed temporale commutatur in aliud temporale; quarè inde Simonia minimè timenda eſt, cùm nihil prorsùs in pretium Sacramenti donetur.

CONSECTARIVM XIX.

Sacramentalia omnia, & ſingula ſunt materia Simoniæ.

1 Sacramentalium nomine intelligo omnes cærimonias, & ritus in adminiſtratione Sacramentorum, & celebratione ſacrificij inſtitutas, tum varias benedictiones, & conſecrationes certo cuidam ſacro ordini alligatas, quæ etiam certo ritu fieri debent, vt in Pontificali, & Miſſali habentur. Hæc porrò omnia Sacramentalia materiam eſſe Simoniæ, niſi fallor euicimus in 3. p. noſtræ Regulæ, quandoquidem ſunt res ſpirituales tum ratione principij, à quo fluunt, ſunt enim ferè actiones alicuius ordinis, & ſpiritualis poteſtatis per illam collatæ; tum ratione

ne finis, ad cultum enim Deo ex Religione infuſa reddendum referuntur; tum ratione effectus quia aliquam ſanctitatem ſaltem externam afferunt, & res plures ſæpiùs ſacras faciunt, atque à prophanis deinde diſtinguunt. Quæ omnia ex quibuſdam ſingularibus benedictionibus faciliùs conſtabunt.

2 Benedictiones itaque, & dedicationes Eccleſiarum æquè inuendibiles eſſe, atque ipſas collationes ſanciunt PP. Concil. II. Cabillon. ſub Carolo Magno. *cap.* 16. eandem venditionem prohibet Aquiſgran. II. Imperante Ludouico Pio. *par.* 1. *cap.* 5. immò ne à fundatore quidem Eccleſiæ munus aliquod quaſi debitum exigere poſſunt Epiſcopi ab ipſo ad dedicandas Eccleſias vocati. Ita & Braccar. II. *cap.* 5. & (vt referunt Burch. *lib.* 3. *cap.* 37. & Iuo 3. *pa. cap.* 42.) Vormatienſ. *cap.* 3. Eccleſia enim, quæ pactione conſecrata fuerit, potiùs execrata, quàm conſecrata dici debet. vti Gratian. 1. *quæſt.* 4. *cap.* *Eccleſia* refert, ex Gregorio, aut vt habent aliqua exemplaria ex Auguſtino. Cùm ea verba Anſelmus *lib.* 5. *cap.* 20. tribuat Alexandro II. id autem verius multò erit de dedicatione, & conſecratione, quæ non fit niſi ab Epiſcopo, aut conuenientibus pluribus Epiſcopis, & quæ vnctione perficitur. Sicut & benedictio altarium, & calicum, de quibus omnibus diſputauimus alibi: Has enim conſtat eſſe ordinis ſacri ex inſtitutione Eccleſiæ proprias functiones.

Benedictiones quoque Chriſmatis, olei infirmorum, & Abbatum ex communi inſtitutione habent pro miniſtro ordinario Epiſcopum; quare & ſacræ ſunt, ac materia Simoniæ.

Idem dico de benedictionibus ſacerdotalibus, quia in his omnibus reperitur functio ordinis, quam materiam eſſe Simoniæ dicemus Regula 2. & facilè fuerit ex iis, quæ de benedictionibus ſingulis attulimus alibi dum de ſacris obſeruationibus diſputaremus, videre ex Regulis datis hoc loco, quomodò ſint materia Simoniæ. Benedictio igitur agnorum, Cereorum, aquæ, veſtium, incenſi, cerei Paſchalis, fontium baptiſmatis, ſalis ad ſacros vſus adhibendi, Cinerum die primo quadrageſimæ, Candelarum in die Purificationis, & aliæ ſimiles ſunt materia Simoniæ. De priuatis autem benedictionibus, quæ & à Laicis fieri poſſunt, dicam ſequenti Regula.

Pro benedictionibus nuptiarum aliquid exigi prohibetur in Concil. Lateran. ſub Alexand. III. *cap.* 7. & 8. & iſta benedictio Sacramentum vocàtur.

QVÆSTIO VII.

De actu poteſtatis ſupernaturalis.

HÆc eſt altera pars materiæ circa quam exerceri poſſe Simoniam conſtat ex doctrina vniuerſali hactenus à nobis tradita: quandonam verò & quomodo circa huius poteſtatis vſum contingat Simonia, hanc vniuerſalem regulam trado.

***

REGVLA VNIVERSALIS.

Omnis actus ſupernaturalis poteſtatis, Ordinis vel Iuriſdictionis eſt materia Simoniæ.

1 Supponimus geminam eſſe in Eccleſia poteſtatem, eámque ſupernaturalem, Ordinis videlicet, & Iuriſdictionis, quam vtrámque explicuimus 2. p. ſcientiæ canonicæ, vbi etiam attigimus, quinam ſint ipſarum actus: quoties enim aliquis actus, vel validè, vel licitè fieri nequit, niſi ſacrum ordinem, aut Iuriſdictionem ſpiritualem in operante tanquam ſui principium ſupponat, toties dicitur eſſe actus ordinis, aut Iuriſdictionis. Ordinem porrò ſacrum in operante poſtulant aliqui actus ex diuino Iure, ſeu inſtitutione, vt abſolutio à peccatis, conſecratio Euchariſtiæ, adminiſtratio omnium Sacramentorum, præterquam baptiſmi. Alij verò actus iure tantùm Eccleſiaſtico certis ordinibus alligati ſunt, vt conſecrationes quædam, & benedictiones: Prætereà quoſdam ordines, vt ſacerdotium, Epiſcopatum, & Diaconatum à Chriſto inſtitutos eſſe conſtat; alios verò non niſi ab Eccleſia, nempe quos appellant minores, atque etiam fortaſſis ſubdiaconatum. Iam verò poteſtas Iuriſdictionis gemina eſt, vna forum internum reſpicit, eſtque neceſſaria ad valorem, vel licitum vſum alicuius Sacramenti; quare illius Iuriſdictionis actus ferè conſiſtunt in adminiſtratione alicuius Sacramenti, aut in ordine ad ipſam. Iuriſdictio externi fori non tantùm extra Sacramentum exercetur; ſed etiam ſine ordine proximo ad ipſum: iſti verò actus vel ſunt collatio ipſius Iuriſdictionis ordinariæ, aut delegatæ, vel eiuſdem Iuriſdictionis vſus, ſiue condendo leges, ſiue earum obſeruationem vrgendo. Prætereà aliquando pertinet ad Iuriſdictionem voluntariam, vt diſpenſationes, & priuilegia; aliquando ad contentioſam, vt actus omnes Iudiciales, vti alibi ſufficienter fuit explicatum. Regula igitur noſtra comprehendit omnes omninò actus poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis, ſiue ea ſit ordinis, ſiue Iuriſdictionis in foro interno, aut externo, illóſque materiam eſſe Simoniæ pronuntiat.

Atque in primis quod attinet ad actus poteſtatis ordinis, conſentiunt omnes Theologi *in* 4. *diſt.* 25. & S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. atque vnuerſi Iuris interpretes *in cap. Conſulere, de Simonia.*

Ratio manifeſtiſſima eſt ex ſuperiori Regula q. 4. quæ in vniuerſum pronuntiat omnem rem ſpiritualem, & ſupernaturalem ad ſalutem ſupernaturalem ex ſua natura, aut ex inſtitutione ordinatam, eſſe materiam Simoniæ: at verò omnes actus ordinum ſunt ſpirituales primo cauſaliter, & diſpoſitiuè, quia vel conferunt ſanctitatem ſupernaturalem, aliúmve ſpiritualem effectum, vel ad illum diſponunt, vel ſaltem externam quandam ſanctificationem, & conſecrationem ſuo etiam modo ſpiritualem conferunt, vt ſingulos eiuſmodi actus expendenti facilè conſtabit. ſecundo ſunt ſpirituales effectiuè, vel actualiter, quia ſunt effectus, & exercitia poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis, neque vt ſunt actus ordinum, ab alio principio fluere poſſunt. tertio denique ſunt ſpirituales hi actus in ſe, & ſe- 2

cundum ſuum eſſe morale, quia licet phyſicè, & entitatiuè ſumpti, ſint actiones materiales, atque ſenſibiles, nihilominus cùm ad ſupernaturalem ſalutem tanquam finem inſtitutæ ſint à Chriſto, vel immediatè, vel mediante Eccleſia, cui poteſtatem ſupernaturalem in eam rem contulit, reuerà ſpiritualitatem quandam, & ſupernaturalitatem moralem ex ſua inſtitutione deriuant; vnde etiam fit vt ad ſupernaturalem Dei cultum, atque Religionem infuſam pertineant. Neque apparet vlla differentia inter hos actus, & actus Sacramentorum, cùm omnes ſint æquè materiales, & à poteſtate ſpirituali procedant, atque ad ſalutem animæ ſint inſtituti; quia tamen actus ipſi Sacramētorum producunt gratiam ſanctificantem, atque adeò veram efficientiam ſiue phyſicā, ſiue moralē habent in ſalutem animæ, ad quam non niſi per modum diſpoſitionis, impetrationis, aliiſve modis remotiùs conferunt reliquæ functiones ordinum, ideò minùs ſactæ, & in inferiori quodam ordine ſupernaturalitatis exiſtunt, eam tamen reuerà ſuo modo participant, atque ita ſunt materia Simoniæ intrinſecè, & ex ſua natura turpis, non ſolùm ex lege Eccleſiaſtica; quia etiamſi aliquæ ex his actionibus ſint tantùm inſtitutæ ab Eccleſia, & ab illa ſacris quibuſdam ordinibus alligatæ; immò & aliqui ordines, vt inferiores, quos minores vocant, inducti fuerint ab eadem Eccleſia, (nam Eccleſiæ inſtitutio ſufficit, vt aliquid ſacrum, & ſpirituale conſtituat.) cum tamen poſita ea inſtitutione iam eæ functiones ſunt actus ordinum, ex naturali quodam, ac diuino iure ſequitur eorum effectionem ad ſacros miniſtros, & non profanos pertinere, quatenus hoc ritu, aliòve ex inſtitutione ſacro fiunt. Quare difficultas tantùm eſſe poterit de iis actionibus, quæ ſecundùm eandem ſuſtantiam à Laicis aliquando fiunt, cuiuſmodi ſunt aliquæ ex iis, quæ ad minores ordines ſpectant, an eæ materialiter ſumptæ, & vt à Laicis exercentur, vendi valeant, ſintque materia Simoniæ. Quod de ſingulis expendendum eſt in Corollariis; Dico in vniuerſum, quoties hæ actiones ſecundùm ſe ſunt ſpirituales, eò quòd ad functionem aliquam eſſentialiter ſacram ſpectent, à quocúnque exerceantur, vt miniſtratio ſacri, aut lectio Euangelij, vel Epiſtolæ, etiam non ſolemnis, etiam materialiter ſumptæ, ſemper ſunt materia Simoniæ; ſi verò entitatiuè acceptæ non ſunt partes ſacræ functionis, ſed ſolùm ratione ſolemnitatis, & modi, quo fiunt, vt delatio cerei, pulſatio campanarum, & apertio valuarum Eccleſiæ, tunc non ſunt materia Simoniæ, quia ſub ea ratione nullam prorsùs ſpiritualitatem participant.

Ex quibus vides, quàm ſapienter Eccleſia hæc miniſteria ſacra, & functiones vendi prohibuerit, & quidem æquè ac pro Sacramentis, & ordinibus peccuniam accipi, ne Giezi crimen, & lepra incurratur, vetat Lateran. ſub Alexand. III. *cap.* 7. *&* 8. refertúrque *cap. Cùm in Eccleſia, de Simonia*, vbi etiam negat Alexand. contraria conſuetudine poſſe factum eiuſmodi honeſtari: vnde Colligis Simoniam ea in re commiſſam, eſſe Iuris naturalis, non ſolùm Eccleſiaſtici, aduersùs quod longa conſuetudine præſcribi poſſet. Idem Alexand. *cap.* 2. *ad noſtram, de Simonia*, quod paulò fuſiùs *in* 2. *compilat. eod. tit. cap.* 3. refertur,

fertur, inſcribitúrque Herefordenſ. Archidiac. edicit abſolutè, ne pro miniſterio Eccleſiaſtico, quo nomine omne officium, & functionem Eccleſiaſticam comprehendit, pretium aliquod aut exigi, aut accipi poſſit. Alia edicta Summorum Pontificum circa ſingulas functiones ordinum dabimus ſuis locis inferiùs.

5 Venio ad alteram noſtræ Regulæ partem, nimirum ad actus poteſtatis Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; dixi enim hos omnes ſiue ad forum internum, ſiue ad externum pertineant, eſſe materiam Simoniæ.

Et quidem de actibus Iuriſdictionis fori interni vix poteſt excitari difficultas; cùm enim illi ferè conſiſtant in adminiſtratione Sacramentorum, oblatione ſacrificij, diuinorum officiorum celebratione, diuini verbi prædicatione, & aliis eiuſmodi, quæ materiam eſſe Simoniæ conſtat; ex ſuperioribus, idem dicendum fuerit de exercitio ſpiritualis Iuriſdictionis, quod actibus enumeratis continetur. Præterquam quod cùm ad animarum curam, ac ſalutem proximè ſpectent, atque à ſupernaturali poteſtate, tanquam principio proximo, & immediato procedant, ſupernaturales & ipſi, atque ſpirituales effectiuè, ratione ſui illius principij, neceſſariò dicendi ſunt. Neque inuenio hac in parte diſſentientes authores, ſi quæ enim mouentur difficultates hoc loco, ex excitantur propter annexum aliquod temporale iſtis actibus ſpiritualibus, de quo ſtatim diſputabo.

Actus Iuriſdictionis ſpiritualis in foro externo ſunt quoque ſpirituales, atque adeò materia Simoniæ propter rationem allatam, quia ſunt exercitia, & actus poteſtatis ſpiritualis, atque ſupernaturalis, quæ non niſi ad ſalutem animarum ex ſuo natiuo fine, atque inſtitutione tendit. Deinde vel iſtis actibus conceditur Iuriſdictio ſpiritualis, ſiue ordinaria, ſiue delegata, vel exercetur, aut potiùs iam accepta adminiſtratur in externa gubernatione Eccleſiarum. Priores illi actus ſunt manifeſtiſſima materia Simoniæ, ſi enim illi vendantur, ipſa quoque Iuriſdictio Eccleſiaſtica, quæ per eos traditur, vendatur oportet; quandoquidem non aliter venditur res, quàm quia eius traditio venditur, neque pretio æſtimabilis eſt alicuius Rei traditio, niſi quia ipſa res tradita æſtimatur. Deinde vel ipſa Iuriſdictio immediatè, & per ſe primò, ac veluti nuda, & ſola communicatur, vti contingit in Iuriſdictione delegata; nihil enim tunc præter ipſam Iuriſdictionem traditur, vel communicatur ratione officij, aut dignitatis, cui alligatur, vt fit in Iuriſdictione ordinarij, quæ ſemper coniungitur cum officio aliquo, ratione cuius Iuriſdictio debetur, vti videmus in Epiſcopatu, aliáve prælatura; ſi igitur vendatur collatio Iuriſdictionis ordinariæ, vendetur dignitas Eccleſiaſtica, ratione cuius confertur; ſi verò vendatur collatio Iuriſdictionis delegatæ, & extraordinariæ, venditur ipſamet Iuriſdictio: quare vtrobíque manifeſtiſſima Simonia committitur, quandoquidem tum dignitas Eccleſiaſtica, tum ipſa Iuriſdictio ſunt quidpiam ſpirituale, atque ad animarum ſalutem proximè inſtitutum, vti ſuppono ex natura huius Iuriſdictionis alibi explicatæ, & de dignitatibus, ac beneficiis Eccleſiaſticis dicam inferiùs quæſt. 15.

Ideóque hanc venditionem tanquam verè, & ex natura ſua Simoniacam iure merito prohibuit Eccleſia, vt locis afferendis conſectar. 11. conſtabit, & clarum eſt illud Innoc. III. *cap. Conſulere, de Simonia*, quamcunque rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem ementes, aut vendentes cum Simone percellentis.

Actus porrò, quibus exercetur Iuriſdictio Eccleſiaſtica, aliquando habent materiam ſpiritualem, aliàs verò merè politicam, & humanam, quales ſunt in Iuriſdictione voluntaria, licentia ſtudendi litteris Humanioribus, Philoſophiæ, atque etiam Theologiæ, & Iuri Canonico, licentia eaſdem ſcientias docendi, legitimatio quatenus tollit inhabilitatem ad commoda, & dignitates temporales: in Iuriſdictione autem contentioſa Iudicia, & lites in cauſis merè temporalibus Clericorum, ſiue de ipſorum bonis, ſiue de iniuriis agatur.

4 Dico igitur omnes actus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſiue voluntariæ, ſiue inuoluntariæ, & contentioſæ, verſantes circa materiam ſpiritualem, eſſe ſpirituales, atque materiam Simoniæ, eiuſmodi ſunt in Iuriſdictione voluntaria, Iuramentorum relaxationes, Indulgentiæ, votorum, legum Eccleſiaſticarum, impedimentorum matrimonij, & Irregularitatum diſpenſationes, & ſimiles. In Iuriſdictione autem contentioſa, atque inuoluntaria, impoſitio Cenſuræ eiúſque abſolutio, cauſæ beneficiales, matrimoniales, aut ad fidem ſpectantes, quæ Iudicem Eccleſiaſticum per ſe poſtulant. Ratio noſtræ aſſertionis euidens apparet, iſti enim actus ſpirituales ſunt primo ex parte principij effectiui, quod ſupernaturale eſſentialiter requirunt; quod manifeſtum eſt in actibus enumeratis Iuriſdictionis voluntariæ, cùm in Iure diuino nulla humana poteſtas diſpenſare queat, vt patet; in iure verò Eccleſiaſtico ille duntaxat quidpiam indulgere poſſit, qui illud condere, aut abrogare poterit, quod ſola poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis, & ſupernaturalis facit.

Actus autem Iuriſdictionis contentioſæ procedunt quoque ex eadem ſupernaturali poteſtate gratis ad gubernandam Eccleſiam cōceſſa; Et ſicut illa ſola cenſuras inſtituit, atque beneficia. Regula fidei eſt, & quę ad diuinum cultum, atque Sacramenta præcipuè pertinent, dirigit, ita ipſius eſt cenſuras ferre, aut tollere, de beneficiis, matrimonio, Sacramentorum adminiſtratione, hæreſi, aliíſque eiuſmodi cauſis cognoſcere, & iudicare: quare in his omnibus maximè exercetur poteſtas Eccleſiæ, vt ſpiritualis, atque Eccleſiaſtica eſt; Ergo illi omnes actus ſpirituales ſunt ratione ſui principij. ſecundo idem quoque obtinent ratione finis intrinſeci, cùm proximè, atque ex ſua natura tendant ad ſalutem animarum, nam diſpenſationes, actúſque Iuriſdictionis voluntariæ ſoluunt animarum vincula & ſuum effectum coram Deo habent, cùm eæ omnes diſpenſationes ratæ habeantur à Deo, & plurimùm ad animarum ſalutem conferant: quod idem dico de actibus Iuriſdictionis contentioſæ in materia ſpiritali, vt in cauſis matrimonialibus, aut beneficialibus, vel fidei, & Religionis, ſiue Rei plectantur, ſiue innoxij abſoluantur; Et

ſanè

ſanè ſine ea poteſtate neque Eccleſia regi, neque animarum ſalus promoueri rectè poſſet, vti aliàs oſtendimus.

5 Quoties verò actus aliquis Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ habet materiam merè politicam, humanam, & temporalem, non eſt materia Simoniæ ſaltem naturalis, & ex diuino iure, ſed ad ſummum humanæ, & iure ſolùm Eccleſiaſtico prohibitæ. Ita Leſſi. *lib.* 2. *capit.* 35. *num.* 82. Bonacin. *diſputat. de Simon. quæſt.* 4. §. 17. & qui negant, licentiam docendi eſſe materiam Simoniæ, cùm Innocent. *in cap.* 2. *de Magiſtris.* Angel. *ver. Magiſter. num.* 15. atque aliis, qua de re in coniectariis contra Suar. *tractat.* 3. *de Religion. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 19. vbi gloſſam adducit alióſque, qui Simoniam in venditione Magiſterij agnoſcunt. Suari adhæſit Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 37. *diffic.* 19. Sanch. *lib.* 2. *conſ. cap.* 3. *dub.* 21. Filluc. *tractat.* 45. *capit.* 4. *numer.* 43. & pleríque alij recentiores.

Euidens tamen ratio noſtram aſſertionem confirmat, iſti enim actus non ſunt ſpitituales, & ſupernaturales, neque ratione materia, neque ratione finis, neque ratione principij; nam materiam politicam, & humanam duntaxat eſſe ſupponimus, finis autem proximus eſt bonum temporale ſubditorum, & licet vlteriùs ad bonum ſpirituale Eccleſiæ, ipſorúmque ſubditorum referatur, ille tamen finis cùm remotus ſit, non ſufficit ad dandam ſupernaturalitatem actui, qui ex ſua natura proximum, & immediatum finem merè politicum, & temporalem habet. Denique horum actuum principium ſupernaturale non eſt, quod vnum Suar. contendit, eò quòd in illis ſit vſus poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpiritualis; nam vti aduertit Leſſi. ille vſus non eſt ſupernaturalis, ſed politicus, non enim eſt à poteſtate ſpirituali, vt ſpiritualis eſt; ſed quatenus per quandam eminentiam eſt etiam temporalis, eò quòd ad multa politica ſe extendat eodem modo, atque poteſtas temporalis: quoties autem aliquis effectus eodem modo producitur, idémque omninò eſt, ſiue à cauſa formali, & vniuoca, ſiue ab eminentiali, & æquiuoca producatur, & ad quemcúnque finem dirigatur, deſtinetúrque a ſua cauſa, toties per accidens coniungitur cum ea perfectione, ratione cuius eminenter continetur in agente, v. gr. ſol producit calorem quatenus eſt eminenter calidus, & calor non pendet à ſole formaliter, vt eſt formaliter lucidus, ſed vt eſt eminenter calidus; quare per accidens illi eſt ſiue à ſole, ſiue ab igne, ſiue ab agente formaliter, aut eminenter calido prodeat, ſiue à ſole deſtinetur ad formanda metalla in viſceribus terræ, lapides, aut gemmas, ſiue ab igne ad conflandam ſtatuam; ſemper enim idem omninò calor eſt, neque in alio rerum ordine per diuerſas iſtas connotationes collocatur: quando igitur aliquis actus ex ſua natura, atque fine proximo, primariáque inſtitutione prorsùs politicus eſt, etiamſi ab altiori quadam poteſtate, eo quod ſit eminenter politica, exerceatur, & ab illa ad finem aliquem remotum altiorem dirigatur; non idcirco extrahitur, vt ita dicam, à ſua temporalitate, neque ad ſupernaturalitatem aliquam participatam euehitur, ac proinde neque eſt materia Simoniæ Iuris diuini, quod modò quærimus, quamuis poſſit eſſe obiectum Simoniæ Iuris

Eccleſiaſtici, vti in aliis temporalibus contingit, quod vltima Regula obſeruabimus, quæ Simonia impropria tantùm eſt, vti dicam conſectar. 4. illius. Confirmatur, quia officium Sacriſtæ, œconomi, defenſoris, & aduocati Eccleſiæ, non eſt obiectum Simoniæ Iuris diuini, vt fatetur Suar. aliique paſſim; & tamen Ius horum officiorum conuenit Prælato, qui & illa exercere, & alteri exercenda conferre poteſt, qua Prælatus eſt; quare dum ea officia alicui committit, reuerà exercet actum Prælaturæ, ſiue Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ ſpiritualis eſt, & ad bonum animarum ſpectat, ad quod etiam bonum inſtituta ſunt hæc officia, quia in Eccleſia omnia ordinata eſſe debent. Cur igitur collatio horum officiorum materia Simoniæ ex Iure naturali, & diuino non eſt, quandoquidem in ea exerceatur vſus Iuriſdictionis poteſtatis ſpiritualis, quod erat vnicum Suaris argumentum, niſi quia omnia iſta officia ſunt aliquid temporale, & non conueniunt poteſtati ſpirituali Prælati, niſi quatenus eſt eminenter temporalis, atque ita per accidens oriuntur à principio ſupernaturali, ſed per ſe à temporali ſiue formaliter tale ſit, ſiue eminenter dutaxat. Quare actus conferendi ciuſmodi officia manet prorſùs temporalis, quamuis à poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali procedat.

* * *

QVÆSTIO VIII.

CONSECTARIA

Ex Regula Superiori.

Conſect. I. Lectio Euangelij, & Epiſtolæ in Miſſa eſt materia Simoniæ.

Conſect. II. Exorciſmus, aliæque Minorum ordinum functiones ſunt materia Simoniæ.

Conſect. III. Tonſura Clericalis eſt materia Simoniæ.

Conſect. IV. Diuina officia ſunt materia Simoniæ.

Conſect. V. Priuatæ orationes, & opera ſpiritualia virtutum ſunt materia Simoniæ.

Conſect. VI. Licentia audiendi confeſſiones, eligendi confeſſarium, munúſque confeſſarij, ſunt materia Simoniæ.

Conſect. VII. Licentiæ à Parrocho conceſſæ ſubditis ſunt materia Simoniæ.

Conſect. VIII. Simoniacus eſt Parrochus, qui non aſſiſtit matrimonio niſi pretio accepto.

Conſect. IX. Indulgentiæ ſunt materia Simoniæ.

Conſect. X. Omnis collatio Iuriſdictionis ſpiritualis Eccleſiaſticæ in foro externo eſt materia Simoniæ.

Conſect. XI. Diſpenſationes omnes in materia ſpirituali ſunt obiectum Simoniæ.

Conſect. XII. Impoſitio Cenſuræ, eiúſque abſolutio, Iudicium Eccleſiaſticum in cauſis ſpiritualibus, viſitatio item Eccleſiaſtica ſunt materia Simoniæ.

Conſect. XIII. Iudicium Clericorum in materia merè politica, aliique

que actus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in materia merè temporali non ſunt obiectum Simoniæ.

CONSECTARIVM I.

Lectio Euangelij, & Epiſtolæ in Miſſa eſt materia Simoniæ.

Quia vel iſta lectio eſt ſolemnis, fitque à Diacono, aut ſubdiacono, dum ſolemniter celebranti Sacerdoti ex officio miniſtrant; vel ab aliquo alio inferiori Clerico; nam aliàs in Eccleſia Carthaginenſi fiebat lectio Euangelij à Lectore, non à Diacono, vti obſeruauit Baronius anno Chriſti. Vel denique fit etiam à Laico. In primis duobus caſibus eſt actio ordinis ſacri, lege diuina aut Eccleſiaſtica ſaltem, atque ita ex tradita Regula eſt materia Simoniæ. In tertio caſu, etſi non requirat ordinem ſacrum, aut ſanctitatem, & dedicationem peculiarem perſonæ, eſt tamen cooperatio quædam ſacrificij, atque adeò actio ad ipſum pertinens, tanquam eius pars quædam integrans: eſt igitur aliquid ſpirituale, & materia Simoniæ, vti argumentantur Reginald. *lib.* 23. *num.* 207. Bonacin. *diſputat. de Simon. quæſt.* 4. §. 5. *num.* 2. & alij paſſim.

CONSECTARIVM II.

Exorciſmus, aliaque minorum ordinum functiones ſunt materia Simoniæ.

Et quidem ſi fiant ab eiuſmodi ordinibus dum operantur ex officio, & munere ſibi ab Eccleſia demandato, & ad quod ordinantur, atque diuinis obſequiis certo ritu mancipantur; certum eſt ex noſtra Regula eſſe materiam Simoniæ. Si verò ſint actiones communes laicis, à quibus interdum fiunt, ſi tamen ſunt miniſteria quædam ſacra vel ſecundum ſe, vt exorciſmus, vel quia ſunt partes diuinorum officiorum, aliarúmque actionum ſpiritualium, vt miniſtratio Miſſæ ab Acolytho, Lectio Epiſtolæ, aut Capitulorum, & diuinæ ſcripturæ in choro inter diuina officia; erunt quoque materia Simoniæ. Quod ſi hæc miniſteria nullam ex ſe ſanctitatem habeant, neque ex coniunctione cum alia actione ſacra, cui nec cooperantur proximè, nec eius partes ſunt; neque denique ex modo, quo fiunt, quia non exercentur ex munere proprio Clericali; ſed vt officium, quod ex ſua natura, & ex modo, quo exercetur, nullam ſanctitatem requirit, non eſt materia Simoniæ, vt patet. Quare pulſatio campanarum, apertio valuarum Eccleſiæ, accenſio Cereorum, vt fiunt ſimpliciter à Laico, pretio fieri poſſunt. Aliud cenſerem de delatione Cereorum inter dandum incenſum, aut legendum Euangelium, geſtatione Crucis in ſupplicatione, de ſuffitu, incenſo Thure inter ſolemnia officia; quia iſtæ omnes actiones ſunt miniſteria ſacra, & partes actionum verè ſacrarum, quas vendi prohibet Eccleſia *Cap. ad noſtram, de Simonia.* dum in vniuerſum id definit de miniſterio Eccleſiaſtico: qua etiam ratione etiamſi baptiſmus miniſtrari poſſit à Laico tum validè, tum etiam aliquando licitè, & Sacramentum matrimonij ſemper miniſtretur ab ipſis coniugibus; ſunt nihilominùs materia Simoniæ, quia ſecundùm ſe ſunt actiones ſacræ, quare à quocunque

que fiant, ſacræ ſunt, & inuendibiles.

CONSECTARIVM III.

Tonſura Clericalis eſt materia Simoniæ.

Non diſputo, vtrum tonſura ſit ordo quidam Eccleſiaſticus, vti nonnunquam vocatur in Iure *cap. Cùm contingat. de ætate, & qualitate ordinandorum*; quia tamen, vt diximus alibi, eſt quædam proxima diſpoſitio ex inſtitutione Eccleſiæ ad ordines ſuſcipiendos, & hominem quodammodo ſanctificat in Clericum, & in ſortem domini aſciſcit, & à vulgo profano fidelium reliquorum ſecernit, quidpiam ſacrum eſt, atque adeò materia Simoniæ. Quare ſi quidpiam pro prima tonſura conferenda, aut ſuſcipienda per modum pretij tribuatur, Simonia iuris diuini committitur. Ita Suar. *lib.* 4. *cit. capit.* 13. *ſub fin.* Fillnc. *tract.* 45 *cap.* 4. *quæſt.* 2. *nu.* 6. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *capit. vltim. num.* 71.

CONSECTARIVM IV.

Diuina officia ſunt materia Simoniæ.

1 Hoc nomine intelligimus horas canonicas, aliáſque publicas orationes, quæ Eccleſiæ vice à miniſtris ab ipſa deputatis, ritu, ac modo ab ea præſcripto, verbíſque ab ea traditis fiunt; vti fuſiùs tractatu de cenſuris diſputantes de Excommunicatione, & alibi de horis canonicis agentes docuimus. Dico verò has omnes orationes eſſe materiam Simoniæ, quamuis enim non ſint propriè actus ordinis ſacri, ſunt tamen actiones ſpirituales, primo ratione principij, fiunt enim nomine Eccleſiæ per poteſtatem ſpiritualem ad ipſa delegatam. ſecundo, ſecundum ſe, quia quodammodò informantur fide, & Religione infuſa, quandoquidem referuntur ad cultum Dei ſupernaturalem. tertio ratione finis, ſiue effectus, referuntur enim ad ſatisfaciendum Deo, ad impetrandam ab illo gratiam, aliáve beneficia, quæ licet interdum temporalia ſint, modus tamen impetrandi ſpiritualis eſt, denique ad virtutem chriſtianam, hominem diſponunt.

Atque ex his omnibus tum ſpiritualitatem, vt vides, tum valorem ſuum accipiunt, qui valor temporalis minimè eſt, ſed altioris cuiuſdam ordinis, quare pretio temporali vendi, aut compenſari non poteſt.

Idcircò Innocent. III. in Concil. Lateranen. *capit.* 66. & refertur *cap. ad Apoſtolicam, de Simonia*, prohibet exactiones pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium fieri; idémque edicit *capit. ſuam eod. tit.* quod intelligendum eſt circa eas actiones, quæ in funeribus ſpirituales ſunt, vt ſacrificium, orationes, ſuffragia, litaniæ, pompa tota ſpiritualis; nam actiones merè corporeæ, vt lotio corporis, delatio ipſius, tumuli effoſſio, aliáve eiuſmodi, pretio æſtimabilia ſunt; quomodo verò in his omnibus aliquid loco ſtipendij, aut oblationis piæ, aut conſuetudinis, quod poſtremum concedit Innoc. locis citat. capi valeat, dicemus inferius. quod idem de omnibus aliis diuinis officiis eo loco quærendum erit. 2

CONSE-

CONSECTARIVM V.

Priuatæ orationes, & opera ſpiritualia virtutum ſunt materia Simoniæ.

Prima pars huiuſce conſectarij ſequitur ex ſuperiori, quæ enim ratio probat diuina officia eſſe quidpiam ſpirituale, tum ſecundum ſe, eò quòd ſint actus fidei, & Religionis ſupernaturalis, & diuinæ laudes; tum ratione finis, quod referantur ad aliquid ſibi vel aliis merendum de congruo, aut impetrandum, aut ſatisfaciendum pro pœnis debitis. Itáque omninò ſentit S. Thom. 2. 2. *quæſt.*100. *a.*3. *ad* 2. cui omnes æquè conſentiunt: dum autem datur aliquid ad obtinendas aliorum orationes, id non fit emendo eas orationes, ſed alio titulo, vti exponemus q. 10.

Altera pars conſectarij pertinet ad opera miſericordiæ corporalia, quatenùs enim illa præciſe aliquid corporale exhibent proximo, cuius miſeriam ſubleuant, pretio æſtimabilia ſunt; cùm neque ratione ſui principij, neque ſui termini, neque ſui eſſe vllam habeant ſpiritualitatem, nam quod fiant aliquando in gratia, aut ex gratia, atque per actum internum ſpiritualem, ſiue ſupernaturalem, id omninò per accidens eſt operi externo, cuius temporalis vtilitas attenditur, & emitur. Vt verò hæc opera ſunt ſuo modo meritoria, & ſatisfactoria, ſicut & aliarum omnium virtutum, ſic ſunt materiæ Simoniæ: quia verò in nullis aliis actibus, præterquam miſericordiæ corporeæ, licet hanc diſtinctionem commodi, & operis merè temporalis facere; hinc fit, vt cæterarum virtutum actus ſupernaturales, & non ſecundùm honeſtatem tantùm naturalem, ſint materia Simoniæ.

CONSECTARIVM VI.

Licentia audiendi confeſſiones, eligendi confeſſarium, muniaque confeſſarij ſunt materia Simoniæ.

1 Licentia iſta duobus modis conferri poteſt, aliquando enim vnà cum illa datur Iuriſdictio, vt dum Parrochus ſuas vices committit alicui confeſſario approbato, ſed qui nullam habet Iuriſdictionem, ſaltem in ea Parrochia; aliàs verò eſt ſimplex licentia, eò quod aliunde habetur Iuriſdictio vel à Pontifice, vel à Prælato; vtraque autem iſta licentia eſt materia Simoniæ; quare ſi pretium aliquod eius accipiat, v.gr. Parrochus, aut à Sacerdote, cui eam concedit, aut à ſuis ſubditis, verè Simoniacus eſt; tum quia ſi in ea licentia datur Iuriſdictio ipſa, iam eſt actus ſpiritualis Iuriſdictionis, eiúſque Iuriſdictionis collatio: atque adeò ex Regula noſtra, poſita inuendibilis nuda quoque licentia, quamuis nullam Iuriſdictionem conferat, eſt etiam actus ſpiritualis, & à poteſtate ſpirituali procedit, vt patet, atque ad actum ſpiritualem, & ſupernaturalem ordinatur; quæ rationes idem oſtendunt in licentia conceſſa pœnitenti eligendi confeſſarium, cùm & ipſa quoque fluat à poteſtate ſpiritali; & ad finem ſpiritalem referatur, & vi illius quoque delegetur Iuriſdictio confeſſario, ſi aliunde eam non habeat. Si itaque vendatur pretio, Simonia committitur, ſiue vendatur ab eo,

qui illam concedit, ſiue à pœnitente, cui conceſſa eſt, quia nimirum propter pretium, vnum potiùs confeſſarium, quàm alium eligit. Nihilominus Parrochus, qui retineret ſibi partem ſtipendiorum, aut Eleemoſynarum, vel oblationum, quæ obtinget illi ſacerdoti, cui facit licentiam in ſua Parrochia audiendi confeſſiones, celebrandi ſacrum, & cætera eiuſmodi officia exercendi, non foret Simoniacus ex Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 8. Vgolin. *Tab.* 1. *de Simonia capit.* 36. §. 3. *numer.* 4. Suar. *lib. de Simonia cap.* 24. *num. vltim.* Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 45. quia reuera non vendit illam licentiam, aut aliquid ſpirituale, ſed ſolùm damnum temporale redimit, ſéque indemnem præſtat, habétque ius ad oblationes, aliáſque ſtipes fidelium in ſua Parrochia factas.

2 Qui denique emeret munus confeſſarij pretio, videlicet curaret audire confeſſionem Regis, aut Principis, Simoniacus foret, quia emeret delegationem Iuriſdictionis, quam ſtatim habet poſt electionem factam à Rege ex vi priuilegij Pontificij, aut ſi iam polleat ea Iuriſdictione, emit ſibi munus ſpirituale, & licentiam exercendi actum vndequaque ſpiritualem. Quod idem dicendum eſt de confeſſario exigente pecuniam, ſine qua non audiret pœnitentem Ita Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 5. §. 16. ex Raymundo, cui omnes alij conſentiunt. Idem dicendum eſt, quando datur pecunia pro auferenda peccatorum reſeruatione.

* *
*

CONSECTARIVM VII.

Licentiæ à Parrocho conceſſæ ſubditis ſunt materia Simoniæ.

Nonnunquam Parrochi ex cura Paſtorali, quam habent, faciunt aliquas licentias ſuis ſubditis, in ordine ad præceptorum Eccleſiaſticorum quorundam obſeruationem, aut potiùs excuſationem; non diſputo in præſentiarum, an hæ licentiæ dentur per verum, & proprium actum Iuriſdictionis, an potiùs per approbationem authenticam cauſæ excuſantis ab obſeruatione præcepti Eccleſiaſtici. Ita aliquando concedit colligere fruges in die feſto, aut aliquod eiuſmodi opus exercere, aut comedere cibos vetitos in die ieiunij. Si igitur has licentias pretio donet, Simoniacus eſt, nam ſi omnes actus procedunt à poteſtate ſpirituali, & ſunt actus proprij officij paſtoralis, quod eſt officium ſpirituale. Ita Ferdinand. *tract.* 13. *diſputat.* 3. *punct.* 12. Suar. *lib* 4. *cit. cap.* 19. *num.* 11. Filluc. *tractat.* 45. *cap.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 36. Bonac. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 16. *num.* 6.

CONSECTARIVM VIII.

Simoniacus eſt Parrochus, qui non aſſiſtit matrimonio, niſi pretio accepto.

Fateor quidem, hanc Parrochi aſſiſtentiam, neque eſſe actum Iuriſdictionis, neque adminiſtrationem Sacramenti, vti alibi diximus, ſed teſtimonium quoddam authenticum,

ticum, quod Eccleſia ad valorem talis contractus requirit; nihilominus quia hæc præſentia eſt actus quidam officij Parrochialis, cui illam alligauit Trident. ita vt ad valorem matrimonij Parrochus intereſſet, vel de eius licentia Sacerdos alius: vnde colligimus illum adeſſe matrimonio tanquam miniſtrum Eccleſiæ, & quodammodò authoritatiuè, qua in re differt ab aliis teſtibus, qui per modum nudorum, & ſimplicium teſtium requiruntur. Ideóque quamuis illi ſuum teſtimonium abſque Simonia vendere poſſint, non tamen parrochus, alioquin Simoniacus eſt. Ita Suar. Filluc. Bonac. *loc. cit.* aliíque docent.

Indéque etiam probatur, licentiam, quam Parrochus facit alteri ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio ſuo nomine, eſſe quoque materiam Simoniæ, ſicut & facultatem benedicendi ſponſos; an verò ſi velit pecuniam, quæ ſibi ex ſua præſentia obtingeret, ſibi reſtitui ab illo ſacerdote aſſiſtente, futurus ſit Simoniacus, dicam quæſt. 13. ſi enim eam reſtitutionem intendat vt pretium datæ licentiæ, Simonia eſt; ſi verò titulo tantùm lucri ceſſantis, Simonia non erit, an verò futura ſit aliqua alia noxa, diſputabimus eo loco.

CONSECTARIVM IX.

Indulgentiæ ſunt materia Simoniæ.

Ratio eſt, quia Indulgentiarum conceſſio pertinet ad ſupremam quandam Iuriſdictionem ſpiritualem, & in finem maximè ſpiritualem tendit. Deinde vēdi non poſſunt Indulgentiæ, quin Chriſti, & ſanctorum ſatisfactiones, quæ per ipſas applicantur, vendantur: quarè neque conceſſio Indulgentiarum, neque ipſarum applicatio, neque quidquam eorum, quæ ad eam adminiſtrationem proximè pertinent, vendi poterit. Nam quod aliquando aliqua largitio pecuniæ per modum pij operis imponatur ad lucrandam Indulgentiam, id non fit per modum pretij ipſius Indulgentiæ, vt patet. Itaque omnes, & ſinguli actus, qui à confeſſore fiunt, vt fauores, & Indulgentiæ Iubilæi à pænitentibus obtineantur, ſunt materia Simoniæ; quarè ſi vel pro commutandis votis, aut à reſeruatis abſolutione aliquid acciperet, Simoniacus foret; ſicut etiam, qui Imagines, Icunculas, grana benedicta, aliáve, quibus Indulgentia illigata eſt, cariùs ea de cauſa venderet. Hinc factum, vt quæſtores Eleemoſynarum per Indulgentiarum publicationem, prodito indice caſuum, à quibus, qui certam pecuniam ſolucrit, poſſit abſolui, & Indulgentiam lucrari, ſub excommunicatione ſibi reſeruata prohibuerit Pius V. *ſua conſtitutione* 99. atque ita quæſtuarias iſtas Indulgentias, ſiue à ſeipſo, ſiue à ſuis prædeceſſoribus conceſſas reuocauit, vt Barboſa, & alij ab ipſo laudati obſeruant *de poteſt. Epiſc. allegat.* 109. *num.* 22. Eaſdem quoque Indulgentias per Eleemoſynarum quæſtores publicari vetat Tridentin. *ſeſſ.* 21. *cap.* 9. *de reformat.* Eoſdem quoque quæſtores, ſiue quæſtuarios Eleemoſynarios, nullo modo per ſe, aut per alios prædicare permittit. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reformat. ſub fin.* qua de re plura habet Riccius *in praxi aurea*, *Reſolut.* 290. Nauarr. *de Indulgent. notab.* 31. *art.* 46. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 29. Rodrig. *qq. Regulari.*

tom.3. quæſt. 32. art.41. Iul. Lanoi. *de Indulgent. pa.2. cap.13.* immò ne nomen ipſum quæſtorum vſurpari voluêre Pontifices, & ideò dum facultatem faciunt, vt Eleemoſynarum collectæ pro aliquo hoſpitali indicantur, in ſuo reſcripto, cuius formam refert integram Barboſ. *in Collectan. Tridentin.ad ſeſſ. 21. cap.9. de reformat. num. 2.* volunt ſimpliciter nuncupari Eleemoſynarum Collectores, non quæſtores, & ipſos aut concionari, aut Indulgentias publicare prohibent. Aduerſus illos quoque multa decreuerant Concil. Lateran. & Lugdun. vti ipſum Tridentin. teſtatur in ſuo illo decreto *ſeſſ. 21. cap. 9.* adeò ab omni ſpecie Simoniæ, & turpis quæſtus ſemper abhorruit Eccleſia.

CONSECTARIVM X.

Omnis collatio Iuriſdictionis ſpiritualis Eccleſiaſticæ in foro externo eſt materia Simoniæ.

1 Ratio vniuerſaliſſima petitur ex eo, quod eiuſmodi collatio poteſtatis ſpiritualis Iuriſdictionis vendi nequeat, quin vendatur ipſamet Iuriſdictio, & poteſtas ſpiritualis; ſiue ea poteſtas nudè, & in ſe conferatur, vt fit in delegatione poteſtatis extraordinariæ, ſiue vnà cum aliquo beneficio, dignitate, & officio Eccleſiaſtico, cui eiuſmodi Iuriſdictio eſt alligata, vti philoſophabamur in noſtræ Regulæ confirmatione.

V: infra Vers. Tertio Vicaria

2 Hinc fit primo vt neque Vicarius Generalis, neque Iudex ſpiritualis Eccleſiaſticus ſiue ab Epiſcopo, ſiue à Capitulo pretio conſtitui poſſit; quod idem dicendum eſt de Capellano, aut Vicario Parrochi etiam ad nutum amouibili; quia reuera tunc ſpiritualis Iuriſdictio emitur, aut venditur. Idcircò *cap. Ad noſtram de Simon.* pro vicariis aſſignandis pecunia exigi prohibetur. *cap. 1. & 2. ne prelati ſuas vices.* Alexand. III. damnat prauam conſuetudinem conſtituendi Decanos, & Archidiaconos, qui Epiſcopalem Iuriſdictionem execerent, & Eccleſiaſticas cauſas terminarent certa quantitate pecuniæ, aut annuo pretio ab illis accepto. & *cap. 3. eod. tit.* ait enormem conſuetudinem contra SS. Patrum conſtitutiones innaluiſſe, ſub annuo pretio, ſacerdotes ad Eccleſiarum regimen ſtatuendi; quare tam aperto Iuri, & rationi nemo vnus reluctatur, quod enim obiici poſſet de Clericatu Cameræ, & Auditoriatu, quibus aliqua pars Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ competit, qui tamen in Curia vendantur, alibi diluetur, & non vendi Iuriſdionem Eccleſiaſticam, ſed emolumentum aliquod temporale, facilè oſtendetur.

Secundo vendi nequit Ius eligendi ad dignitates, & beneficia, quod etiam conſtat ex *cap. Matthæus de Simonia.* nec Ius confirmandi electionem, aut conferendi talia beneficia, aut inſtituendi in illis; quia cùm illud Ius pertineat ad Iuriſdictionem ſpiritualem, ipſum quoque ſpirituale eſt, atque adeò inuendibile; quare collatio talis Iuris non modò eſt actus ſpiritualis, ſed etiam collatio ipſius quodammodò poteſtatis, quæ nimirum annexa eſt beneficio illi, aut dignitati. 3

Tertio neque Capitulum, neque Prælati poſſunt quidpiam exigere pro collatione, inſtitutione, & poſſeſſione concedenda in pretium; quia hi omnes actus ſunt ſpirituales, & communicationes Iuris ſpiritualis, vti

vti dicemus diſputantes de Simonia beneficiali. An verò aliquid in ſuſtentationem, alióſve titulos capi poſſit, & an antiquæ conſuetudines ea in parte ſeruandæ ſint, dicam quæſt. 13.

CONSECTARIVM XI.

Diſpenſationes omnes in materia ſpirituali ſunt obiectum Simoniæ.

Hoc nomine intelligo omnes relaxationes votorum, eorúmque commutationes, Iuramentorum, Impedimentorum matrimonij, ipſiúſque matrimonij rati, & nondum conſummati, & in Irregularitate, atque legibus Eccleſiaſticis diſpenſationes, alióſve ſimiles actus, quos omnes, & ſingulos, ſi fiant exacto pretio, Simoniacos eſſe contendo: idque manifeſtè ſequitur ex noſtra Regula, quæ oſtendit omnes actus ſpiritualis Iuriſdictionis voluntariæ in foro interno, eſſe materiam Simoniæ: atqui ſinguli actus enumerati, eorúmque ſimiles, ſunt actus ſpiritualis Iuriſdictionis, cùm à nulla alia poteſtate procedere poſſint, quàm à ſupernaturali, quam Chriſtus Eccleſiæ communicauit; finem quoque habent ſpiritualem, quia & vincula conſcientiarum ſoluunt, & ad ſpiritualem vtilitatem tendunt. Itaque ex parte finis ſpirituales ſunt, quod per ſingulos actus iſtos diſcurrenti conſtabit. Quo verò Iure aliquid pro diſpenſationibus obtinendis ſæpiùs exigatur, dicam quæſt. 13.

CONSECTARIVM XII.

Impoſitio Cenſuræ, eiúſque abſolutio, Iudicium Eccleſiaſticum in cauſis ſpiritualibus; viſitatio item Eccleſiaſtica ſunt materia Simoniæ.

Ratio eſt, quia actus Iuriſdictionis ſpiritualis in foro externo, etiamſi contentioſa, & inuoluntaria ſit, conſtituit materiam Simoniæ, vti docet noſtra Regula: atqui hi tres actus enumerati pertinent ad Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vti ſpiritualis eſt, & non tantùm vt eſt eminenter politica, quia nulla planè poteſtas politica eos exercere poteſt, niſi ſit ſimul ſpiritualis. Et quidem quod attinet ad impoſitionem cenſuræ, eiúſque abſolutionem, id perſpicuum eſt ex natura huius pœnæ, & iis, quæ fusè diſputauimus tractat. de cenſur. Neque maior eſt difficultas circa Iudicium merè Eccleſiaſticum, & in cauſis, quæ ex natura ſua ad illud pertinent, vt cauſa hæreſis, Sacramentorum, aliíſque, prout diſputantes de Iudiciis in ſcientia canonica diximus, vbi cauſas varias diſtinximus; aliæ enim ſunt fori merè Eccleſiaſtici, ideóq; Innoc. III. *cap. cum ab omni. de vita, & honeſtate Clericor.* Iudices à ſe delegatos quidquam more ſæcularium Iudicum, qui decimam partis litium capiebant. *auth. de Iudic. §. ne autem, collat. 6.* exigere prohibet. Denique viſitationem Eccleſiaſticam eſſe actum Iuriſdictionis ſpiritualis, nemo negabit. Quare Innoc. IV. quidquam in viſitatione præter procurationem, eámque non in pecunia recipi prohibuit, quam

conſtitutionem deinde innouauit, & adiectis pœnis confirmauit Gregorius X. in Concil. Lugdun. & refertur *cap.* 1. *&* 2. *de cenſibus in* 6. quomodo autem iſta procuratio, & victualia, aliáque munera in hiſce actionibus recipi iure poſſint abſque Simonia, diſquiram quæſt. 13.

CONSECTARIVM XIII.

Iudicium Clericorum in materia merè politica, aliáque actus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in materia merè temporali, non ſunt obiectum Simoniæ.

Id ipſum habet vltima pars noſtræ Regulæ, eò quod iſti actus non ſint à poteſtate ſpirituali, niſi quatenus eſt eminenter politica; quare neque ratione principij, neque ratione finis, neque ratione materiæ ſunt ſupernaturales.

Quoties igitur Prælati habent Iuriſdictionem temporalem, æquè eius Iuriſdictionis varia officia vendere poſſunt, atque alij principes ſæculares; immò aduertit Ferdinand. *punct.* 12. *diſputat.* 3. *tractat.* 13. *num.* 8. ſi quæ politicæ leges eiuſmodi officiorum venditionem prohibeant, obligare tantùm temporales dominos, non autem Eccleſiaſticos circa ſuam Iuriſdictionem temporalem.

Facultas legitimandi ad honores temporales, aut ſucceſſionem in bonis paternis, quam interdum aliqui Prælati concedere poſſunt, non eſt materia Simoniæ. Ita Bonacin. *diſput.* 1. *de Simon. quæſt.* 4. §. 17. *numer.* 2. & alij.

QVÆSTIO IX.

De re materiali connexa cum ſpirituali.

Hactenus egimus de re ſpirituali quomodo & quatenus ſit materia Simoniæ. reſtat vt agamus de re materiali quæ per connexionem cum re ſpirituali aliquam ſpiritualitatẽ & ipſa participat. quærimus enim an ex illa participatione ſpiritualitatis fiat materia Simoniæ.

REGVLA VNIVERSALIS.

Materiale annexum conſequenter, vel concomitanter alicui ſpirituali, eſt materia Simoniæ.

CONFIRMATIO REGVLÆ.

Huius Regulæ ſententia perſpicua manet ex notatis in Expoſitione propoſitionis vniuerſalis, in qua continebatur. *quæſt.* 2. venio itaque ad eius Confirmationem. Et quidem materialia, quæ ſunt conſequenter annexa ſpiritualibus, eſſe materiam Simoniæ, manifeſtè tradunt S. Th. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. cui conſentit Victor. *Relect. de Simon.* 1. *pa. num.* 9. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 99. Angel. *ver. Simonia.* 1. *num.* 2. *&* 4. Tabien. *ver. eodem. num.* 7. Sylu. *num.* 1. Antonin. 2. *par. tit.* 1. *cap.* 5. §. 1. quatenus dicunt ea, quæ dependent à ſpiritualibus, eſſe materiam Simoniæ, & in eius definitione ſignificari per illas particulas annexum ſpirituali. Eadémque eſt mens Bonauent. *in* 4. *diſt.* 25. *dub.* 5. *circa literam.*

literam. Idémque omninò docent de iis, quæ ſunt annexa concomitanter, quotquot illud connexionis genus admiſerunt hoc loco: qui verò huius non meminêre, vt S. Th aliique, ea maxime de cauſa illud omiſerunt, quia cum ea connexio concomitans, ſit intima quædam coniunctio, & vnio, ac veluti permiſtio ſpiritualis cum materiali ad conficiendum vnum quid, non poſſunt ſeparari in ordine ad Simoniam, & venditionem, cùm vnum ſine altero vendi non poſſit, vti diximus in notatis. Itaque circa ea, quæ ſunt connexa ſpiritualibus tum conſequenter, tum maximè concomitanter, valet Regula tradita à Paſchali I. *cap.*18. *Decretorum.* & refertur *cap. ſi quis obiecerit.* 1. *quæſt.* 3. & multò fuſiùs ab Iuone, qui integrum illud decretum exſcripſit. 2. *par. cap.* 84. Si quis obiecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proueniunt. Nam cùm corporalis Eccleſiæ, aut Epiſcopus, aut Abbas tale aliquid ſine rebus corporalibus, aut exterioribus in nullo proficiat, ſicut neque anima ſine corpore corporaliter viuit; quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum haberi prouenit, neutrum vendere non derelinquit. In his verbis lego cum Devs dedit *par.* 2. cum corporalis Eccleſiæ Epiſcopus, non vt Gratianus, Iuo, cæterique collectores habent. Corporalis Eccleſia. vnde colligunt Canoniſtæ, res conſecratas, puta Calicem, altare, templum, & ſimilia, vendi non poſſe, quamdiu conſecrationem retinent, ſed vbi fracta ſunt, tunc enim materiam illam vendere licebit, qua de re inferiùs. Verùm manifeſtum eſt non agi hic niſi de Epiſcopatibus, Abbatiis, aliiſque dignitatibus, quæ cùm inſtituta ſint ad regendam corporalem Eccleſiam, indigent quibuſdam corporalibus ſibi annexis, ſicut anima ad plurima opera indiget corpore, tunc autem corporale vendi non poteſt, quin ſimul intelligatur vendi ſpirituale, à quo dependet, & in quo fundatur, vt in beneficiis ius percipiendi emolumenta corporalia, radicatur in iure adminiſtrandi ſpiritualis, vti ampliùs explicabimus quæſt. 16. quarè nomine conſecrationis, quam cum rebus conſecratis vendi affirmat Pontifex, intelligit interprete gloſſa tum ordinationem, tum cuiuſuis dignitatis ſpiritualis collationem, vt ex exemplis Epiſcopatus, & Abbatiæ, quæ ſubiicit, manifeſtum fit. Ita Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 14. *num.* 13. & ex illo Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 2. *num.* 4. Barboſ. *in collectan. ad iſtud cap. num.* 2. Quod ſi lubeat retinere vulgatam lectionem, exponendum erit illud, corporalis Eccleſia, & res conſecrata, formaliter, & reduplicatiuè vt Eccleſia quatenus Eccleſia, & Epiſcopatus formaliter vt ſic, & res conſecrata vendi nequeant. Ita Valentia. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 2. interpretatur.

Verùm quidquid ſit manet certiſſima illa Regula, quiſquis vendit vnum, quod ſine altero haberi nequit, & illud alterum ſimul neceſſariò vendit: atqui materiale, quod vel conſequenter, vel concomitanter annexum eſt ſpirituali, obtineri non poteſt ſine eo ſpirituali, cùm vel vnum quoddam cum eo conficiat, vel ab illo tanquam à ſua proxima radice, tum in eſſe, tum in conſeruari dependeat; ergò ſine illo ſpirituali vendi non poteſt, quamdiu illi

illi ita annexum fuerit, & donec ab inuicem diſtrahantur, quod in concomitanter annexis fieri nequit, vt vides in actione ſenſibili ſacrificandi, & Sacramentum aliquod conficiendi, & adminiſtrandi; in annexis autem conſequenter ea quidem ſeparatio poſſibilis eſt, ſed ab eo ſolùm, qui aliam radicem, & cauſam huius materialis, quam ſpirituale illud, quod habebat, aſſignare poterit, v. gr. ius percipiendi commoda temporalia, quod reperitur in beneficiis, & eſt annexum conſequenter ſpirituali, quia conſequitur ad ius ſpirituale miniſterij Eccleſiaſtici, quod ſpirituale eſt, curandi v. gr. paſcendique animas, poteſt ſeparari ab eo ſpirituali, quia Ius percipiendi ea emolumenta, poteſt conferri alio titulo, quàm beneficij; aut Iuris adminiſtrationis ſpiritualis, ab eo, qui cùm ſit ſupremus bonorum Eccleſiaſticorum œconomus, ac diſpenſator, poteſt ea bona conferre variis de cauſis, & titulis, iiſque temporalibus, & non tantùm propter ſola Iura ſpiritualia adminiſtrationis ſpiritualis. Cæterùm quamdiu non fit ea diſtractio temporalis à ſpirituali, cui eſt conſequenter annexum, ſiue à quo tanquam à ſua proxima, immediata, & totali cauſa dependet, non poterit conferri vtiliter, quin ſimul conferatur illa radix ſpiritualis, ex qua naſcitur, ac proinde neque vendi, niſi vendatur ſimul illud ſpirituale, ad quod conſequitur. Quodſi connexio ſit concomitans, tantàque vnio, & quodammodo permiſtio ſpiritualis cum materiali, vt nulla vi ſeparari queant, vti dicebam contingere in actionibus Sacramentalibus, neceſſariò vendito materiali, venditur ſpirituale. Ex quibus tandem manet, omne materiale, quod vel concomitanter, vel conſequenter annexum eſt ſpirituali eſſe materiam Simoniæ, quod docebat noſtra Regula, quæ exemplis in conſectariis afferendis illuſtrabitur.

QVÆSTIO X.

CONSECTARIA

Ex ſuperiori Regula.

CONſect. I. An Beneficia ſint materia Simoniæ.

Conſect. II. Labor intrinſecè coniunctus actioni ſacræ, & ſpirituali eſt materia Simoniæ.

Conſect. III. Soluuntur Caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

CONSECTARIVM I.

An beneficia ſint materia Simoniæ.

Reſpond. Beneficia eſſe conſequenter annexa rebus ſpiritualibus, atque adeò ex Regula à nobis proximè poſita erunt materia Simoniæ, ſicut & alia omnia, quæ ad eorundem beneficiorum acquiſitionem pertinent. Verùm quia in explicanda huiuſce Simoniæ natura diſſident authores, & plures, eæque frequentiores difficultates in hac parte ſolent occurrere, quæſtiones plures inferius in huiuſmodi controuerſiis explicandis non inutiliter impendemus.

CONSECTARIVM II.

Labor intrinſecè coniunctus actioni ſacræ, & ſpirituali eſt materia Simoniæ.

Non hic ago de ſtipendio, quod datur Eccleſiæ miniſtris in vitæ ſuſtentationem, illud enim reuerà non eſt pretium operis ſpiritualis quod exercent, ſed alio longè titulo exhibetur, vti fusè dicam inferius. difficultas igitur eſt, an labor corporalis, qui in actionibus ſacris reperitur, poſſit vendi pretio temporali abſque Simonia, quod nego, ſi de labore intrinſecè, & per ſe coniuncto cum actione ſpirituali loquamur.

Obſeruandum enim eſt, laborem quendam eſſe intimè coniunctum cum actione externa, & opere, quod per ipſam fit, eò quòd per ſe neceſſarius ſit ad talem actionem, & opus, prout ab hominibus ſolent exerceri. Eiuſmodi eſt labor, qui in baptiſando, ſacrificando, recitandis horis Canonicis, aliiſque ſacris miniſteriis per ſe impenditur, præcisè ratione obiecti, qui vnus ſemper, & idem eſt, cùm ſit eadem actio externa, idemque opus, quod per ipſam fit, & denique idem miniſterium, à quocúnque, & vbicúnque exerceatur. Alius quidam labor eſt per accidens coniunctus ſacro miniſterio, nimirum ille, ſine quo tale miniſterium fieri poteſt, & qui tantùm ex variis circumſtantiis, quæ tunc occurrunt, deſumitur, ſi v. gr. ad faciendum ſacrum, expectanda eſt certa quædam hora, aut remotius templum adeundum, aut propter nobilem concionem futuram ſtudendum inſolita quadam contentione, hunc laborem vocat antecedenter coniunctum Aragoni. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. quia ferè ſolet antecedere ipſam actionem ſacram, vt etiam dixit Rodriq. *tom.* 2. *ſum. cap.*60. *conc.* 5. & ideò non coniungitur neceſſariò, & per ſe cum illa, quæ ſolet moraliter ab hominibus exerceri ſine tali labore; quem idcircò vocant ſeparabilem ab actione ſacra, à qua alius eſt inſeparabilis, quod intelligendum eſt de ſeparabilitate, aut inſeparabilitate ab actionibus ſacris prout communiter, & poſita inſtitutione, ordinéque præſcripto ab Eccleſia ſolent exerceri; alioquin enim vix vllus eſt labor, qui nequeat ab eiuſmodi actione ſeparari: ſecluſo enim Eccleſiæ præcepto poſſet celebrari Miſſa, conſecrando duntaxat, & conſumendo vtramque ſpeciem, omnibus aliis præciſis, quod totum quàm breuiſſimo tempore, & minimo ſanè labore fieret, atque ita labor, qui impenditur in faciendo ſacro ex ritu Eccleſiaſtico, diceretur coniunctus per accidens cum actione ſacrificandi, quod nullus aſſeruerit, loquimur enim de actionibus ſacris prout fieri ſolitæ ſunt, & laborem, qui in ipſis impenditur, eſtque intimus illis actionibus attenta ratione obiecti, vocamus neceſſariò, & per ſe coniunctum; illum autem qui ſumitur ex variis circumſtantiis, & accidentibus ſiue perſonæ operantis, ſiue poſcentis tale opus, ſiue loci, aut modi extraordinarij dicimus eſſe coniunctum duntaxat per accidens, & extrinſecum tali actioni ſacræ.

Aſſerit igitur noſtrum conſectarium, laborem per ſe, & intimè coniunctum actioni ſacræ modo explicato, eſſe inuendibilem. Ita Durand. *in* 4. *diſt.* 25. Paludan. *ibid.* 2

quaſt. vltim. Altiſſiodorcenſ. tract. de Simon. contra Cancellari. Pariſienſ. vbi dixit, nullum antiquorum docuiſſe contrarium. Panormit. *in cap. ſuam de Simonia.* vbi reuocat, quæ dixerat *in cap. ſignificatum. de prabendis*, ſequutus gloſſam ibid. arguit Ioann. Andream, qui dixerat pro labore adminiſtrandi Sacramenta quidpiam capi poſſe. Innnoc. & Hoſtienſ. *in cap. 3. ne Prælati vices ſuas.* S.Thom. 2.2. *quaſt.*100. *art.* 2. & Aragoni. *ibid. con.* 1. Soto. *lib.* 9. *de Iuſtitia. quaſt.* 6. *artic.* 1. Caietan. *ver. Simonia.* Victoria. *Relect. de Simonia. num.* 29. Sylu. *ver. Simonia.* §. 5. Gutierr. *lib.*1. *qq. Canoni. cap.*29. *num.*12. Rodriq. *tom* 2. *ſum. cap.* 60. *con.* 5. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *par.* 2. *quaſt.* 6. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 21. *num.* 7. Sanch. *lib.* 2. *Conſilio. cap.* 3. *dub.* 10. Laym. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. numer.* 41. Leſſi. *lib.* 2. *capit.* 35. *dub.* 8. Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 37. *diffic.* 9. Ferdinand. à Caſtro. *tractat.* 13. *diſput.* 3. *punc.* 11. de Lugo. *diſput.* 21. *de Sacramento Eucha. ſect.* 1. *num.* 11. Filluc. *tractat.* 45. *cap.* 4. *num.* 45. Reginald. *lib.* 23. *num.* 139. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. & 102. Bonac. *diſput. de Simon. quaſt.* 6. *punct.* 3. Binsfeld. *in tit. de Simon. in cap.* 42. *quaſt.* 1. *conc.* 3. Aliique paſſim recentiores contra plures veteres, quos refert, & ſequitur Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 1. nempe Bonau. Richard. Armaca. quibus adde Maio. *in* 4. *d.* 25. *quaſt.* 6. Angel. *v. Simon.* 2. *num.* 6. vbi Innoc. Hoſtienſ. & Goffredum adducit, qui fortaſſis intelligi rectè poſſent vel de labore externo, vel de ſtipendio, & ſuſtentatione; quæ pro miniſterio ſpirituali accipi poteſt.

Ratio porrò noſtri conſectarij eſt euidens, quæ enim connectuntur concomitanter ſpiritualibus, ea conſtituunt Simoniam, vti noſtra Regula probauit, atqui labor, de quo agimus, concomitanter actioni, & operi ſacro connectitur, quandoquidem vnum aliquid cum actione ſacra efficit, eſt igitur materia Simoniæ; eóque recidunt aliæ omnes rationes, quas huius ſententiæ DD. tradunt, aut non ſatis firmæ ſunt; cùm enim labor ex natura ſua vendibilis ſit, non poteſt eſſe vlla alia ratio propter quam inuendibilis ſit in hiſce actionibus ſpiritualibus, quàm quia ita coniungitur cum illis, vt vnum quid cum illis efficiat, atque adeò ſpiritualitatem ex ea coniunctione ita recipiat, vt ſi vendatur, neceſſariò, & illud ſpirituale, quod conficit, vendi dicatur. Neque aliud voluerunt, qui cauſam huiuſce Simoniæ petebant ex inſeparabilitate laboris, & rei ſpiritualis, non enim de ſeparabilitate phyſica loquuntur; nam ea reciproca non eſt, & ex parte vtriuſque extremi, cùm labor iſte poſſit eſſe ſine opere ſacro, vt ſi quis nondum ſacerdos ſacrificandi ritum diſcat, aut reuerà ſacrificare ſe fingat, & omnes eius actiones externas faciat; non ſufficit autem inſeparabilitas ex parte vnius tantùm extremi ad conſtituendam Simoniam, quia ipſa reperitur in iis, quæ ſunt antecedenter connexa, ſicut enim non poteſt celebrari Miſſa ſine aliquo labore; ita non poteſt eſſe vlla benedictio, vel conſecratio ſine oleo, aqua, aliáve re, quæ ſit ſubiectum benedictionis, & conſecrationis eiuſmodi. Si igitur conſecratio accedens Calici, aut oleo, non reddit illa inuendibilia, neque ſpiritualitas, quæ coniungitur cum labore actionis ſacræ faciet illum inuendi

inuendibilem: hæc igitur inſeparabilitas actionis ſacræ, & laboris cum ea neceſſariò coniuncti ſumenda eſt in ordine ad æſtimationem, & venditionem, quod videlicet labor ille non æſtimetur niſi ratione operis ſacri, in quo exercendo laboratur, & propter intimam coniunctionem, atque modum connexionis cum ipſo nequeat vendi, quin & ipſa ſimul actio ſacra vendatur, vti oſtendimus in Confirmatione noſtræ Regulæ, quod non contingit in aliis, quæ ſunt tantùm antecedenter annexa; & ſanè quis emat, aut locet alterius laborem niſi quia vult opus, quod per eum fit, & idcircò labor æſtimatur, quia conducit ad opus; quod vnum attenditur, & labor nunquam per ſe, & ſeorſum æſtimatur, ſed in ipſo opere, quod etiam facit magis, aut minùs æſtimabile: ſicut gemma, quæ æſtimatur ratione alicuius aut inſiti ſplendoris, aut natiuæ virtutis, & cum illa virtute ita venditur, vt neque virtus ſine gemma, cui illigata eſt, neque gemma ſine illa ſua virtute vendatur, quamuis ea virtus gemmam pretioſam reddat. Quoties igitur venditur labor operis, venditur ipſum opus, & quoties illud inuendibile erit, & gratis omninò exhibendum; toties inuendibilis quoque erit labor, quo fit tale opus: quæ omnia in communi æſtimatione certiſſima ſunt; neque enim aliquis accipit pretium vnum pro contractu, & aliud pro labore contrahendi, & nunquam omninò committeretur Simonia, quia nunquam pretium actionis ſacræ daretur, ſed tantum pro labore illi coniuncto; ſicut etiam non daretur aliquid pro mutuo, & vi mutui, ſed pro labore mutuandi; atque ita de cæteris.

Dico ſecundo laborem extrinſecè, antecedenter, & per accidens tantùm coniunctum actioni ſacræ, quia naſcitur ex alio opere tunc occurrente, eſſe vendibilem. Ita DD. ſuperiùs laudati. Ratio eſt euidens, quia labor ille ex ſeſe æſtimabilis eſt, & nullam accipit ſpiritualitatem ex coniunctione accidentaria cum opere ſacro; ergo manet ſemper æſtimabilis humano pretio; Minor, in qua tota eſt difficultas, probatur, quia opus externum, ex quo proximè naſcitur hic labor, eſt aliquid temporale, & per coniunctionem accidentariam cum opere ſpirituali non fit ſpirituale, cùm ea coniunctio ſit ſolùm aut ſimultanea exiſtentia, aut aliquid aliud eiuſmodi, ex quo nullus intrinſecus ordo, aut connexio, qualis neceſſaria eſt inter ea quæ ſuas proprietates inuicem ſibi communicant, naſcitur; Ergo non facit laborem, quem cauſat, aut cuius effectus eſt, ſpiritualem; neque vendito eiuſmodi labore, neceſſariò venditur ſpiritualitas operis, aut opus ipſum ſpirituale, cui per accidens connectitur iſte labor, quæ tamen erat vnica ratio, propter quam aſſerebamus laborem intrinſecè, & per ſe coniunctum operi ſacro conſtituere materiam Simoniæ. 5

CONSECTARIVM III.

Soluuntur Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

Ex hac communi, certaque doctrina ſequitur primo non poſſe accipi mercedem à faciente ſacrum pro labore, qui in attenta recitatione verborum atque externis cærimoniis decenter faciendis occurrit, quia ille labor eſt intrinſecè coniunctus 1

huic miniſterio ſacro; quod idem dices de baptiſante, aut aliud quodpiam ſacrum officium præſtante.

Secundo cantores, & Muſici, atque organis ludentes inter diuina officia pretium ſui laboris abſque Simonia capiunt. Ita Suar. Leſſi. Valent. Sanch. & Bonac. locis citat. quia cantûs ſuauitas,& modus ille arte compoſitus, qui ab ipſis exigitur, non coniungitur per ſe cum diuinis officiis.

Tertio quoties in opere ſacro adhibetur magna aliqua, & inſolens contentio, quæ non requiritur,vt fiat communiter tale opus,non erit Simonia, ſi extraordinarius ille labor compenſetur pretio temporali.

Quarto quoties ex conditione perſonæ creſcit labor, & moleſtia, toties illa compenſari poterit, quia v. gr. aliquis præ ſenectute, aut inualetudine plus moleſtiæ, & negotij ſubit in faciendo ſacro, aut celebrandis diuinis officiis, pro extraordinario eo labore quidpiam poſtulare poterit. Ita Bonacin. *quæſt. 6. cit. punct. 3. num. 5.* contra Suar. & Fill. luc locis cit. quia etiam labor, qui creſcit ratione ſubiecti operantis, per accidens eſt ratione operis,atque adeò non accipit ſpiritualitatem ex ea coniunctione cum opere ſacro, cùm illa coniunctio ſit tantùm per accidens.

2 Dices cum Durand. *in 4. diſt. 25. quæſt. 3. num. 10.* eum qui ex infirmitate plus laborat in colenda, aut fodenda vinea, non maiorem mercedem capere, quàm alium valentiorem, qui facilè laborauit; vnde colligit Suar. difficultatem, quæ ex parte operantis deſumitur, non augere, aut minuere valorem, & æſtimationem operis, cuius vna dignitas, aut vtilitas attenditur, labórque, qui per ſe, & ratione obiecti præcisè requiritur,ac proinde cùm labor iſte non attendatur in operibus etiam profanis, multò minus in opere ſacro æſtimabilis,& vendibilis erit aliquo pretio.

Reſpond. primo nos iam habere ex aduerſariis, hunc laborem ex conditione operantis præcisè deſumptum, non eſſe vendibilem, quia non attenditur in communi hominum æſtimatione, non autem quod per coniunctionem cum opere ſacro, fiat ſacer, & ſpiritualis; inde verò ſequitur tantùm, venditionem huius laboris fore iniuſtam, non autem Simoniacam, quod vnum modò quærimus.

Secundo falſum eſt, nunquam æſtimari laborem, & facilitatem, aut difficultatem quæ procedit ex conditione operantis, nam reuera cùm vnus labor ſit alio maior, magis quoque in ſe ſpectatus æſtimabilis eſt, quia tamen vulgò ſola vtilitas operis conſideratur, illáque eadem eſt ſiue facilè, ſiue difficulter, ſiue magno, ſiue exiguo labore præſtitum fuerit, vt contingit in exemplo foſſionis vineæ, quam afferebat Durand. ideircò qui in fodienda vinea plus laborauit, non accipit ampliorem mercedem diurnam, quàm alius; ſi tamen omnes omninò circumſtantiæ, ex quibus poteſt creſcere valor operis, attenderentur, reuerà creſceret ex maiore labore operantis, ex eiúſque nobilitate; quod ſæpiùs videmus in artefactis, nam quæ ſunt à nobiliori artifice, pluris æſtimantur, etiamſi excellentius elaborata non ſint. Et ne dicas ex nobilitate artificis deriuari nobilitatem aliquam in opus quod idcircò magis æſtimatur, nos verò agere præcisè

præciſè de labore ex parte operantis, ex quo, ſiue maior, ſiue minor ſit, non creſcit, aut minuitur valor operis, ſi illud talem laborem per ſe, & ratione ſui obiecti non poſtulet, ſitque idem omninò artifex; nam etiam ſæpiùs iidem artifices eundem laborem cariùs vendunt, ſi enim aut debiles euaſerint, neque laborare poſſint ea facilitate, aut contentione, qua aliàs; aut nolint, iam ditiores facti, pluris æſtimant ſuum laborem, quàm aliàs; quidni igitur Sacerdos, qui aut præ ſenectute, aut alia de cauſa difficilius ſacris operatur, ſuam illam moleſtiam, qua carere poſſet, æſtimare poſſit, & aliquid pro ea exigere, ſi velis illum ipſum ſacra facere, quandoquidem exceſſus ille laboris, pro quo pretium capit, eſt per accidens coniunctus operi ſacro. Qua ratione excuſati poterunt, qui vt certi cuiuſdam ſacerdotis Miſſam audiant, maius ſtipendium dabunt; quamquam de ſtipendio longè alia ratio ſit, neque de eo nos modò agimus. Non nego tamen, difficillimum eſſe in praxi, vendere exceſſum laboris, & moleſtiæ ferendæ in ſacris operibus præſtandis, quoties ea moleſtia, & labor oritur præciſè ex conditione operantis, quin periculum ſit incurrendæ Simoniæ.

3 Quinto concionator committit Simoniam, qui ex eo, quod magna contentione laterum, & vocis concionetur, aut pro labore, quem in paranda concione ſuſtulit, pretium acciperet. Ita Suar. Filluc. Sanch. contra Bonacin. *punct. 3. cit. num 6.* quia difficillimum eſt diſtinguere opus ſacrum hoc loco à labore ipſi per accidens coniuncto; quoties enim labor non oritur ex alio quodam opere coniuncto cum opere ſacro, reuerà facit moraliter vnum quid cum illo opere, & ipſi, vt dixi, coniungitur concomitanter. v.g. Concio magna contentione pronuntiata differt quidem ab ea, quæ languidior, aut moderatior fuit, illa tamen contentio non eſt aliquid diſtinctum ab ipſa Concione eo modo facta: ſi tamen eſſet adhibendum extraordinarium quoddam ſtudium, aut inſolita quædam contentio propter nobilitatem, aut frequentiam Concionis, inſolitus ille labor compenſari iure poſſet.

Sexto Simonia eſt, accipere pretium pro dicenda Miſſa, alta voce, aut canendis horis Canonicis contra Bonacin. quia tota illa actio prout ita fit, eſt ſacra, & vt iam monui, totus iſte labor eſt pars illius, alioquin Clerici præbendati ad miniſterium Chori poſſent pretium accipere pro ſuo cantu, & opera, quod ad multam noctem vigilare teneantur, aut de nocte, vel ſummo mane ſurgere, quod nemo dixerit; etſi enim pro his laboribus ſtipendia ſua capere poſſint, non tamen eos diuendere. Poſſent quoque Diaconi, & Subdiaconi ſua miniſteria diuendere, quia vix hodie illa exercent niſi canendo Euangelium, aut Epiſtolam; id tamen nemo conceſſerit.

Septimo Sacerdos, qui pro itinere ſuſcipiendo ad faciendum certo loco ſacrum, aut expectanda certa hora, pretium accipiet, non erit Simoniacus ex communi DD. ſententia; quia hæc omnia onera ſunt extrinſecùs coniuncta operi ſacro, & ex natura ſua pretio æſtimabilia.

Octauo Simonia non eſt, accipere pretium pro excubiis agendis ad cadauer defuncti, ſiue de die, ſiue de nocte recitando pſalterium. Valeri. Reginald. *lib. 23. numer. 119.*

quia hæ excubiæ ſunt onus æſtimabile, & cum recitatione pſalterij per accidens connexæ. Idem docet Sanchez *dub.* 10. *cir.* de eo, qui ad pernoctandum cum ægro inuitatur.

Nono qui obligat ſe ad certo die, & hora faciendum ſacrum, poteſt pro ea obligatione ſumere pretium, atque ita locare ſuas operas. Sanchez *ibid.* Bonac. & alij, verùm hoc pertinet ad contractum locationis, de eo quæremus, an in rebus ſpiritualibus poſſibilis ſit. quæſt. 14.

QVÆSTIO XI.

De materiali antecedenter connexo cum ſpirituali.

HOc eſt vltimum genus connexionis rei materialis cum ſpirituali quare quærendum ſupereſt an ſicut connexione concomitanti, & conſequenti materialis ex ſpirituali ſit materia Simoniæ, idem quoque contingat in connexione duntaxat antecedenti, pono igitur hanc regulam.

REGVLA VNIVERSALIS.

Materiale connexum antecedenter ſpirituali, non eſt materia Simoniæ, niſi admodùm impropriè talis per Eccleſiaſticam prohibitionem conſtituatur.

CONFIRMATIO REGVLÆ.

Prima pars huius Regulæ probata manet ex ſuperiori; ſicut enim materiale ſit materia Simoniæ, quando propter connexionem, quam habet cum ſpirituali, vendi non poteſt, quin vendatur ſpirituale: ita quando ex aliqua connexione materialis cum ſpirituali, non ſequitur, vendito materiali vendi neceſſariò ſpirituale, tale materiale manet ex natura ſua vendibile, & non eſt materia Simoniæ, niſi vendatur formaliter, & reduplicatiuè, quatenus eam connexionem cum ſpirituali habet: atqui quod eſt antecedenter duntaxat connexum cum ſpirituali, vendi poteſt ſpecificatiuè ſumptum abſque eo quod vendatur ſpirituale, quia vti ſignificauimus in notatis, hæc materialia præſupponuntur à ſpiritualibus, quæ ipſis adueniunt, & ſecundùm ſuam naturam tum phyſicam, tum artificialem immutata prorſus manet; ſunt igitur eadem ratione æſtimabilia, ſicuti anteà fuerant; neque neceſſariò ita trahunt ſpirituale, quod ipſis acceſſit, vt in ipſorum æſtimatione ſpiritualitas illa neceſſariò comprehendatur, niſi formaliter, & expreſsè ea includatur, & vendi, aut emi intendatur; quod in vaſis, & veſtibus ſacris explicabimus inferiùs, ſatis enim in præſentiarum eſt, ſi doctrinam vniuerſalem tradamus, quam amplectuntur illi omnes, qui calices ſacros, aliáque eiuſque vendi licitè poſſe docent, quos ſuo loco dabimus conſect. 2.

Altera pars Regulæ erat, hanc nihilominus venditionem materialis antecedenter cum ſpirituali connexi poſſe prohiberi ab Eccleſia ob reuerentiam ſacrorum, quod nemo negat, factúmque ſæpiùs fuiſſe conſtabit in conſectariis. Tunc autem hæc materialia erunt materia Simoniæ Eccleſiaſticæ, non naturalis, ſiue ex Iure naturali, & diuino malæ, & ſublata ea prohibitione deſinet tum Simonia omnis in ea venditione, tum eius malitia, quæ intrinſe

trinſeca non eſt tali venditioni, & ex obiecto, quod venditur, illud enim vendibile prorsùs eſt, & tantum inuendibile fit ex prohibitione, quæ intrinſeca eſt actioni, eiúſque obiecto, & tolli poteſt; ea verò ſublata, ceſſat vnà omnis malitia ex ea proueniens. Itáque ſi quæ ſit hoc loco Simonia, non eſt intrinſecè mala, neque prohibetur ab Eccleſia, ab eáque plectitur, quia mala eſt; ſed mala eſt, quia prohibetur, & non eſt niſi Simonia quædam ſimilitudinaria, quamuis ſit vera Irreligioſitas, & ſacrilegium, vt diximus aliàs.

QVÆSTIO XII.

CONSECTARIA

Ex ſuperiori Regula.

Conſect. I. Materiæ remotæ Sacramentorum, & Sacramentalium non ſunt materia Simoniæ.

Conſect. II. An veſtes, vaſa ſacra, altaria, & templa vendi poſſint.

Conſect. III. An vaſa ſacra pretio locari poſſint.

Conſect. IV. An Agni Cerei, Reliquiæ, & Imagines ſint materia Simoniæ.

Conſect. V. An primogenitura olim coniuncta ſacerdotio foret materia Simoniæ.

Conſect. VI. An ſepultura ſit Simoniæ materia.

Conſect. VII. Soluuntur Caſus ſingulares.

Conſect. VIII. An teſtimonium, & patrocinium in Iudicio merè ſpirituali, & Eccleſiaſtico vendi poſſint.

CONSECTARIVM I.

Materiæ remotæ Sacramentorum, & Sacramentalium non ſunt materia Simoniæ.

Dixi materiam Remotam, quia cum materia proxima ſit ipſamet actio Sacramentalis, ablutio v. gr. Chriſmatis, certum eſt, non magis vendi poſſe eiuſmodi actiones, quàm ipſummet Sacramentum. Quæſtio igitur eſt de materia, ex qua deinde fit Sacramentum, cuiuſmodi eſt aqua in baptiſmo, oleum in extrema vnctione, panis in Euchariſtia. Quæ materia iterum conſiderari poteſt vel antecedenter ad Sacramentum, quod nondum conficiunt, vt oleum, & aqua antequam ſint actu materia Sacramenti; vel vt ſunt iam Sacramenti pars, ſiue vt alij loquuntur, ſubſunt vſui Sacramentorum, & actionibus, ac miniſteriis ſacris. Et quidem iſtæ omnes materiæ antecedenter ad omnem ſacrum vſum emi poſſunt, etiam in ordine ad vſum ſacrum, aut ad conficiendum Sacramentum; Ita emi poteſt aqua ad baptiſandum, oleum, & balſamum ad conficiendum Chriſma, & oleum infirmorum, panis, & vinum ad conſecrationem Euchariſtiæ; quæ omnia multò veriora ſunt in Sacramentalibus. Tota itaque difficultas eſt de illa materia, quando iam actu manet pars Sacramenti, vt aqua baptiſmi, aut aqua benedicta, oleum extremæ vnctionis, ita vt poſſit accipi pretium pro aqua, aut oleo, quod aliquis impendit in vngendo infirmo, aut baptiſando. Hæc autem quæſtio non habet locum in Euchariſtia, quia etſi panis non

non manet in ipſa niſi ſecundùm accidentia, non poſſet tamen vendi, ex quo iam facta eſt Eucharistia, & cuius accidentia remanent.

Dico autem hæc omnia non eſſe materiam Simoniæ propriè dictæ, & diuino, naturalíque Iure prohibitæ, modò non vendantur quatenùs iam conſecrata ſunt, aut partes Sacramentorum, ſiue rerum ſacrarum. Ita venditionem Chriſmatis, & olei ſecluſa prohibitione Eccleſiaſtica, & ſcandalo, propter ſuſpicionem Simoniæ, aut obligationem ratione officij illa gratis ſuppeditandi licitum fore tradidit Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 37. §. 3. *numer.* 3. Sotus *lib.* 9. *quæſt.* 6. *artic.* 1. Laym. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 34. atque in vniuerſum res conſecratas vendi poſſe, modò in illa venditione nulla habeatur ratio conſecrationis, ſed res illæ ſpectentur ſecundum ſe, & ſecundùm ſuam æſtimationem naturalem tradunt Caietan. *ver. Simonia Regula* 1. Durand. Paludan. Antonin. Syluest. Redoan. quos ſequitur, & refert Suar. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 6. conſentaneè menti S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 4. *ad* 1. 2. *&* 3. *& in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *artic.* 2. *quæſt.* 3. ſequuntur deinde communiter recentiores contra veteres Canoniſtas proximo conſectario adducendos. Ratio reddita à nobis eſt in noſtra Regula, quæ enim ſunt antecedenter annexa ſpiritualibus, non amittunt ſuam æſtimabilitatem, & vendibilitatem, eo quod ex illa connexione non ſequatur neceſſariò vendi ſpirituale vendito temporali antecedenter tantum annexo: atqui materia Sacramentorum, & Sacramentalium omnium eſt tantùm annexa antecedenter rebus ſpiritualibus; ergò manet omninò vendibilis abſque labe Simoniæ, niſi ratione ſpiritualis annexi pretium augeatur, ſiue hæc omnia ſpecificatiuè ſumpta, non autem reduplicatiuè, & quatenùs ſpiritualibus annexa ſunt, vendibilia manent.

Dices primo pluribus Iuribus prohiberi, ne quid accipiatur pro Chriſmate, in Concil. enim Turonenſ. *cap.* 6. Alexand. III. id ſtatuit, & refertur *cap. Non ſatis, de Simonia.* idémque ſcribens Archidiaconis per Angliam conſtitutis, vti *in notis ad cap.* 15. *tit. de Simon. in* 1. *Collectio.* ſcribendum eſſe exiſtimat Antonin. Auguſtin. & refertur illud decretum *cap. Ea quæ, eod. tit.* damnat morem exigendi ab Eccleſiis Cathedralium, ſiue Paſchalem præſtationem, ſiue conſuetudinem Epiſcopalem, vti appellabant pro Chriſmate. Innocent. autem III. mandat Cantuarienſi Archiepiſcopo, & refertur *cap. In tantum, de Simonia*, vt ſuffraganeos ſuos corrigat, qui vt eluderent legem Eccleſiaſticam, media quadrageſima capiebant, quod poſt Paſcha accipere ſoliti erant, & quos denarios Chriſmales primò vocauerant, deinde Paſchales, tum conſuetudinem nuncupabant; cùm tamen mutatio nominis ſubſtantiam contractus non mutet, vti ibid. obſeruant interpretes ex Lactant. *lib.* 5. *cap.* 5. & ex *l. ſi quis fundi vocabulo. ff. de legatis.* & præterea *cap. ad noſtram. de Simon.* quod eſt Alexand. III. ad Herefordienſem Archidiacon. vti refertur *in cap.* 3. *Collectionis* 2. prauam eandem conſuetudinem exigendi Denarium Chriſmatis, quam exactionem quandóque conſuetudinem Epiſcopalem, quandóque Synodalia, quandóque denarios

narios Paſchales nominarent, pluribus damnat. Præiuerat Innocent. II. in Romana Synodo, vti refertur 1. *quæſt. 3. c. vlt.* Bracarenſ. quoque II. *cap.* 4. conſuetudo exigendi tremiſſem pro modico balſami, quod benedictum pro Sacramento baptiſmi per Eccleſias datur, tanquam Simoniaca reiicitur. Quibus omnibus locis venditio Chriſmatis, hoc eſt, balſami oleo permixti, & conſecrati, antea enim Chriſma non eſt, Simoniaca eſſe dicitur, vt benè aduertunt Felin. & Cardinal. contra Panormit. Ioan. Andr. & Anton. de Butrio, & quoſdam alios Canoniſtas, qui hos liquores etiam ante conſecrationem, eò quod rebus ſacris deſtinentur, vendi poſſe videntur negaſſe, ſed malè omninò.

3 Reſpond. primo in aliquot ex Iuribus allatis agi de ipſa Chriſmatione, & vnctione, vt in *c. 6.* Conc. Turon. ſub Alexan. III. quod loquitur de Chriſmatis perceptione, hæc autem actio eſt Sacramentalis.

Reſpond. ſecundo Iura, quæ de ipſo Chriſmate, & oleo manifeſtè agunt, venditionem illam prohibere ad vitandam omnem Simoniæ ſuſpicionem, quod Alexand. III. in Epiſtola ad Archidiacon. Angliæ, ex qua deſumptum fuit *cap. Ea quæ. de Simonia.* expreſſis verbis teſtatur, ſic enim habet in ea decretali, quæ ferè integra refertur *in* 1. *Collect. eod. tit. cap.* 15. Ea, quæ de Auaritiæ, & Cupiditatis radice procedunt, & in ſpeciem Simoniacæ prauitatis erumpunt, penitùs extirpanda ſunt, & quæ de tribulis, & ſpinis procedunt, falce Apoſtolici moderaminis reſecanda ſunt. Audiuimus autem, quod nummos pro Chriſmate, &c. Cùm autem ex proœmio conſtitutionis Principis mentem coniicere liceat, vti in Scientia canonica dictum à nobis fuit, apparet hac prohibitione vetuiſſe Pontificem omnem ſpeciem Simoniæ, vnde non colligitur in eiuſmodi venditione, ſecluſa ea prohitione eſſe aliquam malitiam Simoniæ, aut aliam noxam committi ſecluſo ſcandalo, & lege, quæ gratis has materias ab Epiſcopis ſuppeditari mandauit.

Reſpond. tertio ex his iuribus, quomodocunque illa interpreteris, nihil aliud colligi poſſe, quàm venditionem Chriſmatis eſſe materiam Simoniæ Eccleſiaſticæ, quæ analoga tantùm eſt, & ſimilitudinaria.

CONSECTARIVM II.

An veſtes, vaſa ſacra, altaria, & templa vendi poſſint.

Communis quidem veterum Canoniſtarum opinio fuit, res materiales conſecratas, quamdiu conſecratæ ſunt, vendi minime poſſe; idcircò quando aliqua eiuſmodi ſunt, vt conſecrationem amittere nequeant, vt liquores conſecrati, aqua benedicta, oleum, & Chriſma, omninò eſſe inuendibilia: quando verò conſecratio ab illis aliqua ratione tolli poteſt, eam, priuſquam licitè vendantur, tollendam eſſe; atque ita hæc ſacra non eſſe vendibilia, niſi remotè, quatenus nimirum abiecta ſanctitate iterum prophana reddi poſſunt; quarè confringendos eſſe calices, aliáque vaſa ſacra, diſſuendas eſſe veſtes ſacras, altaria, & templa diruenda; ſic enim amiſſa ſanctitate, & iam prophana facta abſque Simoniæ labe vendentur. Ratio eſt, quia quamdiu hæc omnia ſacra ſunt, 1

non poſſunt impendi, niſi in vſus ſacros, illa itaque vendere, eſt vſum rei ſacræ vendere, quod omninò Simoniacum eſt.

2 Verùm cùm ſuperiori conſectario ſolidè docuerimus ex vniuerſali Regula firmiùs ſtabilita, ipſos etiam liquores ſacros, à quibus inſeparabilis eſt ſanctitas ipſis per conſecrationem aduenìens, eſſe vendibiles abſque Simonia vera, & propriè dicta; idem multò potiori iure dicendum erit de veſtibus, vaſis, altaribus, & templis, quibus non videtur ita coniungi ſanctitas per conſecrationem, vt ſeparari nunquam inuicem poſſint; quia hæc omnia ſunt antecedenter connexa ſpiritualibus, & illa connexione non amittunt æſtimabilitatem, quam priùs habebant, neque ex ipſorum venditione ſequitur neceſſariò ſimul vendi conſecrationem, aut aliquid ſacrum, vt ſacrum eſt reduplicatiuè, ſicuti contingit in iis, quæ ſunt vel concomitanter, vel conſequenter connexa ſpiritualibus, vti oſtendebamus quæſt. 8. quod confirmatur ex ipſo vſu, & praxi communi: neque æſtimatur aut calix, aut veſtis, aut templum, quia conſecrata ſunt; ſed ratione materiæ, ex qua conſtant, & artis, qua perfecta ſunt; inde enim creſcit, aut minuitur pretium, non autem ratione conſecrationis, ita vt pluris vendatur calix conſecratus, quàm ſi non fuiſſet conſecratus, tunc enim eſſe Simoniam vltrò fatemur; neque fortaſſis à nobis diſſident veteres Canoniſtæ, nam inter perſonas Eccleſiaſticas fatentur vendi poſſe Calices ſacros, quando autem venduntur Laicis, priùs confringendos eſſe. Quod tamen falſum eſſet, quia ſi vendito Calice ſacro neceſſariò venditur vſus ſacer, aut ſanctitas illius, æquè Simoniaca erit illa venditio, ſi fiat inter perſonas Eccleſiaſticas, atque ſi fiat inter Laicos, cùm vtrobique vendatur vſus ſacer rei ſacræ. Ratio igitur, propter quam voluerunt confringi hæc vaſa dum venduntur Laicis, non eſt ad vitandam Simoniam, ſed aliud ſacrilegium, ne videlicet à Laicis contrectentur, atque in vſus etiam prophanos vſurpentur; Idcircò Ambroſi. *lib.* 2. *offic. capit.* 28. dum ad redemptionem captiuorum, & pauperum ſubleuationem vendi poſſe probat, vult in primis diſtrahi noua vaſa, & nequaquam initiata, quod ſi hæc deſint, etiam initiata comminui & vendi. Quia, inquit, opus eſt, vt de Eccleſia myſtici poculi forma non exeat, ne ad vſus nefarios ſacri Calicis miniſterium transferatur. Vult itaque, vt optimè interpretatur gloſſa *in cap. aurum.* 12. *quæſt.* 2. *ver. Myſtici formam Calicis*, in quo myſticum poculum ſanguinis Chriſti conficitur, priùs corrumpi, quàm vendatur Calix, ne deinde prophanis vſibus inſeruiat; vbi tamen nulla timetur, vti vides, Simoniæ labes, ſed ſacrilegium indignæ contrectationis, & prophani vsûs, quod de veſtibus Eccleſiaſticis edixit Stephan. Epiſt. ad Hilari. *cap.* 3. & de Vaſis Sixtus *Epiſt.* 2.

CONSECTARIVM III.

An vaſa ſacra pretio locari poſſint.

1 Soto *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 6. *art.* 1. exiſtimat Calicem ſacrum locari poſſe, quia illa locatio antecedit vſum ſacrum ipſius, idemque affirmat

mat Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. *num.* 12. quia non videtur eſſe diſcrimen inter venditionem, & locationem, poteſt autem vendi Calix ſacer, quamuis non niſi ad vſum ſacrum ematur. Deinde vaſa & veſtes vſu conſumuntur, pro eo igitur damno quid locari prohibebit; neque enim datur pretium pro vſu ſacro, vt ſacer eſt, ſed pro ipſius materiæ, ſeu vaſis, aut veſtis conſumptione, ſicut locantur aulæa, aliáve ornamenta ad vſum Eccleſiarum in ſacris cærimoniis; & quò iſta vaſa, aut veſtes pretioſiores ſunt, & faciliùs ipſo vſu deteruntur; aut in ipſis conficiendis, parandis, aptandiſque plus impenditur operæ, & ſumptuum, eò magis creſcet pretium locationis.

2 Et ſanè ſi agatur de veſtibus, & aliis rebus ſacris, quæ deteruntur ipſo vſu, non abnuo locationem eſſe licitam, cum Vgolin. *de Simon. tab.* 1. *cap.* 44. §. 1. *num.* 3. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 14. *num.* 25. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 3. *num.* 28. In Calice autem, & vaſis, in quibus niſi benè longo vſu vix poteſt contingere vlla valoris diminutio, neganda erit ea locatio; quia cùm in locatione reuerà vendatur vſus rei locatæ, retento eius dominio, non apparet, vnde vſus Calicis ſit æſtimabilis, & ratione cuius vendi poſſit, cùm ſit duntaxat ſacer, & ex illo nihil omninò Calix deterior fiat. Neque enim dices, Parrochum abſque Simonia exigere poſſe pretium, vt tibi permittat in ſua Eccleſia ſacrum celebrare; neque dices ipſum locare vſum ſui altaris, aut templi; nequit etiam, qui cuſtodit hæc vaſa & veſtes, exigere pretium eò quòd promat pretioſiores calices, aut veſtes, niſi quatenus, vt dixi, in iis parandis, concinnandíſque plura impendit; in quibus tamen omnibus cauenda eſt omnis turpis negotiatio, & ſuſpicio infamis quæſtus vitanda.

CONSECTARIVM IV.

An Agni Cerei, Reliquiæ, & Imagines ſint materia Simoniæ.

Reſpond. primo quod attinet ad agnos cereos, ipſos ratione materiæ æquè vendibiles eſſe, atque Calicem, aliáque vaſa ſacra, eóſque Romæ paſſim vendi, & emi à viris timoratis, teſtantur Suar. *lib. de Simon. cap.* 14. *num.* 10. & Filluc. *tractat.* 45. *cap.* 5. *num.* 25. neque rectè obiicitur conſtitutio Gregorij XIII. edita ann. 1572. quæ incipit. *Omni certè ſtudio.* Nam prohibet primo Pontifex, eiuſmodi agnos è cera à Papa benedictos, minio, aut colore inficere, aut notare ſub pæna Excommunicationis. Obſeruat tamen Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 43. *num.* 28. vbi iam depicti ſunt, non peccari contra hanc conſtitutionem, neque incurri Excommunicationem, ſi ita infecti, & nimiati aſſeruentur, quia non iubentur deſtrui, & nihil in tota illa conſtitutione legitur, quod eam aſſeruationem vetet. ſecundo iubet, ne venales proponantur, ſeu teneantur; id tamen non niſi de venditione Simoniaca intelligendum eſt, quæ fit aut ratione benedictionis, aut quod plus materiæ, & expenſæ in eis conficiendis, aut Romá in alias prouincias conuehendis, cùm nihil prorsùs ſit in ea conſtitutione, quod de omni alia venditione loqui Pontificem ſignificet, vti obſeruarunt Sanch. *loc. cit. num.* 29. & Scortia *in conſtitut.* 1

tur. Pontific. Theorem. 33. contra *Azor.* 1. *par. lib.* 9 *cap.*9. *quaeſt.*4.

2 Secundo Reliquiarum venditio prohibetur *cap. fin. de Reliquiis*, *&* *venerat. ſanctor.* ab Innocent. III. in Concil. Lateranenſ. ſic enim habet, Nec exponantur venales, quod decretum nouiſſimè confirmauit Trident. *ſeſſ.* 25. *in decreto de Inuocat. venerat. & Reliq. ſanctor.* In Reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus, inquit, eliminetur. Et ſanè in hac venditione manifeſtiſſimam committi Simoniam patet ex eo, quod reliquiæ non aliunde ſunt æſtimabiles, quam relatione ad ſanctam animam, & quia membra hominis ſancti fuerunt, & templum Spiritûs ſancti aliquando conſtituerunt, & poſt reſurrectionem denuò conſtituent; vnde numerari non debent inter ea, quæ ſunt antecedenter annexa rebus ſpiritualibus, cùm ipſæ ſint in ſe ſpectatæ aliquid ſpirituale eodem modo, quo Sacramentales actiones, etiamſi materiales, aut ſenſibiles ſint, dicuntur nihilominus per ſe, & non per ſolam connexionem ſpirituales; ſi tamen Reliquiæ aut ab infidelibus redimendæ eſſent, aut ratione capſarum, quibus includuntur, venderentur, ea venditio, & redemptio licita foret, vti iam ſæpè monuimus. Eadem ratione nequit augeri pretium Roſarij, eò quod Reliquiarum contactu conſecratum quodammodò fuerit.

Sed quæſtio eſt, an ſi Reliquiæ exponantur videndæ, & adorandæ causâ quæſtus, & Eleemoſynarum, committatur Simonia, & violentur ſuperiora decreta. Et quod attinet ad prohibitionem Eccleſiaſticam, illam, ad eiuſmodi expoſitionem extendunt Suar. *lib. de Simon. cap.* 14. *num.* 24. Filluci *tract.* 45. *cap.* 3. *quaeſt.* 12. Bonacin. *diſput. de Simon. quaeſt.* 4. *numer.* 8. Quanquam hic agat de oſtenſione, quæ fiat pro pretio, quomodo etiam alij omnes, niſi fallor, ſunt intelligendi; eam autem vt vere Simoniacam prohiberi, cùm ſit quædam venditio, non diffitemur; ſed illa longè alia eſt ab ea, quæ fit cauſa quæſtus, quamuis alioquin fortaſſis turpis, quia ille vnus intenditur, non pietas, aut diuinus cultus: neque enim idcircò quæſtus ille pretium eſt oſtenſionis Reliquiarum, ſed finis illius duntaxat. Quæritur igitur, an quando eo tantùm fine lucrandi plures Eleemoſynas, exponuntur Reliquiæ, vera Simonia incurratur, quamuis nullum pactum initum fuerit. Ita docent plures Canoniſtæ *in cap. fina. de Reliquiis*, *& veneratione SS.* Panormit. *notab.* 1. Ioan. Andr. *num.* 2. Antoni. de Butrio. *num.* 4. Cardin. & Anchar. *num.* 1. atque ex ſummiſtis *ver. Reliquia.* Angel. ipſo initio. Syluest. *quaeſt.* 1. Armilla, & Tabiena. *num.* 1. Vgolin. *de Simon. tab.* 1. *cap.* 38. *ſub fin.* Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 8. *quaeſt.* 7. Graſſi. 2. *par. deciſion. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. Ex quibus tamen aliqui id limitant, quando finis principalis huius oſtenſionis eſt quæſtus, & Eleemoſynæ; ſi enim ſit minùs principalis finis, tunc negant committi Simoniam, & violari Lateran. aut Trid. conſtitutionem. Ita Ioan. Andr. Anton. Card. Anchar. Armilla, & Tabiena, quibus accedit Nauarr. *capit.* 17. *num.* 169. & Philiar. *tom.* 1. *de offic. ſacerdot. par.* 2. *lib.* 3. *capit.* 9. *ad finem.*

Rectiùs tamen Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 43. *num.* 22. negat hic vllam eſſe Simoniam, quando nullum intercedit pactum, ex quo pretium

pretium detur pro ea expoſitione, falſúmque eſt committi Simoniam, quoties in re, aut ex re aliqua ſpirituali intenditur tanquam finis principalis, lucrum temporale, niſi intendatur tanquam pretium rei ſpiritualis, niſi enim pretij ratio intercedat, neque venditio, neque emptio fingi poteſt, vti ampliùs explicabimus duabus proximis quæſtionibus. Neque ſanè in communi hominum ſenſu Eleemoſynas ex Reliquiarum oſtenſione quærere, eſt illlas aut pretio æſtimare, aut vendere; Immò iſte finis principalis Eleemoſynarum vix fuerit mortalis, quia eſt tantùm culpa prauæ ordinationis ad finem: ea autem quando finis non eſt mortalis, non habet niſi malitiam venialem, vti docet Caietanus 2. 2. *quæſtion.* 148. *artic.* 2. & Sanchez *libr.* 1. *in Decalogum capit.* 3. *numero* 1.

Tertio de Imaginibus nulla poteſt relinqui dubitatio, cùm non vendantur niſi ratione materiei, aut artis, ſi enim venderentur cariùs eò quod eſſent ſacræ, quia verbi gratia repræſentarent perſonam ſacram, & non profanam, aut imago Virginis pluris æſtimaretur, quàm ſancti Franciſci eò quòd Maioris ſanctitatis ſit Virgo, quàm quilibet alius ſanctus, venderetur ſanè id quod ſacrum eſt in Imagine, & committeretur Simonia.

CONSECTARIVM V.

An primogenitura olim coniuncta Sacerdotio foret materia Simoniæ.

1 Primogenituram habuiſſe quondam præcipuo quodam iure ſibi annexum Sacerdotium malè dubitauit Caietan. *in cap.* 25. *Geneſ.* & Oleaſter omninò negauit, cùm Hieronym. *Epiſt.* 126. *ad Euagri.* de Melchiſedechi, quem eundem cum Semo, Noë primogenito facit, ſacerdotio diſputans; Et *in lib. tradit. Hebraic. ad cap.* 14. *Geneſ.* de eodem Melchiſedecho agens. *cap. autem* 55. *de Eſau.* locupletiſſimus teſtis ſit huius antiquæ traditionis, vt & Clem. Roman. *in conſtit. Apoſt.* Chryſoſt. *hom.* 31. *in ad Hebræ.* & Auguſtin. *in pſalm. quæſt.* 46. quam etiam latè confirmat Pereri. *in cap.* 25. *Geneſ. diſput.* 8. & Tiraquell. *de Iure primogen. in præfati. num.* 17. & 18. Gloſſa *in cap. Quàm periculoſum.* 7. *quæſt.* 1. *ver. Primatus.* tria primogenitis priuilegia aſſignat, quod nimrum in feſtis ſacrificarent, ad patris dexteram ſederent, & cibos duplicatos reciperent. Gloſſam ſequuntur Cardin. Antonin. Archidiac. Alexand. & alij *in illud cap.* ſicut & Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panormit. & cæteri *in C. licet. de voto.* qui addunt primogenitos habuiſſe veſtem quandam ſpecialem, vel vt alij legunt, ſpiritualem, quam in ſacrificiis tantùm induerent. Quærimus igitur, an hæc primogenitura vendi potuerit abſque Simonia propter annexum illi ſacerdotium. Negat S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 3 dum Eſaü vendentem primogenita ſua vult aliquid ſpirituale vendidiſſe, licet excuſet Iacob, quod vexationem redimeret. Caietanus, Aragon. aliíque diſcipuli Magiſtrum ſequuntur. Idem docuit antiquus Canoniſta Gandulfus relatus à gloſſa *in cap. Quàm periculoſum*, & pluribus contendit Turrectem. *in idem cap. artic.* 5. Salian. anno Mundi 2232. & Corneliùs à Lapide *in caput*

pit. 12. ad Heb. v. 16. & in c. 25. Geneſ.

2 Nobis dicendum eſt, primogenituram eo tempore non fuiſſe materiam Simoniæ, niſi venderetur præciſè ratione ſacerdotij coniuncti, aut propter eam coniunctionem cariùs venderetur. Quod omninò ſentiunt plures interpretes, qui Eſaü negant fuiſſe Simoniacum cum Lippoma. *Geneſ. 25.* Hugone, Archidiac. & aliis *in cap. Quàm periculoſum. citatum*, quibus omninò fauet Gloſſa, quandoquidem Gandulpho in eo Eſaü facto Simoniam agnoſcenti obiicit *cap. Qui ſtudet. 1. quaſt. 1.* vbi Giezi dicitur primus Simoniacus, inde enim videtur tacitè colligere, Eſaü talem non fuiſſe. Et quamuis reuera in eo capite, quod ex Nazianzen. mendosè citat Gratian. quodque apud Tharaſium Conſtantinopolit. *in Epiſt. ad Adrian. Roma.* reperitur, non dicatur Giezi primus Simoniacus, ſed eius exemplo oſtendatur duntaxat, etiam in veteri teſtamento crimen iſtud fuiſſe damnatum, ſatis tamen Gloſſa indicat ſuam mentem, cùm aduersùs Gandulfum obiicit Giezi fuiſſe primum Simoniacum, non autem Eſau, vti contendebat Gandulfus, quamuis eam in rem falsò alleget *cap. Qui ſtudet.*

Huic authoritati accedit euidentiſſima ratio ex noſtra Regula vniuerſali, primogenitura enim erat tunc antecedenter connexa cum ſacerdotio, quod illi Iure humano, & inſtitutione accedebat, ſicut & plurima alia priuilegia, de quibus Tiraq. in ea præfatione, aliíque fuſiùs diſputant; Cùm igitur materialia, quibus accedunt ſpiritualia, non amittant per eam connexionem æſtimabilitatem, ſi quam ex ſe habent, eò quòd ipſis venditis non vendatur neceſſario ſpirituale ipſis annexum, vt conſtat ex venditione fundi, cui inſertum eſt Ius patronatûs, quod ex communi DD. vendi poſſe dicemus quæſt. 18. reuerà primogenitura æſtimari, atque vendi potuit, abſque eo quod ſacerdotium ipſi connexum ſiue diuino, ſiue humano tantùm Iure, æſtimaretur, & venderetur, nullus porrò dubitat, quin primogenituræ Ius æſtimabile ſit ex ſe, atque adeò cedi, transferri, vendi, & præſcribi poſſe docet Tiraq. *quaſt. 27. 28. 29.*

Facilè igitur Iacob excuſatur à Simonia emendo primogenita, cùm ne ipſe quidem Eſaü hoc peccato peccauerit, niſi habuerit intentionem vendendi Ius ſpirituale; de qua intentione nobis nihil conſtat, alioquin ſi Simoniacum faciamus Eſaü vendentem primogenita ſua, eiuſdem criminis reum eſſe Iacob ea ementem fateri cogimur, neque ea, quæ in eius defenſionem à S. Tho. eiúſque commentatore Caietano, quem ad verbum exſcripſit Aragonius, afferuntur, culpam iſtam abſtergere poſſunt; nimirum Iacob voluiſſe ab iniuſto poſſeſſore recuperare ius ſuum, id enim à Rebecca didicerat; Itaque obtuliſſe iniuſto detentori aliquid vt ipſum inuitaret ad reddendum quod debebat, & quod alioquin nunquam redditurus erat. Verùm nunquam docebit Caietan. Eſaü retinendo primogenituram iniuſtè vexaſſe Iacob, immò neque Iacob habuiſſe adhuc Ius in re, ſed tantùm in rem: Non primum, quia Eſau naturali titulo & ex conſenſu patris ius illud poſſidebat; neque illi conſtabat ſe ex diuina deſtinatione iam iam eo iure priuatum fuiſſe, atque obligari ex Iuſtitia illud cedere fratri ſuo; non

iniuſtè

iniuſtè igitur quidquam detinebat Iacobo, quem proinde neque vexabat retinendo ſuam primogenituram: Non benè porrò augurabatur Caietan. Eſau licet diuinum conſilium de transferenda primogenitura in Iacobum ſciuiſſet, non obtemperaturum, ſed ſibi obſtinate retenturum, nam neque futurus ille animus Eſaü prudenter coniici poteſt; neque reddere illum iam noxium, niſi actu eam voluntatem haberet. Debuit igitur primùm Iacob docere fratrem de Iure ſuo, atque ab eo rem ſibi debitam repetere, antequam queri poſſet, ſe ab eo iniuſtè vexari, neque Eſaü tenebatur credere, ſe excidiſſe primogenitura ſiue fratri, ſiue parentibus id affirmantibus, niſi euidentiſſimis argumentis ſuam aſſertionem confirmarent. Ex quibus vlteriùs ſequitur, Iacobum, dum ſibi vendi petiit primogenita, petiiſſe ab Eſaü actionem intrinſecè malam, & quæ ab eo benè, & licitè fieri nequibat, quandoquidem eam venditionem fuiſſe intrinſecè Simoniacam contendunt aduerſarij, ac proinde peccaſſe; non enim licet ab alio poſtulare vnquam actionem ita intrinſece malam, vt nulla ratione honeſtari poſſit, & quæ non ſit turpis, & mala duntaxat ex malitia operantis. Addebam nondum id temporis habuiſſe Ius in re, ac proinde nondum dominium, ſiue proprietatem primogenituræ acquiſiuiſſe; illa enim verba dicta Rebeccæ grauidæ, & eodem vtero duos iſtos fratres ferenti Maior ſeruiet minori, continebant promiſſionem duntaxat de futuro, neque per illam minor frater ius acquirebat, & dominium in maiorem, illúdque tantùm habuit per actualem tranſlationem primogenituræ, quæ tum hac venditione iuchoata fuit, tum patris morituri benedictione perfecta. Non peccauit igitur Iacob peccato Simoniæ, quia neque illius reus fuit Eſaü, quamuis tum peccati gulæ illum damnet Gregori. *lib.* 3. *morali. cap.* 27. Auguſt. 16. *de Ciuit. cap.* 3. Chryſoſt. Theophil. aliique *in cap.* 12. *ad Hebræ.* tum etiam prodigalitatis vt qui cum re viliſſima Ius nobiliſſimum commutârit; accuſant ipſum PP. à Lippomano *in Caten. ad cap.* 25. *Geneſ.* Irreligioſitatis. denique Paul. eum profanum vocat eo quod rem etiam coniunctam cum re ſpirituali contempſiſſet, vt *Geneſ.* 25. dicitur. Vox autem Græca qua vtitur Paul. conculcatorem ſonat vti aduertit Elias Creten̄ſ. *in orat.* 1. *Nazianz.* agens de pane polluto apud *Malach.* 1. βίβηλα enim ſiue prophana, quæ omnibus conculcanda ſunt expoſita ἀπὸ τοῦ βηλοῦ pauimento. nihili igitur fecit ſua primogenita Eſaü, eaque conculcauit.

CONSECTARIVM VI.

An ſepultura ſit materia Simoniæ.

Non ago de funere, & exequiis, quæ interdum nomine ſepulturæ Eccleſiaſticæ ſignificantur; in his enim committi Simoniam diximus in conſectariis ex Regula quæſt. 4. deductis, cùm orationes, ſacrificium, & diuina officia contineant; ideóque aliquid exigi pro exequiis mortuorum, & ſepultura, prohibetur *cap. Non ſatis. cap. ſuam. cap. Audiuimus. & cap. ad Apoſtolicam. de Simonia.* Quæſtio igitur eſt de Iure ſepeliendi, & loco ſepulturæ; an in iſtis vẽdendis committatur Simonia.

1 Obſeruandum porrò eſt, ſepulturam ſemper ſacram, & Religioſam habitam fuiſſe; Nam primo apud ipſos etiam gentiles, ſepulchra ſacra, ſancta, & Religioſa fuiſſe, ideóque eorum violatores vti ſacrilegos punitos apud Græcos, Romanos, aliáſque gentes, fuſiùs docet eruditiſſimus Spondan. *lib.* 1. *de cæmeter. ſacris.* 1. *par. cap.* 9. Et quidem ſanctitatem, & conſecrationem ſepulchrorum teſtantur paſſim omnes; inde enim lex antiqua apud Ciceron. *lib.* 2. *de legib.* Deorum manium Iura ſancta ſunto. qui idem Tulli. *lib.* 4. *de Republ.* apud Non. *ver. ſanctitudo.* dixit ſanctitudinem ſepulturæ Iure Pontificio ſubſiſtere. Et *in Philipp.* 9. ſanctitatem ſepulchrorum in ipſo ſolo eſſe, quod nulla vi moueri, neque deleri poſſit, atque vt cætera extinguuntur, ſic ſepulchra fieri ſanctiora vetuſtate. Et Martial. *lib.* 9. *Epigram* 31. dixit ſanctam vrnam. Catull. *carm.* 7. *ad Lesb.* ſepulchra ſacra. Seneca *in Troade. act.* 3. tumulum ſacrum, ſacram ſedem. Quintilian. *declamat.* 10. ſacratos morte lapides: quia nimirum ſepulchra Diis manibus data, dicatáque & ab omni profano vſu ſeiuncta, atque ab iniuriis hominum, ſanctionibus, & legibus tuta erant, quæ ſunt propriæ ſignificationes ſancti, ſacri, vti videbis apud Feſtum in harum vocum explicatione. Macrobi. *lib.* 3. *Saturnali. cap.* 3. & *in l. ſanctum.* 8. & *l. ſacra.* 9. *ff. de rerum diuiſione.* Religioſa quoque fuiſſe ſepulchra fatentur omnes Iuris interpretes, ideóque Vlpian. *l.* 1. §. 6. *ff. de mortuo inferendo*, dixit intereſſe Religionis, monumenta extrui, & exornari; & conceſſam donationem ſepulturæ cauſa, religioni dicatam eſſe. *l. ſi ſponſus.* 5. §. *conceſſa.* 8. *ff. de donation. inter virum, & vxorem*; reſcripſitque Gordian. Imp. *l.* 1. *C. de ſepulc. violat.* ſepulchrorum violatores incidere in crimen læſæ Religionis. Appellabant autem veteres locum Religioſum, vel quia in eo aliquid facere non liceret, quod ſi fieret, aduerſus Deorum voluntatem fieret: vel vt ex Maſurio Sabino refert Gell. *lib.* 4. *cap.* 9. & ex Seruilio Sulpitio Macrob. *lib.* 3. *ſaturnal. cap.* 3. religioſum, id eſt, quod propter ſanctitatem aliquam remotum, ac ſepoſitum à nobis eſt, à relinquendo dictum, ideóque Deorum templa, ac delubra à Cicerone Religioſa dicta eſſe, quia videlicet propter maieſtatem & ſanctitatem reuerenda, ac reformidanda magis ſunt, quàm inuulganda. Et à Virgilio. *Æn.* 8. lucum Religione ſacrum, qui quod Syluano agrorum pecorúmque DEO, ſacratus eſſet, à populi communione ſecretus erat. Sic Statius dixit, ſepulchrum, venerabile marmor.

Non fiebat autem locus Religioſus ſtatim atque deſtinabatur ſepulturæ, in eóque etiam extructum ſepulchrum fuerat, ſed adhuc purus dicebatur; immò neque ſola corporis illatione *l. ſi quis.* 40. *ff. de Religioſ.* ſed glebæ mixtione, quæ ſolutis iuſtis ter à ſacerdote publico fiebat, & tunc, vt ait Cicero *lib.* 2. *de Legib.* & corpus humatum dicebatur, & ſepulchrum vocabatur, ac multa Religioſa iura complectebatur. Atque hæc ſepultura dicebatur Iuſta *l. diui fratres* 39. *ff. de Religioſ.* & Perpetua *l.* 3. §. 4. *de ſepul. violat.* & *l. ſi necdum. C. de Religioſ.* quia ita humabatur corpus, vt non eſſet amplius inde tranſferendum. Si enim deponeretur tantùm ad aliquod tempus, alibi deinde opportunius conden

condendum, dicebatur commendari. *l. Etſi quis. §. impenſa. ff. de Religioſ.* hanc eſſe veram huius vocis acceptionem illo loco obſeruat Eruditus Cuiaci. *lib. 2. obſeruat. cap.* 17. reiectis aliis, qui illud ad nænias, & præficarum laudationes referebant malè omninò, cùm illis non corpus & cadauer mortui, verùm vir ante defunctus commendaretur, & ineptè impenſa commendationis coniuncta eſſet impenſæ cuſtodiæ. Alij autem legi voluerunt, commundandum, pro commendandum, vt apud Columell. *lib. 2. cap.* 18. & *in l. argumento. §. ornamentorum. ff. de aur. & argent. legat.* ſolebant enim corpora lauare, & pollincere, ex quo pollinctorum aliqua erat inſtituta negotiatio *l. 5. §. idem ait. ff. de inſtito. act.* ſenſus itaque illius legis erit, quidquid ad cadauer cuſtodiendum, conſeruandum, commūdandum, erogatum ſit, ad funeris cauſam referri, ſed quamuis ſubtilis ſit iſta coniectura, nihil tamen ad mutandam lectionem antiquam cogimur, commendari enim corpus tumulo, eſt ad tempus duntaxat deponi, alibi deinde humandum, quæ ſignificatio vocis huius etiam à noſtris ſcriptoribus vſurpata fuiſſe reperitur; Concil. enim Valentin. Hiſpan. *cap.* 4. de funere Epiſcopi, quod à vicino Epiſcopo celebrari deberet, agens. *in loco conditum ſeorſim non ſtatim humetur, ſed honorificè commendetur, donec ſine mora, inuitato vndique Pontifice, ſacerdotis corpus ab ipſo* (vt conderet) *ſolemniter tumuletur.* Illa verò temporaria tumulatione, & commendatione non fiebat locus religioſus, ſed manebat purus, atque profanus, hoc eſt, neque ſacer, neque ſanctus, neque Religioſus; ſic enim purum locum definit Vlpian. *l. 2. §. purus. D. de Religioſ.* & *l. vltim. D. de mortuo inferendo. Monumentum in quo Reliquiæ hominis conditæ ſunt, perfici poſſe concedit, ſi tamen locus Religioſus iam factus ſit, Pontifex explorare debet, quatenus ſalua Religione deſiderio reficiendi operis medendum ſit.* Itaque vides, non omne monumentum, in quo cadauer conditum ſit, ſtatim fieri Religioſum locum, niſi videlicet iuſta, & perpetua fuerit ea ſepultura.

Apud Chriſtianos verò non minor ſemper habita fuit ſepulchrorum ſanctitas, & Religio; Nam primo in locis ſacris, Eccleſiis nimirum, aut ſub altari, aut prope SS. & Martyrum corpora, ſepeliendi mos antiquiſſimus fuit.

Obiicies Canonem Concilij Vaſenſis, vti citat Gratian. 13. *quæſt.* 2. *C. præcipiendum*, aut potiùs Nannetenſis, in quo *cap.* 6. reperitur, & ex quo quoque adducunt Burchar. *lib. 3. cap.* 159. & Iuo *par.* 3. *cap.* 122. Sic igitur edicunt PP. *prohibendum etiam ſecundum Maiorum inſtituta, vt in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Eccleſiæ. Infra Eccleſiam verò, aut prope altare, vbi corpus Domini, & ſanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam ſepeliendi.* Bracaren. item prima Synod. *cap.* 18. aliàs 36. ſancit, vt corpora defunctorum nullo modo in baſilica ſanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, deforis circa murum baſilicæ. Loaiſa autem in notis ad hanc eamdem Synodum teſtatur, ſe hæc eadem verba inter decreta Pelagij II. Pontificis reperiſſe in M. S. Codice Bibliothecæ ſancti Laurentij.

Reſpond. in primis, nullam reperiri

periri prohibitionem eiuſmodi ante Vaſenſia Concilia,quorum vltimum celebratum fuit ſub Decio Iuniore anno 500. Fælicis IV. ann. 4. & Athalarici Regis Italiæ 4. ex Sirmundo in ſua editione, vel vt colligere ſibi videtur Binius ex Cæſario Arelatenſi, qui ipſi ſubſcripſit ann. 524. atqui ante ea tempora viguiſſe morem ſepeliendi in Eccleſiis, & memoriis Martyrum, eúmque ad Gregorium vſque perſeueraſſe nemo dubitat, cùm ex antiquis omnibus ſcriptoribus, ipſóque Gregorio *lib.* 4. *dialog. cap.* 53. id habeatur. Non potuerunt igitur PP. Vaſenſes hæc definire, ſecundùm inſtituta maiorum. vti dicunt. Deinde in nullo Vaſenſi Concilio iſta leguntur; fuere enim tria. primum ſub Conſtantio Imperat. & Nectario Viennenſi, in quo, vti teſtatur Ado in Chroni.trium diuinarum perſonarum conſubſtantialitas confirmata fuit. ſecundum Dioſcoro conſule an. 441. Leonis Pontificis III. & Theodoſij XXXV. tertium Decio Iuniore conſule, vti diximus. Horum autem omnium conciliorum Canones ita confuſi ſunt, vt neſcias, quos ſingulis vindices; Nam can.4. Concilij I. Vaſenſ. citatur in Concil. II. Arelatenſ. *cap.* 28. cùm tamen Concilium illud Arelatenſe priùs celebratum fuerit, nempe ann. 1. Syluestri, Christi ſcilicet 314. vide de hac Canonum confuſione Baron. an Christi cit num.50. & an. 525.num. 17. quamuis igitur prohibitio ſepeliendi in Eccleſiis in aliquo horum Conciliorum Vaſenſium legeretur, nihil tamen inde certò colligi poſſet.

Reſpondeo ſecundo poſterioribus temporibus alicubi reuocatam, alibi verò limitatam fuiſſe eam facultatem ſepeliendi in Eccleſiis; quia enim ex illa ſepultura nonnulli abuſus ſuccreuerant, ita vt minui videretur honos ſactis Martyribus debitus, PP. noluerunt id omnibus indiſcriminatim concedi, eáque cauſa fuit, cur Bracarenſe primum ann. 562. ſub Theodomiro Sueuorum Rege. Ioan. III. ann. 4. ſepulturam iſtam intra Eccleſiam prohibuerit; ſi enim non licebat ex antiquis legibus intra vrbes ſepelire mortuos, quanto magis, inquit, hoc venerabilium Martyrum debet reuerentia obtinere; & iam olim ipſi Imperatores ad limina Eccleſiarum, veluti Martyrum, & Apoſtolorum Cubicularij condi voluerunt, quod ſe indignos exiſtimarent, qui ſanctis Martyrum cineribus iungerentur.Et ſæpiùs DEVS ſceleratorum hominum cadaueribus, ex Eccleſiis prodigio quodam eiectis teſtatum voluit, Eccleſias eiuſmodi impiorum oſſibus pollui, exempla affert qui non diu poſt Concil. Bracarenſe II. cuius potiùs, quàm primi eſt Canon citatus, vixit Gregor. *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 53. idcirco Namnetenſe *cap.*6. habet. Intra Eccleſiam verò, aut prope altare, vbi corpus Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur. Fuit autem hoc Concilium celebratum circa annum 900. vt vulgò exiſtimatur, & ſub Arnulpho, quandoquidem 3. Canon, qui eſt de fœminis, quibus apud presbyteros habitare conceditur, refertur *lib.*7. *Capitula.cap.*291. & can. 10. de decimis in quatuor partes diſtribuendis eod. lib. cap. 290.

Itaque probabilius eſt illud circa tempora Vitaliani, qui Romanæ Eccleſiæ præfuit ann. 655. coactum fuiſſe, eius enim meminit Flodoard.

iiſdem

iiſdem veſtigiis deinceps poſteriora Concilia inſtiterunt; Nam Moguntin. ſub Leon. III. *cap.* 52. hoc priuilegium concedit ſolis Epiſcopis, & Abbatibus; ex Presbyteris autem, & Laicis iis ſolis, qui digni fuerint. Triburienſe verò *cap.*17. iis duntaxat, qui per ſua merita talem viuendo, ſuo corpori defuncto locum acquiſiuerunt. Quod iiſdem omninò verbis iubet Meldenſe *cap.* 9. vti referunt quoque Burchard. *lib.* 3. *cap.* 151. & Iuo 3.*part. cap.* 213.& iam pridem Theodoſius edixerat, vt nemo Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem humandis corporibus exiſtimaret eſſe conceſſam.*l.Nemo. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.* & *l. pen. in C. Theodoſian. de ſepulchrorum violator.* Arcadius tamen Theodoſij filius, querentibus contra hanc ſanctionem Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum in Eccleſia tumulatum fuiſſe, reſcripſit, non ſubiacere legibus Imperatorum eum, qui ſupra illas vixiſſet, teſte Metaphraſte in Epiphanij vita.Ex quibus videas, nunquam ita prohibitam fuiſſe humationem corporum in Eccleſiis, quin id ius fieret aliquibus, quos vitæ ſanctitas commendaret.

3 Secundo quoties Chriſtiani non inferebantur in Eccleſias,locus, quo condebantur, ſacerdotali benedictione conſecrabatur. Gregor. Turon, *lib. de gloria Confeſſor. cap.*106. narrat, ſe locum, in quo ſepelienda erat B. Radegundis, abſente Epiſcopo Pictauienſi ſacraſſe, ne diutiùs differretur ſepultura cum aliqua ſacri Corporis iniuria. Idcircò Ambroſ. *lib.*2. *offic. cap.*28. diſtrahi vaſa ſacra concedit laxandis ſepulturæ fidelium ſpatiis, æquè ac templis ædificandis; vtraque enim loca ſacra erant.S.Auguſt. *Epiſt.*64. inuehitur in *luxurioſa conuiuia*, quæ fiebant in Cæmeteriis, *quæ non ſolùm honores Martyrum à carnali, & imperita plebe credi ſolerent, ſed etiam ſolatia mortuorum.* Cyprian. *Epiſt.* 68. damnat Martialem Epiſcopum Hiſpanum propter *filios, exterarum gentium more, apud profana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos.* nimirum Chriſtianis erant ſua ſacra loca conſepeliendis fidelibus deſtinata, quæ S. Dionyſ. *lib. de Hierarch. Eccleſ. cap.* 7. §. 9. loca Honoranda nominat, agens enim de ritu funerum, ait, Pontificem corpus defuncti deponere in loco, ſiue domo honoranda, ἐν οἴκῳ, cum aliis eiuſdem ordinis corporibus ſacris, μεθ᾽ ἑτέρων ὁμολαγῶν ἱερῶν σωμάτων. Idcircò cæmiteria ſacris ritibus conſecrantur. *C.conſuluiſti. de conſecrat. C. nimis iniqua. de exceſſib. Prælat.* vbi DD. conſecrationis formula habetur in rituali: iiſdem quoque modis, quibus Eccleſiæ polluunur *cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſ. in* 6. ac denique cum Eccleſiis contingua ſunt, partes earum cenſentur, vt alibi dictum fuit.

Tertio denique, ſepulchrorum noſtrorum ſanctitas inde manifeſtò probatur, quod ad illa non modò preces funderentur à ſacris miniſtris, ſed etiam ſacrificium offerretur; eam enim ob cauſam conueniſſe ad cæmiteria fideles, diſertiſſimè habet Clem.6.*conſtit.cap.vltim.*de precibus enim, & ſacrificio inter ſepeliendum, ſiue inter exequias, & funus frequentatis, nullus dubitandi locus ſupereſt. Vide, quæ eruditè congeſſit Spondan. *lib.* 1. *cit. part.* 3. *cap.* 16.

Ex his omnibus, quæ de Chriſtianæ ſepulturæ ſanctitate diſputa-

uimus, oritur quæſtio propoſita in noſtro conſectario, an videlicet vendi queat abſque Simonia ſepulturæ locus, quandoquidem ſacer, ſanctus, & Religioſus eſt.

4 Dico primo locum nondum conſecratum vendi poſſe, vt in eo ſepulchrum ædificetur, aut corpus defuncti condatur, quia nihil dum habet ſanctitatis, ratione cuius dicatur Simonia committi, ſic venditur fundus ad Capellam, Eccleſiam, vel altare extruendum.

Dico ſecundo locum iam conſecratum, qualis eſt Eccleſiæ, aut cæmeterij pars, vendi poſſe à dominis illius, vt inibi quis ſibi ſepulturam eligat, neque Simoniam committi. Ita Ferdinand. *diſput*. 3. *de Simon. tractat*. 17. *punct*. 8. *num*. 4. cum Sylu. Vgolin. & Suar. quos adducit: quia tunc non venditur niſi illud materiale, quod fuit conſecratum, non autem aliquid formaliter, & reduplicatiuè, eò quod hoc materiale ſit tantùm antecedenter annexum cum re ſacra, vti videmus in Calice conſecrato, templis, altaribus, & vaſis ſacris, quæ omnia vendi poſſe abſque Simonia, docuimus in ſuperioribus conſectariis. Neque enim locus deſtinatus, & conſecratus ad ſepulturam fidelium magis ſacer eſt, quàm aut Calix, aut altare conſecratum: neque potiùs committetur Simonia in venditione eiuſmodi loci, quàm Calicis, aut altaris.

5 Dico tertio locum communem ſepulturæ fidelium, & ad eam conſecratum vendi etiam poſſe, ſecluſo omni iure poſitiuo prohibente eam venditionem. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori, & eadem omninò ratione probatur; neque enim locus ille, eò quòd ſit communis, & fidelium cadaueribus humandis deſtinatus, magis ſacer eſt, quàm Eccleſiæ, aut cæmeterij pars nondum vlli ſepulturæ deſignata, neque ex ea communitate ſuum valorem, & æſtimabilitatem materialem amiſit, aut maiorem connexionem cum ſanctitate acquiſiuit, vt eo vendito neceſſariò dicatur vendi aliquid ſpirituale, quod non fit in venditione templi conſecrati, aut partis illius ad extructionem ſepulchri. Non apparet igitur, cur in hoc caſu, aut in eo, quem in priori aſſertione poſuimus, deriuari poſſit labes Simoniæ, de qua ſolùm diſputamus; Iniuſtitia enim, aut aliqua alia turpitudo, ſicut & in omnibus aliis contractibus, in quibus non ſeruatur æqualitas, variis ex cauſis committi poterit.

Dico quarto Iure Eccleſiaſtico grauiſſimè prohiberi venditionem ſepulturæ, hoc eſt, loci ad ſepulturam, maximè communem iam conſecrati. Ita Innocent. III. aut, vt aliqua vetuſta exemplaria habent Honori. III. reſcribens Epiſcopo Magalonenſi. *cap. abolendæ de ſepulturis*. damnat peruerſam conſuetudinem apud Montem Peſſulanum inolitam, vt decedentibus non priùs permitteretur effodi ſepultura, quàm pro terra, in qua ſepeliendi erant, certum pretium perſolueretur, vt videas eo loco, nomine ſepulturæ non intelligi funus, ſed locum, in quo quis condendus erat. Idem ſanciuerat Concil. Triburienſ. *cap*. 16. vbi antiquum iam illum morem ſubrepſiſſe queritur, & abhorrendum, atque Chriſtianis omnibus deuitandum dicit, & terram mortuis deinceps vendere, aut ſepulturam denegare prohibet. Neque pro ſepulchris, neque pro hominibus ſepeliendis aliquid muneris exigi ſanciuit 6

ciuit Concil. Nannet. *cap. 6.* quod male Vaſenſi, aut Vaſenſi tribuit Gratian. *cap. præcipiendum 13. quæſt. 2.* & in Epitome Concilio. legitur in Vaſenſi. *cap. 3.* ibi tamen nihil eiuſmodi legitur; quibus omnibus præiuerat Gregori. *lib. 7. Epiſt. 4. Indict. 1. & Epiſt. 56. Indict. 2.* ad Bonum Epiſcopum Maſſanenſem, & Ianuarium Caralitanum reſcribens; atque etiam Hieronym. *qq. in Geneſ. cap. 23.* quin immò apud gentiles adeò turpis viſus eſt iſte quæſtus, vt nefas eſſet, prohibente Iuris religione, ſepulchra vendere, aut obligare *l. 2. & 9. C. de Religioſ.* aut ædificiis, & habitationibus polluere, aut in cuiuſuis alterius conuerſationis vſum conuertere *l. ſi quis. §. ſenatuſconſulto. ff. de Religioſ.* & qui aliquo horum, alióve quocunque modo ſepulchra violaſſet, piaculum committere, & in crimen læſæ Religionis incidere iudicabatur *l. 3. ff. de ſepulchr. violat. & l. 5. C. eod.* fuitque hæc popularis, & publica actio, quæ cuiuis de populo competebat, ſi nemo eſſet ad quem res pertineret, aut agere nollet. Neque modò vendi ſepulchra prohibebantur, ſed etiam quæ ipſis inerant, aut coniungebantur. Audi enim Iuliani Auguſti impiiſſimi hominis reſcriptum. *l. 5. C. Theodoſ. & Iuſtinian. de ſepulchro violato. Pergit audacia ad iuſta defunctorum, & aggeres conſecratos, cùm & lapidem hinc mouere, & terram ſollicitare, & ceſpitem vellere, proximum ſacrilegio maiores ſemper habuerint, ſed & ornamenta quædam tricliniis, aut porticibus auferunt de ſepulchris: quibus conſulentes, ne in piaculum incidant contaminata religione buſtorum, hoc fieri prohibemus pœna Manium vindice cohibentes.* voluerunt quoque Duumuiri apud Ciceron. *l. 2. de legibus.* buſtum vſucapi non poſſe, eiúſque æternam auctoritatem eſſe, atque Religionem ſepulchrorum in ipſam terram penetrare, & quæcúnque illis adhærent, religioſa eſſe, vt non modò marmora, & lapides moueri, aut deiici columnæ, ſtatuæ euelli, & arma refigi non poſſent: ſed ipſos etiam lapides iam remotos, & auulſos nequaquam vindicare liceret, quaſi iam diuini Iuris factos. *l. quæ Religio. 43. de rei vindic.* agri, & ædificia monumentis adiacentia, ſi cum illis fuiſſent conſecrata, pari religione obligabuntur: idcircò ne Religio totum ſolum occuparet, ſolebant ſepulchra maceriis claudi, & ſpatium Religioſi loci definiri, vt, quid puri, & profani loci relinqueretur, conſtaret; quod ex variis inſcriptionibus apud Gruter. colliges, & obſeruauit Cuiacius. *lib. 13. obſeruat. cap. 36.* ſi quis fundum, in quo ſepulchrum eſſet, venderet; iura tamen ſepulchri apud eum remanebant, & tantùm agri excipiebatur, quantùm adeundo ſepulchro opus eſſet. Denique, vt finem faciam, moneo, voluiſſe Theodoricum ipſa quoque marmora excipiendis cadaueribus deſtinata, leuiori, & mediocri pretio diſtrahi; ſic enim Danieli marmoratio peritiſſimo reſcribit apud Caſſiod. *lib. 3. Epiſt. 19. Hinc quibuſdam veniunt ad pretium dolores, & miſerabili ſorte votorum creſcit de humana morte compendium, ita tamen vt non ſit iniquitas ſub hac occaſione taxari, ne cogantur miſeri inter acerba luctuum, grata plorare diſpendia facultatum, & nefanda deuotione constricti, aut vrgeantur patrimonia pro mortuis prodere, aut dilecta corpora viliſſimis foueis potiùs delentes abiicere. Sit modus in voluntate poſcentium,*

quando ipſa miſeratio pro ementibus facit. Si igitur tam turpis quæſtus perpetuò viſus eſt, qui ex re ſepulchrali colligebatur, & commercium ſepulcrorum infame exiſtimatum, quid mirum, ſi Eccleſia repetitis ſæpiùs ſanctionibus, terræ, qua corpus operiatur, venditionem, & ſepulturæ marcimonia interdixit.

7 Dico quinto ſi quis ſepulturæ locum contra legem Eccleſiaſticam vendat, peccare peccato tum turpis auaritiæ, tum iniuſtitiæ, cùm vendat id, quod alter habet ius gratuitò accipiendi, tum Irreligioſitatis, quandoquidem ea venditio intuitu Religionis prohibetur, non tamen Simoniæ, quia iam oſtendimus Simoniam ſolo iure Eccleſiaſtico inductam non eſſe veram Simoniam, ſed ſimilitudinariam duntaxat.

CONSECTARIVM VII.

Soluuntur Caſus ſingulares.

1 Ex his ſequitur primo neque Abrahamum, neque Ephronem fuiſſe Simoniacos, licet Abraham ab Ephrone emerit ſpeluncam duplicem in ſepulturam Saræ mortuæ, quadringentis ſiclis argenti. *Geneſ.* 23. primo quia vt ait S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 3. terra illa nondum erat conſecrata ad ſepeliendum, & quamuis ritu gentilitio fuiſſet conſecrata, tamen Abrahamus non emebat niſi terram, quam communem, & profanam habebat; Simoniacus tamen fuiſſet Ephron ex falſo animi errore. Ita Abrahamum tuetur quoque Toſtat. contra Nicola. Lyran. ſecundo quia venditus eſt ager, & vnà cum illo tranſiit ſpelunca ſepulchralis, ſicut vendito fundo tranſit cum illo ius patronatûs ipſi annexum ſine Simonia. Ita Alenſis. 2. *part. quæſt.* 189. *in* 4. *art.* 1. §. 4. atque ita neque Abrahamus, neque Ephron Simoniaci fuerunt. tertio quia locus ſepulturæ conſecratus ex natura rei vendi poteſt, vti diximus, nullo tamen reſpectu ad conſecrationem, tunc autem nullo iure poſitiuo illud prohibebatur; quarè neuter peccauit, & qui Ephronem accuſant, non ſatis excuſant Abrahamum, qui illum ad vendendum coëgit, & qui neque aut vexationem iniuſtam, quam redimeret, aut aliam iuſtam cauſam contractui Simoniaco prætexere potuit. Quod autem Hieron. obſeruat in illud *capit.* 23. *Geneſ.* Ephronem poſt eam venditionem dictum fuiſſe Ephran, ſignificante ſcriptura, eum non fuiſſe conſummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Non idcircò facit, hunc Simoniacum fuiſſe, ſed quia à ſtatu perfectionis deſcendit ad ſtatum imperfectionis: primo enim voluit dare gratis; deinde carò vendidit; & ideò cùm priùs diceretur Ephron, perfectus, confirmatus, poſteà Ephran infirmus, & imperfectus nominatus fuit.

Secundo dubitant DD. *in cap. Abolendæ. de ſepultur.* an Area excipiendo corpori vendibilis ſit. Reſpondéntque Innocent. Panormit. & alij paſſim, non poſſe vendi, vbi ab Epiſcopo fuit conſecrata, ſed antea. Mihi etiam nunc vendibilis videtur, non tamen ratione conſecrationis reduplicatiuè, vti de ipſo ſepulchro, & Calice conſecrato diximus ſuperiùs. 2

Tertio quærit Hoſtienſ. *in cap. Abolendæ.* quid ſentiendum de illa conſue- 3

conſuetudine, in qua dantur centum libræ, vt quis in certo cæmeterio, quod Paradiſus dicitur, ſepeliatur; in alio autem minori pretio reconditur. Quò pertinet etiam quæſtio, de honoratiori loco in Eccleſia, an priuilegium ſepulturæ in eo vendi queat. Reſpondet Hoſtienſ. eam conſuetudinem eſſe Simoniacam. Idem quoque ſentit Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 5. §. 22. Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 11. atque etiam Suar. *lib. de Simon. cap.* 14. *num.* 22. ſi locus honoratior ſit ex eo, quod intra Eccleſiam, aut in cæmeterio, aut proprio exiſtat altari; quia tunc tota ratio pretij eſt maior quædam loci ſanctitas, aut reſpectus ad illam, ideóque non erit tantùm Simonia humano iure prohibita, vti exiſtimauit Suarez, ſed etiam naturali.

Mihi probabilius eſt, quod ſentiunt plures Theologi apud eund. Suar. nullam hic Simoniam propriam committi, quia in eo honore attenditur duntaxat aliquid humanum, & non ſacrum; etiamſi remotè ille honor ex aliqua coniunctione cum re ſacra deriuetur. Et videmus Magiſtratibus, aut nobilioribus quibuſdam familiis certa loca in choro, aut prope altare, aut ad dextram deferri; quæ reuerà non videntur materia Simoniæ, licet vnus locus nobilior alio cenſeatur, in ordine ad altare; Neque ex venditione talis loci dicetur vendi eius ſanctitas, vt tam ſæpè in aliis diximus, maximè quòd ipſemet honor, qui humanus duntaxat eſt, quæratur, non iura quædam, & actiones, quæ nonnunquam ſedem nobiliorem ſequuntur, vt iterum monebo inferiùs.

4 Quartò Ius, vt quis, eiúſque familia duntaxat in certo quodam loco ſepeliatur, non autem vllus alius, vendi poteſt ex Suar. *num. cit.* Ferdinand. *tractat.* 13. *diſput.* 3. *punct.* 8. *num.* 4. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 37. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 3. Binsfeld. *in cap.* 41. *de Simon. quæſt.* 1. *con.* 3. *ſub fin.* quia onus illud incumbens Clericis nullum alium admittendi in eiuſmodi locum, eſt æſtimabile pretio, & ſacrum non eſt, ſed temporale accidentariò duntaxat connexum cum ſpirituali.

Quinto patronus, cuius eſt Capella aliqua cum toto loco ſubterraneo, & qui habet ius ſepulturæ, non committit Simoniam propriam, ſi pretium accipiat pro iure, quod concedit alteri, vt ibidem ſepeliatur. Ita Suar. *cap.* 14. *cit. num.* 21. quia vel eſt locatio, vel venditio illius terræ, quæ tantùm ſacra eſt, eo modo quo altare, aut Calix; atque adeò ex natura rei vendibilis manet. Neque eo quod vendatur à patrono, potiùs vendetur quatenùs ſacra eſt, quàm ſi venderetur à Clericis. Prohibitio tamen Eccleſiaſtica de venditione ad ſepulturam, quam attulimus ſuperiori conſectario *conc.* 4. ad hunc quoque caſum extenditur, atque ad reliquos, & laicos, æquè ac Clericos obligat, quandoquidem Conc. Triburienſ. cuius verba ibid. retulimus, id interdictum eſſe vult omnibus Chriſtianis. 5

Sexto nolle in funeribus maiorem crucem præferre niſi certo pretio, Simoniacum eſt ex Hoſtienſ. & Syluest. *quæſt.* 11. *cit.* diſtinguendum mihi videtur, quia ſi ematur tantùm geſtatio Crucis nobilioris, & in eo attendatur quidam honor externus, quia pretioſior Crux celebriorem facit pompam funebrem, eſt quid ſolum 6

ſolum temporale: ſi verò ematur vſus illius Crucis, qui ſacer eſt, Simonia committitur; aut ſi ea Crux nobilior habeatur propter Reliquias, quas continet, aut quia ipſamet fortaſſis prodigio quodam facta eſt, erit quoque Simonia, quia maior æſtimatio geſtationis talis Crucis ſumitur ex ſanctitate.

7 Septimo quoties Clerici ex conſuetudine accipiunt lectum, pannos, equum, aut aliam eiuſmodi ſupellectilem morientis, poſſunt de redemptione ipſorum paciſci cum hæredibus, hæc enim ſunt temporalia, & illa ex laudabili conſuetudine capere poſſunt, atque adeò ad illam obſeruandam per Cenſuras compellere. *cap. ad Apoſtolicam. de Simonia.* quod dicemus fuſiùs. Non poſſunt tamen obligare hæredes ad redimendum lectum mortui, ſi velint illum à ſe ſepeliri; eſſet enim ea pactio Simoniaca, quia pretium ſepulturæ acciperent.

8 Octauo Clerici extranei, qui nolunt conuenire ad funus niſi accepto pretio, Simoniaci ſunt, niſi illud accipiant aut in ſuſtentationem, aut pro incommodis, & labore extrinſecùs, & per accidens cum iſtis diuinis officiis coniuncto, dum ex loco diſſito accedunt, aut ad compenſanda damna temporalia, quæ ex mora, quam in eo loco faciunt patiuntur, vti diximus ſuperiori conſect. 2. quæſt. 8. idque volunt Innocent. *in cap. penult. ne prælati ſuas vices.* & Gloſſa *in cap. ſuam. de Simon.* quæ tamen *in cap. Abolendæ. de ſepultur.* malè diſtinguit in hoc caſu inter Clericos, qui ratione beneficij in ea Eccleſia tenentur intereſſe funeri, & eos, qui non tenentur: Nam neutri pro officio funebri pretium aliquod accipere poſſunt, nullàque differentia præcisè ponenda eſt inter Clericos extraneos, & proprios Eccleſiæ, niſi ratione extrinſeci alicuius laboris adiuncti, vt monui.

CONSECTARIVM VIII.

An teſtimonium, & patrocinium in Iudicio merè ſpirituali, & Eccleſiaſtico vendi poſſint.

Diximus conſectario 14. quæſt. 7. Iudicium mere ſpirituale, & Eccleſiaſticum eſſe materiam Simoniæ, cùm illud ſit exercitium poteſtatis, atque Iuriſdictionis ſpiritualis: quia verò ad illud Iudicium plurima concurrunt, quæ non ſunt exercitium eiuſmodi Iuriſdictionis, ſed cum illo tantùm antecedenter connectuntur, vt patrocinium, & teſtimonium; quæritur, an omnes actus iſtius iudicij, & non ſolùm ipſum Iudicium, ſiue ſententia Iudicis, ſint propter eam connexionem materia Simoniæ.

Reſpondeo non eſſe, quia hæc omnia merè temporalia ſunt, & ſpiritualibus antecedenter duntaxat annexa. Ita Ferdinand. *diſputat. 3. cit. ſæpius. punct. 12. num. 14.* Suarez *lib. 4. tractat. 3. de Religione. cap. 53. num. 9.* & alij paſſim; quod conſtans Eccleſiæ praxis obtinuit, quæ enim amabo Iuriſdictio ſpiritualis eſt in actore, aut defenſore, aut in teſte, vel procuratore Rei, vel actoris partes ſuſtinente, quamuis cauſa, quæ diſceptatur, omninò ſpiritualis ſit, & nequeat niſi à Iuriſdictione ſpirituali definiri? neque quidquam facit, quod vel patrocinio illo, vel teſtimonio paretur via ad beneficium, aut ad

actum.

actum ſpiritualem exercendum; inde enim aliud non colligitur, quàm connexio quædam accidentaria, ex qua non ſequitur vendito patrocinio, aut teſtimonio, vendi aut ſententiam, quæ pronuntiatur, aut beneficium, quod adiudicatur. Itaque veteres adducti à Suar. *num.*10. qui in teſtimonio iſto Simoniam admittunt reiiciendi ſunt, niſi fortaſſis talis teſtis accipiat pecuniam præciſè, quatenus promouet cauſam ſpiritualem. Quæ ſupererant de officiis temporalibus, & aliis quibuſdam, an ſint materia Simoniæ, commodiùs expendentur in ſequentibus qq. iſta enim iam fuſior exiſtit.

QVÆSTIO XIII.

De pretio Simoniaco, & primò quidem, an aliquid ſpirituale poſſit habere rationem pretij.

CVm Simonia ſit quædam irreligioſa emptio, aut venditio rei ſpiritualis, vti illam definiuimus quæſt. 1. ſtatim apparet, intelligi non poſſe ſine aliquo pretio quod fuſius oſtendimus quæſt. 2. quæritur itaque, quidnam habeat rationem pretij neceſſarij ad conſtituendum contractum Simoniacum.

PROPOSITIO VNICA.

1 Nihil ſpirituale eſt pretium in contractu Simoniaco, idcircò omnis permutatio rei ſpiritualis cum alia ſpirituali præciſè ſumpta, Simoniacæ labis expers eſt ex natura rei, & ſecluſo iure Eccleſiaſtico, quod ſolas permutationes beneficiorum abſque ſuperioris authoritate factas damnat, & Simoniæ pœnis ſubiicit.

EXPOSITIO, ET CONFIRMATIO propoſitionis.

Sumo ſpirituale hoc loco in eadem prorsùs ſignificatione, in qua hanc vocem hactenùs vſurpaui, dum pro materia Simoniæ aſſignaui ſpirituale, illud videlicet, quod non modò ad nullas commoditates, & vtilitates humanas ordinatur; ſed etiam quandam habet ſupernaturalitatem, vel in ſe, vel ex ordine ad aliud. Quæro itaque, vtrùm eiuſmodi ſpirituale, ſicut eſt materia Simoniæ, ita poſſit quoque pretium in illa exiſtere, quod eſt diſputare, an, quando vnum ſpirituale commutatur cùm alio ſpirituali, committatur Simonia, ſiue ex natura rei, ſiue ex iure ſaltem Eccleſiaſtico. Primum illud negaui in mea propoſitione; ſecundum concedo aliquando contingere in permutationibus videlicet beneficiorum, quæ ſunt ſpiritualibus conſequenter annexa.

Obſeruandum porrò eſt, commutationes iſtas rerum ſpiritualium inter ſe variis modis inſtitui poſſe, eò quod res ſpiritualis aliquando merè, & purè ſpiritualis ſit, aliàs mixta ex ſpirituali, & temporali, quod habet annexum vel antecedenter, vel conſequenter. Poteſt itaque primo commutari res purè ſpiritualis cum alia purè ſpirituali, vt vna Miſſa cum alia Miſſa, aut officium diuinum cum Miſſa. ſecundo commutatur res purè ſpiritualis cum alia ſpirituali habente annexum aliquod temporale, v. g. Miſſa cum Calice conſecrato. tertio res vna ſpiritualis annexa cum temporali, permutatur

cum alia, quæ habeat quoque annexum temporale, vt duo Roſaria benedicta, duo beneficia. Quia verò temporale duobus modis connecti ſolet cum ſpirituali, antecedenter, vel conſequenter, vti quæſt. 4. ſuperiori diximus, fit, vt commutationes inſtituantur vel inter duo ſpiritualia, quæ eodem modo habent annexum aliquid temporale, vt inter duos Calices conſecratos, aut inter duo beneficia, vel inter ea, quæ diuerſo modo habent annexum temporale, vt ingentis pretij Calix conſecratus cum aliquo beneficio. His annotatis facilè fuerit ſingulas propoſitionis noſtræ partes confirmare.

PRIMA PARS propoſitionis.

De permutationibus ſpiritualium ex natura rei.

1 Dixi igitur primo nullam eſſe veram, & propriè dictam Simoniam iure diuino, & naturali prohibitam, quando vnum ſpirituale datur pro alio ſpirituali, quamuis ex vero pacto, & rigoroſo contractu propriæ commutationis detur. Ita ſentit S. Thom. Durand. Argentin. Victoria, Couarru. & Soto relati à Suar. *lib. de Simon. cap.* 30. *num.* 5. quibus deinde adhæſêre paſſim omnes recentiores, quos idcircò ſingulos appellare nihil attinet. Contra Richard. *in* 4. *diſt.* 25. *art* 8. *quæſt.* 1. *ad* 1. Paludan. *ibid. quæſt.* 2. Adrian. *quodlib.* 9. *artic.* 3. §. *ad quartam confirmat.*

Ratio euidens eſt, malitia enim Simoniæ conſiſtit in eo, quod res ſacra deſpicatui habeatur, & iniuria afficiatur, dum re temporali æſtimatur, quod non contingit, quando componitur, & appretiatur cum alia re ſpirituali, & ſacra, ſiue ſupernaturali, etiam inferiori; ſunt enim ſaltem eiuſdem ordinis; qua ratione beatitudinem comparamus actionibus ſupernaturalibus, quibus illam meremur ex Iuſtitia quoque commutatiua ex multorum ſententia; & ſaltem nullus affirmat, fieri iniuriam beatitudini, quòd detur in præmium, & mercedem actionis ſupernaturalis. Addo, quæ afferuntur ab Adriano de præcepto dandi gratis ſpiritualia *Matth.* 10. nihil prorſùs vrgere, quæ enim ſine pretio temporali dantur, gratuitò dari cenſentur. Neque aliter Hieronym. Chryſoſt. S. Thom. aliíque PP. ea verba Chriſti ſunt interpretati, cùm ſolam poſſeſſionem temporalium rerum his ſpiritualibus miniſteriis comparari poſſe negarunt; quod ipſum innuit Chriſtus, dum ait, Gratis accepiſtis, gratis date; nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Obiicit quidem Richard. nos non eſſe dominos horum ſpiritualium, ac proinde illa vendere non poſſe quocúnque tandem pretio illa vendamus. Verùm neque eadem donare liceret, atque eorum dominium in alios transferre. Deinde ſequeretur in omni Simonia committi iniuſtitiam propriè dictam, quod negauimus quæſt. ſuper. 3. ſect. 3. & ſaltem præcipua malitia Simoniæ, eiúſque ratio formalis eſt Irreligioſitas, ſiue habeat adiunctam iniuſtitiam erga DEVM, ſiue non. Ea porrò Irreligioſitas non reperitur in commutatione ſpiritualis cum ſpirituali, cum inter res eiuſdem ordinis comparatio nunquam ſit iniurioſa. Ergo non erit Simonia. Præterquam quod negari nequit

nequit nobis aliquod dominium in hæc ſpiritualia, quæ vel ſunt actiones ſacræ, & liberæ, vel alia quædam entia permanentia, eáque materialia, ſed cum ſpiritualibus coniuncta, quæ ratione illius materialis ſunt in noſtro dominio, & proinde poſſunt permutari tum ratione rei materialis, tum præcisè habita ratione ſolius ſpiritualitatis, quæ in vtroque reperitur; ſic duo Roſaria benedicta commutabuntur ratione benedictionis, ſiue quia benedicta, nulla habita ratione materiæ, quia reuerà etiamſi ſint æqualis materiæ, nihilominus non fieret commutatio, niſi forent benedicta. Denique cùm ſimus diſpenſatores horum ſpiritualium, quæ liberè donare poſſumus, quidni & ea poterimus inter ſe commutare, modò in ea commutatione nihil peccetur contra reuerentiam eorum, quæ commutantur, aut contra ius diuinum, & naturale; nondum enim agimus de iure humano aliquam eiuſmodi commutationem prohibente. ſecundo vel res, quæ commutantur inter ſe, ſunt purè ſpirituales, vt duæ Miſſæ, duo diuina officia, duo Sacramenta; vel ſunt mixtæ ex ſpirituali, & temporali, vt duo templa, duo calices conſecrati; vel vna res eſt purè ſpiritualis, & altera mixta. In primo caſu nulla poteſt eſſe irreuerentia, quòd vna Miſſa æſtimetur alia, aut etiam ſacrificium commutetur cum diuino officio; nam etiamſi ſacrificium ſit aliquid nobilius, quàm officium Canonicum, vtrúmque tamen eſt ſupernaturale, & ſpirituale: neque hic propriè ponderamus efficaciam ſingulorum iſtorum, ſed volumus vnum pro alio dari. Et ſane Adrian. *loc. cit.* non agnoſcit Simoniam in iſtis commutationibus rerum ſpiritualium ex ipſarum æſtimabilitate, aut inæſtimabilitate; ſed quod, ſiue æſtimabilia ſint, ſiue non, ſiue æqualis, ſiue inæqualis valoris, gratis tamen ex Chriſti lege danda ſit; nam curatio miraculo facta tam æſtimabilis eſt, quàm ſi humana arte facta fuiſſet, tamen Simoniacus foret qui pretio curationem miraculo faceret. Verùm iam docui, pretium ſpirituale non impedire gratuitam exhibitionem, & adminiſtrationem ſpiritualium, quam exigit Chriſtus, qui ſolum pretium temporale excluſit ex interpretatione Patrum; Et qui miraculum curationis commutaret cum quopiam pio, & ſpirituali opere, curaret nimirum ſacerdotem cum obligatione ſacrificandi, non eſſet profectò Simoniacus; ſicut neque illi, qui pollentes dono miraculorum paciſcerentur inter ſeſe de aliquibus edendis miraculis, curabo v. g. Titium depoſitum, ſi tu cures Caium, aut ſi pluuiam à Deo impetres; ſicut neque rectè Richard. eum, qui alium baptiſaret cum pacto, vt ab ipſo deinde baptiſaretur, Simoniæ arguit, cùm baptiſmum commutet pro baptiſmo, quæ enim ibi tandem Irreligio, & iniuria in Sacramentum iſtud fingi poteſt?

Quando verò res commutatæ ſunt mixtæ ex ſpirituali, & temporali, ſi eodem modo habeant temporale connexum ſpirituali, v. g. duo grana benedicta, duæ actiones Sacramentales, duo beneficia; ſtatim apparet, nullam ex natura rei eſſe Simoniam, modò commutatio fiat ratione tantùm ſpiritualis annexi, & nulla fiat comparatio inter ſpirituale, & temporale; Nam ſi temporale vilius commutetur cum alio temporali pretioſiori, propter maiorem quandam ſpiritualitatem, quod il-

lud temporale vilius participat v. gr. Roſarium benedictum pretioſæ materiæ commutatur cum viliori, quia iſtud habet plures benedictiones, & Indulgentias, aut contactu plurium Reliquiarum ſacratius eſt, reuerà committitur Simonia, quia non commutatur ſpirituale cum ſpirituali præcisè, ſed emitur exceſſus ille, vt ita dicam, ſpiritualitatis, qui in vno reperitur, per exceſſum temporalis, quod eſt in alio. Quando verò ſeruatur proportio, ita vt nihil attẽdatur in commutatione ſpiritualis niſi ſpirituale, & in commutatione temporalis niſi præcisè temporale, & non comparetur ſpirituale vnius cum temporali alterius, vt inter ſeſe compenſentur ſecundum varios exceſſus, tunc nulla eſt Simonia: nam quæ ſunt antecedenter annexa ſpiritualibus, æquè ſunt vendibilia, atque erant, antequam connecterentur ſpiritualibus; ergo æquè commutabilia ſunt ſine periculo Simoniæ, non habito reſpectu ad ſpirituale annexum. Quæ autem concomitanter & conſequenter connexa ſunt, inuendibilia fiunt per eam connexionem; ſi igitur commutentur, vnum ſpirituale commutatur cum alio. Itaque niſi in commutatione illa temporale diſtrahatur ab ſpirituali & comparetur temporale vnius cum ſpirituali alterius, erit commutatio tantùm inter ſpiritualia, ac proinde non Simoniaca, vt inter duas actiones Sacramentales, inter duo iura ſpiritualia, duóque beneficia, in quibus non attenditur majus, aut minus commodum temporale.

Quod ſi res ex ſpirituali, & temporali mixtæ, ſiue compoſitæ habeant temporale diuerſo modo connexum cum ſpirituali v. gr. Calix conſecratus, & adminiſtratio Sacramenti, aut beneficium; tunc ſemper in ea commutatione committitur Simonia, quia commutatio non fit præcisè inter ſpiritualia, ſed inter ſpirituale, & temporale, quia in rebus, in quibus temporale antecedenter ſe habet, id quod primario, & per ſe datur, eſt illud temporale, cum quo deinde venit ſpirituale annexum; in eo autem, quod eſt concomitanter, aut conſequenter annexum ſpirituali, illud quod primò datur, eſt illud ſpirituale, ratione cuius deinde obtinetur temporale in eo fundatum. Itaque quando datur beneficium, datur primò ius ſpirituale, & conſequenter prouentus temporales; fit igitur commutatio primò, & per ſe inter temporale, & ſpirituale, dum Calix conſecratus datur pro beneficio, ac proinde committitur Simonia.

Denique quando res eſt purè ſpiritualis, ſi cum alia mixta ex ſpirituali, & temporali commutetur, datur aliquid temporale pro ſpirituali, atque ita non fit commutatio precisè inter ſpiritualia, quam ſolam vindicabamus à Simonia in noſtra propoſitione.

Confirmantur hæc omnia, *ex cap. ad quæſtiones. de rerum permutatione.* 3
vbi Clement. III. ait licitam eſſe permutationem duarum Eccleſiarum parrochialium inter ſe, & prætereà commutationem poſſeſſionum earundem Eccleſiarum fieri per ſe poſſe, atque exceſſum poſſeſſionum vnius compenſari aliqua pecunia, modò contractus illi non miſceantur inuicem. Vbi Gloſſa *ver. per ſe,* obſeruat idcircò eam permutationem licitam eſſe, quia tam poteſt ſpirituale commutari cum ſpirituali, quàm temporale cum temporali.

Idem

Idem docet *cap. ſuper eo. de tranſactionib. ver. re ſacra.* vnde tamen non ſequitur dari emptionem, & venditionem in ſpiritualibus, quia venditio non conſiſtit ſine pretio; quod propriè non eſt quid ſpirituale. deinde *in ver. contractus.* obſeruat eadem gloſſa fuiſſe duos contractus in caſu illo, in vno ſiquidem Eccleſiæ inter ſe permutabantur, in alio ipſarum poſſeſſiones; vtrúmque autem illum contractum probat Clemen. modò vnus non miſceatur cum altero, Eccleſia videlicet non commutatur cum poſſeſſione. Quod autem ad hanc permutationem Eccleſiarum gloſſa requirat authoritatem ſuperioris, id non oritur, vt vitetur Simonia, ſed quià tranſlatio vnius Parrochiæ non poteſt authoritate priuata fieri, quod ex aliis iuribus conſtat.

SECVNDA PARS propoſitionis.

De eadem permutatione ſpiritualium ex Iure Eccleſiaſtico.

4 Dixi ſecundo hanc nihilominus permutationem rerum ſpiritualium prohiberi iure poſſe ad vitandam omnem ſuſpicionem, & periculum Simoniæ, atque adeò ſi quid contra eam prohibitionem fiat, tanquam Simoniacum plecti.

Hæc pars propoſitionis confirmata manet ex *quæſt. 3. ſuperiori conſect. 4.* vbi diximus, dari aliquam Simoniam ſimilitudinariam, quæ tamen ſit vera Irreligioſitas, & pænis Simoniæ puniatur, atque Simonia tum in Iure, tum in foro externo nominetur, quæ ſolùm mala eſt ex Iure Eccleſiaſtico prohibente intuitu Religionis contractum aliquem circa ſpiritualia, alioquin ex ſua natura licitum. Quidni igitur poſſit Eccleſia ad vitandam omnem Irreligioſitatis, & Simoniæ ſpeciem prohibere aliquos contractus, in quibus ex pacto vero, & proprio, ſpirituale dabitur pro ſpirituali: quia etiamſi nequeat efficere Eccleſia, vt res ſpiritualis ſit pretio æſtimabilis, ac proindè cum datur pro alia ſpirituali, dicatur dari pretium aliquod, & in illo contractu ſit vera & propriè dicta Simonia: poteſt tamen intuitu Religionis eam commutationem mutuam ſpiritualium inter ſe tanquam minùs decentem prohibere, atque ita tanquam irreligioſam punire. Hæc porrò Irreligioſitas affinis admodum erit Simoniæ, quæ in ſolis contractibus circa res ſpirituales reperitur, atque adeò Simonia nominabitur, vti eo loco fuit explicatum.

Quod vt ampliùs intelligatur, repetenda ſunt, quæ nuper dicebamus de variis commutationibus rerum ſpiritualium inter ſe; ſi enim res, quæ commutantur, ſunt purè, & merè ſpirituales, non poteſt quidem in his eſſe aut periculum aut ſuſpicio Simoniæ: vnde ea de cauſa nō poterit ea commutatio prohiberi. Si tamen aliqui inde timerētur abuſus, vt ſi duo ſacerdotes paciſcerentur de abſolutione à peccatis, vel cenſuris ſibi mutuò impendenda, reuerà poſſet iuſta de cauſa etiam rerum huiuſcemodi commutationem inhibere Eccleſia, ad maiorem quandam rerum ſacrarum venerationem; ideóque ſi quid in contrarium fieret, ſacrilegium foret, illúdque affine Simoniæ. Quando verò res ſpirituales commutatæ habent aliquod temporale annexum, fieri facilè poterit, vt in hac commutatione potior ratio ha-

beatur temporalis, quàm ſpiritualis; atque ita facilè quis incidet in Simoniam, vel illiûs ſuſpicionem inducet: ideóque ſapienter Eccleſia huiuſmodi commutationes ſine ſuperioris authoritate factas iure meritò tanquam Simoniacas damnare poterit, in quibus caſibus non tantùm ex præſumptione Simoniæ commiſſæ, qua ratione ſæpè in foro interno nulla eſſet, procedet Eccleſia; ſed quia cùm ſimpliciter, & abſolutè eas commutationes grauibus de cauſis prohibuerit, iam reuerà malæ ſunt, quia prohibitæ, non aliâ ſanè malitia, quàm Irreligioſitatis, & Simoniæ ſaltem analogicæ, ac ſimilitudinariæ.

TERTIA PARS propoſitionis.

Sola permutatio ſpiritualium in Beneficiis abſque ſuperioris authoritate facta eſt Simoniaca.

5 Dixi tamen tertio Eccleſiam non prohibuiſſe iſtas permutationes rerũ ſpiritualium tanquam Simoniacas, præterquam in beneficiis. In qua aſſertione duo dicta continentur.

Primum eſt, permutationem beneficiorum damnari vt Simoniacam à Iure, nam *cap. quaſitum. de rerum permutat.* dicitur, præbendas pacto præcedente commutari non poſſe, quia *circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, omnis pactio, & conuentio continet labem Simoniæ.* Et quia in Concilio Turon. *omnis commutatio dignitatum eſt interdicta.* Canon autem ille Concilij Turonen. refertur *in cap. Maioribus. de præbendis.* habitum porrò eſt hoc Concilium Turonis ab Alexand. III. an. 1163. 4. Kalend. Iunij in Octauis Pentecoſt. Indict. 10. Pontificatûs an. 4. vti obſeruauit Antoni. Auguſtin. *in notis ad cap. 10. de præbendis. antiqua 1. Collectionis*, refertúrque integer hic Canon in Concil. Lateran. ſub eodem Alexand. III. *parte 30. cap. 4.* damnatur prætereà *cap. Cùm olim. eod. titulo. de rerum permutat.* commutatio Archidiaconatûs, & præpoſituræ propria authoritate facta, & in pœnam vtérque commutans ſuo beneficio priuatur. Neque quidquam opponi poteſt contra definitiones adeò perſpicuas, cùm & dignitatum, & præbendarum quoque permutatio tanquam Simoniaca apertè prohibeatur; nihil enim ibi eſt, ex quo colligamus, datum fuiſſe aliquid temporale pro ſpirituali, cùm tantùm ageretur de permutatione dignitatum in Concil. Turonen. quam prohibitionem extendit Pontifex ad commutationem etiam præbendarum, quæ cùm ſint aliquid temporale, videbantur poſſe permutari; quia tamen ſunt annexæ alicui ſpirituali, nimirum Iuri ſpirituali illas percipiendi, idcircò permutari prohibentur, maximè *pactione partium præmiſſa*; quia etiamſi illa actualis, vt ita dicam, permutatio reipſa dando vnam præbendam pro alia, abſque vllo priori pacto, ſit quoque Simoniaca: hæc tamen, in qua imponitur mutua, & reciproca obligatio dandi ſuam præbendam, videtur magis expreſſam Simoniam continere propter expreſſam pactionem: quare hanc Simoniam Eccleſiaſticam agnoſcunt omnes *in cap. Quæſitum, citatum*, & alij quos dabit Garcia. *par. 11. de benefic. cap. 4. num. 57.*

Alterum quod continebat noſtra 6
vltima

vltima propoſitio, erat, nullam aliam permutationem rerum ſpiritualium prohiberi à Iure; & probatur ex eo, quòd nulla talis prohibitio in iure reperiatur, quia *in cap. Quam pio 1. quæſt. 2.* vbi prohiberi videtur omnis pactio circa ſpiritualia, ſermo eſt de pactione dandi temporale pro ſpirituali, nam ibi agebatur de ſubſidio temporali, quod Monaſterium vnum petebat ab alio, vt illi Religioſum ſuum in Prælatum ſufficeret. *in cap. vltim. de pactis*, dixit Gregori. *omnem pactionem, omnémque conuentionem in ſpiritualibus ceſſare debere.* quæ verba de pactione quoque rei temporalis interpretamur, cùm ita ſoleat loqui ius *cap. Tua. de Simonia*, & ibi videatur agere Gregori. de ſepulturis, vt ex ſuperiori capite, cui iſtud connectitur, perſuaderi poſſet. Denique ſi attendantur omnes, & ſinguli textus, apparebit vel illos de beneficiis agere, vel de aliquo temporali cum ſpirituali commutando, vel de propria venditione, quoties omnem pactionem circa ſpiritualia damnant.

QVÆSTIO XIV.

CONSECTARIA

Ex propoſitione ſuperiori.

Conſectar. I. An liceat actionem ſpiritualium cum obligatione ad alium ſimilem præſtandam commutare.

Conſect. II. An votum de præſtanda re temporali ad obtinendam ſpiritualem, vel è contrario, votum rei ſpiritualis pro re temporali ſit licitum.

Conſect. III. An omnia ſpiritualia, quæ habent temporalia ſibi conſequenter annexa, ſint permutabilia inuicem.

Conſect. IV. An permutatio beneficiorum Simoniaca ſit irrita, & nulla.

Conſectar. V. An commutatio actionum pertinentium ad prouiſiones beneficiorum ſit Simoniaca.

Conſect. VI. An commutatio vnius beneficij cum iure ad aliud ſit Simoniaca.

Conſect. VII. An Iura ad beneficia poſſint inuicem, vel cum beneficio permutari; Et explicatur *cap. ad Audientiam. 2. de Reſcriptis.*

Conſectar. VIII. An ſuperioris authoritas Simoniæ labem abſtergat à commutatione beneficiorum.

Conſect. IX. Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

Conſect. X. An beneficium poſſit permutari cum penſione cum authoritate ſuperioris.

Conſectar. XI. An inæqualitas beneficiorum permutatorum compenſari poſſit abſque Simonia.

Conſectar. XII. An poſſint beneficiati obligare ſe ad faciendum permutationem beneficiorum, nondum conſulto Epiſcopo.

Conſectarium vltimum. An commutatio beneficiorum, cui ſuperior ſine iuſta cauſa authoritatem tribuit, ſit Simoniaca.

***

CONSE

CONSECTARIVM I.

An liceat actionem ſpiritualem cum obligatione ad aliam ſimilem præſtandam commutare.

Titius facit Miſſam pro Caio, qui ex pacto ſe obligat ad dicendam deinde aliam Miſſam pro Titio.

Reſpondeo cum Suarez *lib. de Simonia. capit.* 30. *numer.* 7. Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 12. *numer.* 2. nullam in eo contractu eſſe Simoniam; quia ea obligatio æquè ſpiritualis eſt, atque actus ad quem eſt, neque in æſtimatione morali ſeparatur à re tradenda, aut facienda, alioquin pretio redimi, vel vendi ſine Simonia poſſet, quod nemo dixerit. Et ſanè quotieſcunque vna res cum alia commutatur, ſi vtraque ſimul non detur, neceſſariò naſcitur obligatio ad dandam rem, quæ nondum exhibita fuit, quæ obligatio cum ſit conditio quædam, vel circumſtantia conſequens dilationem ſolutionis, non ſolet æſtimari tanquam aliquid diſtinctum ab ipſa ſolutione, vel exhibitione rei, quæ nondum tradita fuit: quis enim dicat, obligationem, quam quis contraxit ad ſoluendum, vel reſtituendum mutuò acceptum, eſſe æſtimabilem ſeorſim ab ipſa ſolutione, vel reſtitutione præſtanda? Ergò neque obligatio dicendi Miſſam pro eo, qui iam aliam Miſſam ex pacto pro te fecit, æſtimabilis eſt, tanquam aliquid diſtinctum ab ipſa Miſſa; neque aliquid temporale, ita vt ratione illius dicatur committi Simonia in commutatione duarum Miſſarum, quarum vna modò dicitur, alia die craſtino fiet, niſi fortaſſis huic obligationi accedant aliqua incommoda pretio æſtimabilia, quæ per aliam Miſſam compenſari videantur. Ineptum porrò eſt, quod aliqui adducunt ex mutuo, nempe hinc fieri quoque poſſe, vt mutuans obliget mutuatarium ad remutuandum ſine vſura; Nam obligatio mutuandi diſtincta eſt ab obligatione ſoluendi, aut reſtituendi mutuum, & idcircò eſt pecunia æſtimabilis, atque etiam diſtincta ab ipſo mutuo reſtituendo, idcircò ſine vſura, vt patet, imponi nequit. At verò obligatio ſoluendi mutuũ, ſequitur neceſſariò ex ipſo contractu mutui, ſicut & obligatio dandi rem commutatam pro alia cum qua commutata fuit, ſequitur ex natura commutationis; neque ab ea diſtingui cenſetur in ordine ad æſtimabilitatem moralem.

CONSECTARIVM II.

An votum de præſtanda re temporali ad obtinendam ſpiritualem; vel è contrario, votum rei ſpiritualis pro re temporali, ſit licitum.

Refertur Innocentium *in cap. ſcripturæ, de voto.* damnaſſe eiuſmodi votum tanquam illicitum, & Simoniacum, quaſi vouens velit Eleemoſyna, aut alia re, quam Deo, vel ſanctis promittit, emere donum aliquod ſpirituale, aut aliquod miraculum, cuius editio ſupernaturalis eſt. Richard. verò *in* 4. *diſt.* 38. *artic.* 1. *quæſt.* 2. illud quidem votum validum eſſe exiſtimat, quia eſt de re bona, illicitum tamen, quia fit propter finem malum, aut qui non poteſt debitè terminare actum ſpiritualem,

ritualem, nam bonum temporale non eſt finis aptus boni ſpiritualis.

Reſpond. nihilominus, iſta omnia vota facta ad bonum aliquod temporale obtinendum, non modo Simoniæ, ſed omnis etiam malitiæ immunia eſſe. Ita docent Canoniſtæ contra Innocentium, qui fortaſſis illud non docuit *in illud cap. Scripturæ.* Hoſtienſ. Ioann. Andr. Antoni. Cardin. Abb. Ancharan. Henric. Sylueſt. *ver. votum.* 1. *quæſt.* 4. *d.* 2. *& quæſt.* 5. *ſub fin.* Angel. *ver. votum.* 1. *num.* 4. *&* 9. Abul. *in cap.* 30. *Num. quæſt.* 92. Suar. *lib.* 2. *de voto. cap.* 5. *num.* 5. & *lib. de Simon. cap.* 30. *num. vltim.* Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 22. Layman. *lib.* 4. *tractat. de voto. cap.* 2. *num.* 10. Ferdinand. *tractat.* 15. *diſput.* 1. *punct.* 8. *num.* 6. idque probant ſcripturæ, dum eiuſmodi plura vota referunt; Iacob enim *Geneſ.* 18. vouet pro fælici in patriam reditu, & itinere in Meſopotamiam. Anna vouet pro obtinenda prole. 1. *Reg.* 1. Iſraelitæ pro adipiſcenda victoria. *Num.* 21. ſuntque eiuſmodi vota in communi, & frequenti vſu. Ratio prætereà euidens eſt, quia finis horum votorum non eſt indifferens, vt aliqui ſupponunt, ſed omnino honeſtus, quia eſt vel impetratio eiuſmodi bonorum temporalium à Deo, vel gratiarum actio pro iis obtentis, qui fines honeſtiſſimi ſunt, & in illis votis neceſſariò includuntur. Quarè qui ieiunium vouet, Eleemoſynam, ſacrum, peregrinationem, Religionem, aut quid aliud, vt impetret matrimonium diues, dignitatem aliquam, ſanitatem, proſperum negotij exitum, aliúdve temporale, & indifferens, obligatur ſuo voto, & licitè vouet. Non verò ſi finis ſit planè indifferens, & nullam honeſtatem, vti modò explicui, implicitè ſaltem neceſſariò inuoluat, vt ſi voueat ieiunium, vt ſumptibus parcat, aut Eleemoſynam, ne auarus audiat; Cùm enim totus ille finis rei promiſſæ, & promiſſionis ſit indifferens, totus etiam ille actus erit quoque indifferés, & inepta voti materia, vti diximus alibi. Sed id modò non diſputo, ſed tantùm vt Simoniæ labem ab eiuſmodi votis contra Innocentium, aut ſi quis alius, eiuſmodi opinionis fuerit author, abſtergam; quod apparet ex dictis, neque enim initur vllum cum Deo pactum, aut ſpirituali voto emitur aliquid temporale, aut cum illo commutatur; ſed ſolùm ea promiſſione, & oblatione prouocatur Deus ad aliquid temporale donandum, aut quia dedit, illi gratias ea grati animi ſignificatione reddimus, atque adeò teſtamur, ipſum omnium eiuſmodi bonorum authorem, & largitorem eſſe. Denique nemo ita deſipit, vt exiſtimet, ſe rem promiſſam, ſiue ea ſpiritualis, ſiue temporalis ſit, dare in pretium beneficij, quod à Deo poſtulat.

CONSECTARIVM III.

An omnia ſpiritualia, quæ habent temporalia ſibi conſequenter annexa, ſint permutabilia inuicem.

Si agamus de iure diuino, conſtat ex noſtra propoſitione, nullam in hac permutatione committi Simoniam, cùm in his ſpirituale commutetur cum ſpirituali, & temporale annexum cum temporali annexo eodem modo, neque neceſſariò

iſti contractus miſceantur, & in eiuſmodi commutatione non detur temporale vnius in pretium ſpiritualis alterius, vti neceſſarium omninò eſſe ad Simoniam naturali iure prohibitam hactenùs contendimus. Controuerſia igitur eſt de Simonia ex Iure Eccleſiaſtico, cùm enim illa ſit in beneficiorum permutationibus, quæ ſunt conſequenter annexa ſpiritualibus, videtur Eccleſia eodem iure prohibuiſſe quoque permutationem in cæteris etiam omnibus, quæ fuerint conſequenter annexa ſpiritualibus, cùm in ea permutatione ſit idem omninò periculum Simoniæ, ad quod vitandum commutationem beneficiorum prohibuit. Deinde *in cap. Quæſitum. de rerum permut.* damnat omnem conuentionem circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, tanquam Simoniacam. Per hæc autem connexa ſpiritualibus non intelligit niſi connexa conſequenter; iam enim certum eſt, annexa antecedenter ſpiritualibus, æque permutabilia eſſe, atque vendibilia etiam ex Iure Eccleſiaſtico, & continuo proborum vſu, vti quæſt. *6.* in vniuerſali Regula explicatum fuit: connexa verò concomitanter ſpiritualibus, cùm ſint intima quædam pars rerum ſpiritualium, intelliguntur nomine ſpiritualium ſimpliciter. Reſtat igitur vt connexa conſequenter ſpiritualibus intelligantur in eo capite. Deinde, quia vix aſſignare licebit aliqua conſequenter annexa ſpiritualibus, quæ vel beneficia non ſint, vel aliquid ad beneficia pertinens, aut eorum naturam imitans, v. gr. vicaria amouibilis, aut Cappellania temporalis, quæ propter defectum perpetuitatis beneficia non ſunt; in cæteris enim omnibus beneficiorum naturam ſequuntur. Itaque permutationem iſtorum inter ſe, aut cum beneficio exiſtimârim ex lege Eccleſiaſtica Simoniacam eſſe. Ita Suar. *lib. de Simon. cap. 31. num.* 15. & Bonacin. *diſput.* 1. *de Simon. quæſt.* 4. §. 12. *num.* 4. Layman. *lib.* 4. *tractat.*9. *cap. vltim. num.* 51. Gloſſa etiam *in cap. Quæſitum. de rerum permutat. ver. Simonia.* inter annexa ſpiritualibus, in quibus conuentio prohibetur eo capite, nominat Ius patronatûs, quod non poteſt eſſe niſi conſequenter annexum: & ſanè in eo textu quærebatur, an præbendæ poſſent permutari, illæ autem ſunt tantum quid annexum ſpiritualibus; ſi enim per ſe conſiderentur prout ſunt portiones bonorum ſpirituali miniſterio deputatæ ſunt aliquid temporale, vt ex communi dicit Barboſ. *in Collect. ad cap. Quæſitum. cit. num.* 5.

CONSECTARIVM IV.

An permutatio beneficiorum Simoniaca ſit irrita, & nulla.

Reſpond. eſſe, ac proinde permutantes non poſſe propria authoritate permutata inuicem beneficia ſibi retinere. Ita Leſſius. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 100. Ferdinand. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 15. *num.* 4. quia non modò prohibita eſt hæc permutatio, ſed etiam vt habeat effectum, debet vnus ſuum beneficium transferre in alterum, qui illi viciſſim ſuum conferat; atqui ea collatio pendet à ſuperiore, ſine cuius authoritate non modò Simoniaca eſt, ſed etiam inualida. Poſſunt igitur ſinguli beneficium, quod inualidè in alium alienarunt, ſibi retinere, & ad illud

illud quodammodo redire, donec eo in pænam commiſſi delicti priuentur, vti reuerà priuari poſſunt *ex cap. cum olim. 7. de rerum permutat.* An verò, vbi facta eſt reſignatio coram ſuperiore cauſa permutationis, quæ tamen non habuit effectum ob aliquod impedimentum, poſſint ſinguli ad ſua beneficia redire ſine noua collatione, longè alia quæſtio eſt, quam definiuimus alibi tunc enim reuerà vacarunt beneficia permutata, non autem in hac permutatione, de qua loquimur.

CONSECTARIVM V.

An commutatio actionum pertinentium ad prouiſiones beneficiorum ſit Simoniaca.

Variæ ſunt actiones, quæ ad prouiſionem, vel acquiſitionem beneficiorum pertinent, & pendent ab ſpirituali aliquo iure, vel poteſtate, cuius ſunt exercitia, v. gr. Electio, nominatio, præſentatio, inſtitutio, confirmatio, collatio, admiſſio reſignationis. Quæritur itaque, an poſſint hæ actiones inuicem commutari, Eligam ego te in Prælatum, ſi tu me eligas in Canonicum; aut præſentabo Caium, ſi tu præſentes Titium, aut illum præſentatum inſtituas, aut reſignationem in fauorem eius, vel mei admittas, aut ſi mihi beneficium conferas.

Reſpondeo hanc commutationem Simoniacam eſſe cum Suar *cap. 31. cit. num. 14.* Laym. *cap vltim. etiam citato. num. 51.* & aliis paſſim, in primis quia hæ actiones connexæ ſunt cum aliquo temporali, cùm ſint viæ ad commodum temporale annexum beneficio, ratione cuius annexi æquè in illis eſt ſuſpicio, & periculum Simoniæ, atque in ipſis beneficiis, in quibus illud ſua prohibitione vitare voluit Eccleſia, quod non obtineret, ſi actiones tendentes ex natura ſua ad prouiſionem beneficiorum commutari poſſent. Idcircò videntur comprehendi *cap. vltim. de pactis.* vbi pactiones pro ſpiritualibus obtinendis reprobantur. & *cap. de hoc.* damnatur Epiſcopus Oxonienſis, qui Archidiacono beneficium, & cuidam Clerico Prioratum, vt ſuæ electioni conſentirent, promiſerat.

CONSECTARIVM VI.

An commutatio vnius beneficij cum Iure ad aliud ſit Simoniaca.

Titius beneficium commutat cum Caio, qui cedit ipſi ius, quod per præſentationem, aut electionem, vel nominationem habebat ad aliud.

Reſpond. Simoniam committi in hac permutatione propria authoritate facta. Ita Sylueſt. *ver. permutatio. 2. quaſt. 13. con. 9.* vbi dicit, habentem ius ad beneficium, non poſſe permutare cum habente beneficium, & allegat Ioann. Andr. *in cap. 1. de rerum permutat. in 6.* ſequitur Suar. *cap. 31. lib. de Simon. num. 16.* adducens Franc. *in cap. 1. de rerum permutat. num. 9.* ratio euidens eſt, quia tunc beneficium confertur ex pacto, quod in Iure prohibitum eſt, vti diximus in 3. part. propoſitionis. Deinde diximus conſect. 5. præſentationem actiuam tam permutari non poſſe, quàm ipſum beneficium; atqui præſentatio paſſiua, iúſque ex ipſa,

aut alia ſimili actione exurgens ad beneficium æquè connexa ſunt cum ipſo beneficio, atque præſentatio, aut nominatio actiua; ergo eodem modo comprehenduntur in generali lege prohibente pactionem circa ſpiritualia, & ſpiritualibus connexa. Huc pertinent, qui dicunt, non poſſe fieri permutationem de Iure ad rem, quos affert, & ſequitur Garci. 11. *par. de benefic. capit. 4. num. 17.*

CONSECTARIVM VII.

An Iura ad beneficia poſſint inuicem vel cum beneficio permutari. Et explicatur cap. ad Audientiam 2. de Reſcriptis.

1 Habet quis literas Apoſtolicas, vt ſibi prouideatur de beneficio, quæritur imprimis, vtrum hoc Ius expectatiuæ ad certum beneficium permutare valeat cum ſimili Iure alterius ad aliud item beneficium. Ratio difficultatis eſt, quia permutatio ſpiritualium inter ſe non eſt prohibita niſi in beneficiis: at verò permutatio Iurium ad beneficia non eſt permutatio beneficiorum, vt patet; cùm iura ad beneficia non ſint beneficia, & ideò permutantes hæc iura non dicuntur permutare beneficia: hæc autem iura ex ſua natura ſunt commutabilia, nam qui habet ius ad beneficium, eſt reuerà dominus illius Iuris, etiamſi nondum ſit dominus beneficij.

Dices, hæc iura eſſe perſonalia, & intransferibilia, vnde neque de Iure, neque de facto eiuſmodi permutatio valida, & rata erit; quod videmus in præſentationibus, expectatiuis, & electionibus; in his enim conditio, qualitas, & induſtria perſonæ electa fuit.

Verùm hæc ratio oſtendit, non modò priuata authoritate, ſed neque ſuperioris eiuſmodi permutationem fieri poſſe, & futuram inualidam propter intrinſecam Iurium iſtorum intransferibilitatem: non oſtendit tamen eandem fore Simoniacam, v. gr. poſito quod valida ſit transmutatio, quia præſentatus, & qui habet expectatiuam à Pontifice, obtinuit à Patrono, & Pontifice, vt ius ſuæ præſentationis, aut expectatiuæ in alium transferret, quærimus an poſſit pro ſimili alio iure illud commutare priuata authoritate.

Reſpond. committi Simoniam in ea permutatione, quia iſta ſunt iura connexa beneficiis, & ex eorum commutatione ſequitur virtualiter, & implicitè ipſorum beneficiorum commutatio, quæ tanquam Simoniaca prohibetur. Neque dum fit facultas transferendi in alium expectatiuam, concedit ſuperior facultatem commutandi cum alia, niſi illud exprimat, ſed gratis in fauorem alterius renuntiandi. 2

Secundo quæritur, an qui habet literas Apoſtolicas, vt ſibi de aliquo beneficio prouideatur, poſſit ipſis renuntiare eo pacto, vt ſibi aliquod beneficium, aut penſio donetur, abſque Simonia. Hic caſus eſt *in cap. Ad audientiam. 2. de Reſcriptis.* vbi nullam Simoniam agnoſcunt Flamin. *lib. 14. de Reſignat. quæſt. 7. num. 25.* Azor. 2. *par. Inſtit. moral. lib. 7. cap. 27. quæſt. 9.* Barboſa *in cap. cit. ad audientiam*; Immò Gloſſa. *ver. Renuntiantes.* ait, per has litteras nullum Ius *ſpeciale* (Panormit. autem, Felin. Anton. Domini. & alij legunt *ſpirituale*) acquirij; 3

quiri; vnde etiam fiat, vt quis licitè his litteris renunciet pro commodo temporali. Quam gloſſam idcircò mirabilem dicit Panormitan. & nunquam obliuioni tradendam, eam tamen reiicit, ſicut & DD. citati, quia licet hæ literæ non propriè conferant ius, dam tamen aliquod, vt loquitur Panormit. præparatorium ad beneficium obtinendum: nam, vt exponit latiùs Felin. *in illud cap. num.* 12. acquiritur ius implorandi executores, vt mandatum Apoſtolicum exequantur; quæ non executio, & reſiſtentia ponitur tanquam inobedientia; vnde vides, hoc Ius tendere ad acquiſitionem beneficij, & vel ſpirituale eſſe, vel ſpirituali annexum, ſicut patroni præſentatio eſt aliquid ſpirituali annexum, quia præparat viam ad inſtitutionem, quæ eſt aliquid ſpirituale obtinendum. Itaque certum eſt hanc renuntiationem literarum Apoſtolicarum non poſſe fieri pro commodo temporali ſine Simonia, ſicut neque ex pacto annuæ penſionis temporalis, vt *in idem cap.* obſeruat, Hoſtienſ. ſi autem ſpiritualis ſit penſio, vel beneficium eſt, vel eius naturam imitatur; quare de ea erit eadem quæſtio, quæ de commutatione cum beneficio. Neque dicas *in cap. ad Audientiam.* Pontificem non reprobare hanc renuntiationem ex eo, quò facta fuerit cum penſione, ſed quia id non fuerat expreſſum in aliis literis ad beneficia impetratis. Nam primo reſpondet Panormit. non conſtitiſſe Pontifici, quomodo fuiſſet illa penſio impoſita, an ex pacto renuntiandi literis Apoſtolicis, an verò poſt factam eam renuntiationem gratitudinis cauſa ab Eccleſia, & Epiſcopo aſſignata fuiſſet. ſecundo ſatis improbat, totam iſtam negotiationem Pontifex, cùm renunciationem iſtam, litterarum venditionem nominat, *poſt literas*, inquit, *taliter venditas*, id eſt, quibus ex tali pacto obtinendi beneficij, aut penſionis fuerit renuntiatum. Itáque interpretatur Hoſtienſ. & Alagona in Epitome.

4 Dico igitur, hanc renuntiationem literarum Apoſtolicarum pro beneficio, vel penſione, eſſe Simoniacam; quia licet nullum aliud ius, quàm præparatorium ad beneficium conferant (quod vnum voluerunt, qui cum Gloſſa dixerunt, nullum ius ſpeciale acquiri, quibus adhæſit Reginald. *lib.* 30. *praxis. tract.* 3. *numer.* 270. illud tamen ius qualecunque tandem ſit, eſt in ordine ad beneficium, & ſpirituali annexum, ac proinde ſi cum penſione, quæ aliquid temporale eſt, commutetur, iam committetur Simonia Iuris diuini; ſi verò cum beneficio, aut cum penſione ſpirituali beneficij naturam imitante, commutetur quia, beneficij commutatio prohibita eſt tanquam Simoniaca, iſta quoque Simoniaca erit. Præterea nomine commutationis beneficij ſignificantur, vti diximus, omnia, quæ neceſſariò connexa ſunt cum acquiſitione beneficij; vnde etiam fit, vt neque duo eiuſmodi iura, aut renuntiationes litterarum Apoſtolicarum de prouiſione ſuper aliquo beneficio, poſſint inuicem permutari; quod vnum fortaſſis volunt, qui hanc renuntiationis literarum Apoſtolicarum permutationem, licitam eſſe voluit.

Neque dicas, quemlibet poſſe priuata authoritate renuntiare eiuſmodi litteris, ac proinde poſſe quoque commutare cum alio; non poſſe autem renuntiare beneficio, idcó-

que non poſſe illud commutare. Nam idem dicam de quocũque iure ad beneficium ex præſentatione, electione, aliiſve ſimilibus actionibus; eiuſmodi enim iuribus quilibet renuntiare poterit ex Lamb. *lib. 3. de Iure patronatus quæſt. 5. art. 5.* Nauarr. *in cap. ſi quando. de Reſcript. except. 6. num. 3.* Flamin. *lib. 7. de Reſignat. quæſt. 1. num. 76.* Garc. *par. 11. de beneficiis. cap. 3. num.* 274. qui alios dabit; nihilominus hæc iura non ſunt inter ſe commutabilia, vti oſtendimus. Ratio igitur efficiens Simoniacam commutationem horum Iurium, ſicut & ipſorum beneficiorum non petitur ex eo, quod nullus poſſit à ſe ius illud, aut beneficium abdicare, & in alium transferre; inde enim hæc commutatio fieret nulla, non tamen Simoniaca; ſed quia ea commutatio prohibetur ad vitandam Simoniam, & tanquam Simoniaca habetur ex lege Eccleſiaſtica.

CONSECTARIVM VIII.

An ſuperioris authoritas abſtergat Simoniæ labem à commutatione beneficiorum.

1. DICO primo commutationem beneficiorum ſuperioris authoritate factam minimè Simoniacam eſſe. Ita DD. communiter locis inferiùs allegandis. Et probatur primo quia hæc commutatio non eſt Simoniaca ex natura ſua, neque ex Iure diuino, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico, quod intuitu Religionis, & ad vitandam Simoniæ ſuſpicionem, ac periculum, eam prohibet, damnátque tanquam Simoniacam, vt oſtendimus in noſtra propoſitione: ergo quotieſcunque tolletur ea prohibitio per authoritatem ſuperioris, tolletur quoque Simonia, quæ per eam duntaxat prohibitionem fuerat inducta, vti contingit in cæteris omnibus, quæ tantùm mala ſunt, quia prohibita. ſecundo commutationes iſtæ dum fiunt authoritate ſuperioris, probantur in Iure *cap. inter cætera. de præbendis cap. Cum vniuerſorum. de rerum permutat.* dicitur, non potuiſſe duos quoſdam Clericos per ſe ſua beneficia Eccleſiaſtica permutare; vnde colligit gloſſa, eam commutationem fieri non poſſe ſine authoritate ſuperioris. *cap. vnic. eod. tit. in 6.* Bonifaci. ita probat reſignationem factam in manibus Epiſcopi cauſa permutationis, vt nolit ex æquitate Iuris eam permutationem per expectatiuas impediri; ita vt qui habet gratiam expectatiuam à Sede Apoſtolica beneficij primò vacaturi, non poſſit ſibi poſtulare beneficium vacans ex reſignatione facta in manibus Epiſcopi cauſa permutationis, ſed permutatio ſuum habebit effectum, & conferetur beneficium, vti poſtulat ea permutatio; quæ vti obſeruat ibid. Gloſſa fauorabilis eſt reſpectu expectatiuarum, quæ ſimpliciter odioſæ ſunt, & idcircò tandem à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 19. de reformat.* ſublatæ: vbi etiam obſerno, eam permutationem cum reſignatione in manibus Epiſcopi, dici factam *ſecundum formam Iuris*. Itaque dum authoritate Epiſcopi fit eiuſmodi permutatio, *ſecundum formam Iuris fit*. Igitur neque illicita, neque Simoniaca eſt. Denique *Clem. vnic. de rerum permutat.* iubetur beneficia vacantia permutationis cauſa ſolis compermutantibus dari; & omnis collatio facta alteri irrita, & inanis pronuntiatur.

DICES,

2 DICES. *cap. Quæſitum. de rerum permutat.* traditur tanquam certa, & vniuerſalis Regula commutationes præbendarum de Iure fieri non poſſe, præſertim pactione præmiſſa: licere tamen Epiſcopo, perſonam, ſiue Beneficiatum, & Præbendatum ab vno loco in alium transferre, quoties ita Eccleſiæ vtilitas poſtulabit.

Ex quibus colligi videtur, nunquam licitam eſſe permutationem beneficiorum, ſed ſolam tranſlationem; atque ita eſſe intelligendam commutationem, quoties probari videtur in Iure, nimirum eam, quæ fiat per modum tranſlationis.

Reſpondeo permutationem, & tranſlationem beneficiorum in Iure ſemper diſtinctam fuiſſe, vti patet ex diuerſis titulis, in quibus de vtraque ſeorſim agitur, eſtque apertum ipſarum diſcrimen ſpectata cuiuſque natura, in commutatione enim eſt contractus reciprocus, & mutua exhibitio vnius rei pro alia, vti *ex ff. & C. de rerum permutat. l.* 1. dicitur, atque adeò compermutantium conſenſus, & cōuentio neceſſaria eſt *l. ex placito. C. eod. tit.* ab eóque conſenſu tum initium, tum robur accipit: at verò tranſlatio eſt vnius perſonæ ex vno beneficio ad aliud legitimè facta per ſuperiorem mutatio, vt colliges *ex cap. ſcias frater, & ſequenti.* 7. *quæſt.* 1. & ex toto titulo *de translat. prælat.* neque eſt neceſſariò reciproca, ſed ſæpiùs vnius tantùm ad beneficium vacans: fieri quoque poteſt aliquando inuitis poſſeſſoribus, nec requirit conſenſum, & conuentionem partium, cùm in ea nullus omninò contractus reperiatur, qui naſci, & firmari ex ea conuentione debeat: quis igitur dicat Iura, & Pontifices res vſque adeò diuerſas vno eodémque nomine in communi loquendi vſu, atque in legibus ferendis ſignificaſſe, atque ita perpetuam errandi occaſionem præbuiſſe; & dum abſolutè de permutatione beneficiorum *ſecundum formam Iuris facta*, id eſt, authoritate Epiſcopi loquuntur, ipſos de impropria quadam tantùm permutatione, & tranſlatione, quæ adeò, vti vidimus, à permutatione diuerſa eſt, agere. Cùm igitur in tam multis locis eiuſmodi commutationes PP. approbent, nullus dubitare poteſt, quin eæ ſint licitæ, & non ſolùm tranſlationes.

Ad *cap. autem. Quæſitum.* quod diſertè negat commutationes præbendarum de Iure fieri poſſe. Reſpondeo primo ipſum loqui de commutatione, quæ fit authoritate priuata, & inconſulto ſuperiore, quia de illa quærebatur; Cùm enim in Concil. Turonenſ. quod ibi allegat Vrbanus, definitum fuiſſet, dignitatum permutationem illicitam, & Simoniacam eſſe, dubitabatur, an ea prohibitio ad præbendas extendenda eſſet, an potiùs, quia odioſa erat, reſtringenda videretur. Deinde præbenda non eſt, niſi quæpiam portio bonorum Eccleſiaſticorum ſpirituali miniſterio aſſignata, ac proinde non niſi quidpiam temporale, vel certè ius percipiendi aliquod temporale, ideóque videbantur, poſſe propria authoritate, ſicut alia bona temporalia permutari, cùm neque in ea permutatione Simonia fingi poſſet, quæ non committitur niſi circa ſpiritualia, neque quidpiam contra aliam legem peccaretur; prohibitio enim de non alienandis bonis Eccleſiaſticis non violabatur, quandoquidem præbendæ eædem 3

ſemper

ſemper in eiuſdem Eccleſiæ dominio perſiſtebant. Exiſtimari itaque poterat hæc permutatio præbendarum licita omninò eſſe, quod negat Vrbanus, eò quod pactio circa ſpiritualia, & ſpiritualibus connexa contineat labem Simoniæ, ad quam vitandam Ius prohibeat commutationes præbendarum, nempe illegitimas, & propria authoritate; quæ enim fiunt authoritate ſuperioris, à Iure permittuntur, vti oſtendimus.

Secundo dico, Vrbanum hanc permutationem, quæ fit authoritate ſuperioris, quia non perficitur ſolo partium conſenſu, ſed totam ſuam vim habet à ſuperioris authoritate, qui eam approbat, & à collatore, qui beneficium reſignatione vacans confert vtrique commutanti, vt ſtatim dicam, noluiſſe appellare permutationem, quæ & in aliis omnibus non requirit niſi partium conſenſum; ab eóque totum ſuum robur accipit; ideóque eiuſmodi veras, & propriè dictas permutationes negat in beneficiis repetiri, quod & nos in eo ſenſu fatemur, eò quod præter conſenſum partium, exigamus authoritatem ſuperioris, qui illi conſenſui non tantùm vim dat, ſed etiam ipſemet actione diſtincta à permutatione beneficia commutata confert; in omni enim iſta permutatione, requiritur conſenſus partium, & reſignatio vtriuſque facta reciprocè in fauorem alterius in manibus ſuperioris, per quam reſignationem vacant beneficia, quæ deinde à collatore conferuntur vtrique commutanti. Itaque vides, commutantes beneficia non ſibi inuicem conferre beneficia, ſicut in aliarum rerum commutationibus, commutantes ſibi mutuò tradunt res permutatas, earúmque dominium; Eas autem commutationes prohiberi in beneficiis certum eſt, indéque factum eſt, vt permutatio beneficiorum, quandóquidem tum licentiam reciprocè renuntiandi in fauorem alterius ſuo beneficio requirit, tum eius præterea collationem, potiùs tranſlatio quædam, quàm mutatio videatur: quia tamen partium illum conſenſum, & conuentionem includit, & non niſi ex ea conuentione fit deinde collatio; idcircò poſteriora Iura illam ſapienter à tranſlatione diſtinxerunt.

Reſpondeo tertio nondum fortaſſis ætate Vrbani III. inductam fuiſſe eam permutationem beneficiorum, quæ à voluntate permutantium ita pendet vt teneatur ſuperior, in cuius manibus permutantes reſignant ſua beneficia, illa ſolùm commutantibus conferre; vti deinde Innocent. III. *cap. Cum vniuerſorum. de rerum permutat.* Bonifác. *cap. vnic. eod. tit. in 6* & Clem. *in Clemen. vnic. eodem quoque titulo*, conceſſerunt. Quarè mirum non fuerit, ſi tunc temporis negabat Vrbanus ſolas tranſlationes beneficiorum de iure licitas eſſe, non autem permutationem, cùm poſt reſignatum beneficium in fauorem alterius, qui in tui fauorem ſuum quoque reſignauerat, liceret Epiſcopo illa beneficia tanquam vacantia, cui vellet, conferre. Vnde etiam Bonifaci. *capit. cit.* dixit, de rigore Iuris deberi habenti expectatiuam.

Dico ſecundo nullum planè beneficium, aut præbendam ſine ſuperioris authoritate commutari poſſes, alioquin incurri Simoniam, contra Innocent. *in cap. Quæſitum.* relatum à Gloſſa *ibid. ver. Epiſcopus.* 4

qui

qui voluit præbendas vniformes in eadem Eccleſia, id eſt, non deputatas diuerſis miniſteriis propria authoritate permutari inuicem poſſe, modò collatio præbendæ non pertineat, inquit, ad inueſtituram alicuius, quia tunc eius conſenſus poſtulandus erit. Itaque ex Innocent. duo Canonici ſuas præbendas inuicem permutare poterunt; quod volunt quoque Cardin. *ibid. numer.* 4. & Imol. *num.* 8. ſi agatur de ipſis præbendis præciſè, quæ ſunt quidpiam temporale, non autem de titulis, quia ſunt ſpirituales. Noſtra nihilominus ſententia, quam Hoſtienſ. Panormit. Antoni. Butri, & cæteri omnes *in idem cap.* docent; quibus accedunt Angel. *ver. permutatio. num.* 4. Tabien. *ver. beneficium.* 3. *num.* 15. Barboſ. *in Collectan. ad cap. Quæſitum.* Suar. *lib. de Simon. cap.* 32. *num.* 16. certiſſima eſt, quia *in cap. Quæſitum*, traditur vniuerſaliſſima Regula, *Generaliter itaque teneas, quod permutationes præbendarum de Iure fieri non poſſunt*; neque quidquam eſt in illo textu, vnde colligat Innocent. exceptionem aliquarum præbendarum, quod enim ſint vniformes in eadem Eccleſia, id non tollit ab iis rationem præbendæ, tamque opus eſt noua collatione in ea commutatione, quàm ſi præbendæ eſſent diſformes in eadem Eccleſia, aut in diuerſis, licet in his poſtremis videatur fieri aliqua tranſlatio à loco ad locum, aut à munere ad munus; Verùm non agimus modò de tranſlatione, ſed de permutatione, ſiue cum illa ſit aliquando neceſſariò coniuncta tranſlatio, ſiue non. Cùm itaque in præbendis omnibus duo tantùm ſpectari poſſint, primum eſt titulus, alterum præbenda temporalis; primum illud commutari propria authoritate nequit, ad id enim opus eſt, vt priuet quis ſuo ſe titulo, & beneficio, & illum alteri conferat, à quo viciſſim titulum alium accipiat, atque ita ſe ipſum inueſtiat, quod fieri non poteſt, vt patet defectu poteſtatis collatiuæ, & prætereà cùm in eo conſiſtat vera commutatio beneficiorum, & circa ipſa pactio prohibeatur, committitur omninò Simonia. Quod ſi præbendam temporalem conſideremus, neque illius commutatio ex priuata ſolùm pactione fieri poterit contra Cardin. & Imol. quia cùm ſint connexæ ſpiritualibus titulis, ipſarum adhuc permutatio prohibetur in Iure, vti diximus. Deinde deberent ſeparari in ea permutatione à ſuis titulis, quandoquidem illi non permutantur; atqui ea ſeparatio priuata authoritate fieri nequit, cùm ſolus titulus, & miniſterium ſpirituale, ad quod quis ratione illius tituli tenetur, conferat ius ad fructus præbendæ percipiendos: quod ſi fiat ſola permutatio fructuum præbendæ ad vſum, vel vſumfructum, licita erit, ſicut eorundem fructuum venditio, & locatio: ſed de hac permutatione non diſputamus.

Dico tertio ſuperior, cuius authoritas neceſſaria eſt, ne commutatio beneficiorum Simoniaca exiſtat, eſt ſolus Epiſcopus, aut alius habens Iuriſdictionem Epiſcopalem; quæ omnia ſingillatim oſtendo. 5

Atque in primis, hunc ſuperiorem eſſe Epiſcopum, manifeſtè colligitur ex *cap. Quæſitum. de rerum permutat.* atque ex *cap. vnic. eod. tit. in 6.* & *Clement. eadem*, & conſentiunt vulgò DD. in ea Iura, atque alij apud Garci. 11. *part. cap.* 4. *numer.* 60. Tuſch. *litt. P. conc.* 304. &

& alij. dubitat quidem Flamini. *lib.* 5. *de Reſignat. quæſt.* 6. *num.* 231. eò quod Pius V. *in conſtitut. ſua* 42. *quæ incipit*, *officium*, quam an. 2. ſui Pontificatûs edidit, ſuſpendat omnes facultates ordinariorum admittendi quaſcunque reſignationes beneficiorum, donec certus modus, & forma præſcribatur; quod deinde præſtitit *conſtitut.* 58. quæ incipit, *Quanta Eccleſia*, an. 1568. Kalend. Aprilis an. 3. Pontificat. idem docuit Mandoſ. *de ſignatura gratiæ. tit. de permutat. ſub fin.* Verùm ipſiſſima verba poſterioris huiuſce conſtitutionis, quam integram recitat Flamin. has reſignationes cauſa permutationis admitti permittunt, modò quæ in Iure ſanciuntur, hac in parte obſeruentur. *Ad hæc*, inquit, *beneficiorum*, *& officiorum permutationes admittere*, *quæ Canonicis ſanctionibus*, *& Apoſtolicis conſtitutionibus permittuntur.* Itáque meritò ſenſit Tuſch. *lib.* 2. *de viſitat. cap.* 28. *num.* 22. Zerola *in praxi. ver. Renuntiatio.* §. 3. *dub.* 1. Vgolin. *de Simon. Tab.* 1. *cap.* 27. §. 3. *num.* 2. & *lib. de officio Epiſco. cap.* 50. §. 19. *num.* 1. Azor. 2. *par. lib.* 7. *cap.* 19. *quæſt.* 5. *& cap.* 29. *quæſt.* 16. Quaran. *in Bullar. ver. beneficior. permutatio.*

Nomine porrò Epiſcopi intelligo eum omnem, qui Iuriſdictionem Epiſcopalem habet, ille enim præbere poterit authoritatem permutationibus beneficiorum, quæ in ſuo territorio ſita ſunt. Ita paſſim omnes *in cap. Quæſitum.* Rebuff. *in praxi. tit. de permutat. num.* 20. Azor. *lib. cit. cap.* 29. *quæſt.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 196. Suar. *lib. de Simon. cap.* 32. *num.* 14. Ferdinand. *tractat.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 15. *numer.* 5. Ratio eſt, quia quotieſcunque aliquid conuenit Epiſcopo, aut alicui alteri propter officium, & Iuriſdictionem ordinariam, non autem propter dignitatem, cui alligata eſt ea Iuriſdictio ordinaria, conuenit omnibus aliis, qui habent ſimilem Iuriſdictionem ordinariam, qui eodem nomine communi deſignantur, cùm igitur iſta approbatio permutationis beneficiorum debeatur Epiſcopo ratione ipſius Iuriſdictionis, conueniet quoque omnibus, qui eandem Iuriſdictionem ordinariam obtinebunt ſiue ex priuilegio, ſiue ex Iuris diſpoſitione, ſiue ex legitimè præſcripta conſuetudine, & Epiſcopi nomine intelligentur, vti latiùs diximus alibi.

6 Tota difficultas eſt, an ſolus ille, qui habet Iuriſdictionem Epiſcopalem, poſſit præbere authoritatem permutationi beneficiorum; an verò id quoque fieri poſſit ab aliis, qui etſi ea Iuriſdictione careant, habent tamen Ius reſtituendi, aut deſtituendi ad ea beneficia, vtpote ad quos collatio, ſeu inſtitutio pertineat; quod in noſtra concluſione negauimus cum communiſſima ſententia, cuius authores fusè recenſet Garc. *cap.* 4. *cit. num.* 68. quibus adhæſit Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. & Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 12. *num.* 7. contra Sylu. *ver. permutatio.* 2. *quæſt.* 2. Angel. *eod. ver. num.* 5. Soto *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 5. *art.* 2. *& quæſt.* 7. *art.* 2. Ferdinand. *tract.* 13. *diſput.* 6. *par.* 2. §. 3. *num.* 2. *& tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 15. *num.* 6. neque improbabilem exiſtimat Suar. *cap.* 32. *cit. num.* 14. ſi ſolius rationis vis attendatur, quamuis à noſtra ſententia vtpote communiſſima recedendum non eſſe in praxi moneat. Sanè ſi textum Iuris attendamus, nulli reperitur facta poteſtas approbandi permutatio

mutationes beneficiorum præterquam Epiſcopis, quo nomine non poſſumus intelligere niſi vel Epiſcopos, vel habentes Iuriſdictionem Epiſcopalem, aut ex Iure communi, aut ex priuilegio, aut denique ex præſcripta conſuetudine, non verò vllos alios inferiores Prælatos, etiamſi collationem, & inſtitutionem beneficij habeant; alioquin quidquid Epiſcopis circa beneficia tribuitur à Iure, id quoque pertineret ad quoſcunque eorundem beneficiorũ collatores, quod nemo dixerit.

Vrget Ferdinand. Prælatum, ad quem ſpectat collatio beneficiorum, habere ea ex parte Iuriſdictionem Epiſcopalem, quia beneficiorum collatio propria eſt Epiſcopi. *c. omnes Baſilicæ.* 19. *q.* 7. nomine igitur Epiſcopi hoc loco rectè intelligi poſſunt.

Reſpondeo quoties pars aliqua Iuriſdictionis Epiſcopalis alicui communicatur, illum non ſignificari nomine Epiſcopi, niſi in illo ipſo caſu, pro quo illi talis Iuriſdictio communicatur: quarè dum agitur de collatione beneficij, nomine Epiſcopi intelligetur omnis ille, qui Iuriſdictionem Epiſcopalem habebit in beneficij collatione, non autem in aliis, quæ ad beneficia ſpectabunt; cùm enim iſta communicatio poteſtatis Epiſcopalis contra Ius commune odioſa ſit, reſtringenda erit potiùs, quàm amplianda; alioquin ſi in iure nomine Epiſcopi intelligitur ille omnis, qui quamcúnque vel minimam partem eius Iuriſdictionis participat; magna confuſio orietur: præterquam quod nego collationem beneficij eſſe ampliùs propriam Iuriſdictionis Epiſcopalis, quandoquidem ex Iure communi, iam pluribus aliis nullam Iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus communicata fuit; quare licet aliquando propria fuerit Epiſcoporum, nunc communis ipſis cum aliis eſt. Denique hæc commutatio, de qua agimus, non eſt ſola collatio, ſed præter eam aliquid aliud includit: nam in ea eſt primo reciproca reſignatio ex cauſa permutationis, & cum obligatione ita reſignandi, Titius v. g. reſignat ſuum beneficium in fauorum Caij, qui viciſſim obligatur ſuum reſignare in fauorem Titij; vnde oritur ſecundo obligatio collatori, ea beneficia, quæ iam per reſignatiónes factas vocant, non conferre aliis, quàm iſtis compermutantibus. tertio ſequitur ipſa collatio; ex quibus, neque collationem ipſam beneficiorum, neque obligationem ea conferendi certis perſonis, & non aliis, eſſe permutationem, quæ eſt contractus permutationem, ſed eſſe tum effectum quendam illius contractus, tum ipſius executionem, ac proinde complementum illius: permutatio verò hoc loco eſt propriè loquendo pactum mutuæ, & reciprocæ reſignationis, aut potiùs reciproca reſignatio, vel denique reſignatio beneficij cum obligatione reſignatarij, vt reſignet ſuum quoque beneficium ſibi reſignanti aliud. Ad hanc igitur pactionem obligantem ad reciprocam reſignationem, & ad ipſam reſignationem mutuam in fauorem compermutantis, vt legitima ſit, & omnem Simoniæ ſuſpicionem vitet, ex eáque naſcatur obligatio in collatore non aliis conferendi illa beneficia reſignata, & per eiuſmodi reſignationem vacantia, quàm ipſiſmet compermutantibus, exigunt Iura authoritatem Epiſcopi, aut habentis Iuriſdictionem Epiſcopalem. Accedit, quòd hæc permutatio ferè ſit coniuncta cum tranſla-

tione perſonarum tum quoad loca, tum quoad munera, hæc autem tranſlatio, cùm plurimùm interſit Eccleſiæ, ad Epiſcopum pertinet; vti obſeruant DD. *in cap. niſi cum pridem. de Renuntiat.* mirum itaque non eſt, ſi Eccleſia ad licitam beneficiorum permutationem conſenſum, & authoritatem Epiſcopi requiſierit, præter quam, vt permutatio ſortiatur ſuum effectum, & mandetur executioni, exigitur conſenſus collatoris, ipsáque collatio: quare quoties collator diſtinctus fuerit ab Epiſcopo, neceſſaria erit approbatio Epiſcopi, vt ipſe collator deinde legitimè conferat beneficia permutata compeſmutantibus, ad eámque collationem obligetur. Et ſanè fatentur omnes, vti iam monui ſuperiùs, docétque Garc. *cap. 4. cit. num.* 85. præter admiſſionem reſignationis neceſſariam eſſe collationem; immò addit Garc. *num. 86. &* 87. non ſufficere, ſi præſentibus permutare volentibus, & petentibus renuntiationem admitti, atque fieri collationem, Epiſcopus dicat, placet; ſed prætereà requiri expreſſam renuntiationem, & collationem; & ſanè petitio cedendi non eſt ceſſio, vti colligitur ex *cap. Quidam. de Renuntiat.* denique reiicit Garcias Gonzalem, qui exiſtimauit admiſſionem renuntiationis ex cauſa permutationis eſſe tacitam collationem. Cùm igitur approbatio permutationis, ſiue reſignationis ex cauſa permutationis, & collatio beneficij ita reſignati, ſint duæ diſtinctæ actiones, mirum non eſt, ſi ex diuerſa poteſtate oriantur, & aliquando fiant à diuerſis perſonis.

Ex quibus ſolues, quæ afferuntur ex *cap. vnic. de rerum permutat. in 6.* vbi habentur hæc verba. *Qui ſecundum formam Iuris ſua beneficia in eadem diaceſi ad tuam collationem ſpectantia, permutare volentes liberè, & ſine fraude in manibus tuis ipſa reſignent.* Vnde colligunt aduerſarij, beneficia non eſſe reſignanda in manibus Epiſcopi, quando illorum collatio ad ipſum non ſpectat; quia tota cauſa, propter quam ea reſignatio fieri imperatur à Pontifice, eſt, quia illa beneficia conferri debebant ab Epiſcopo, & ſine ipſo neque beneficium abſolutè reſignari, neque aliud obtineri poterat: quod ſi fieri poſſit, vti reuerà poteſt, quando collatio, vel inſtitutio ad alium quendam, quàm ad Epiſcopum pertinet, non erit neceſsè reſignationem iſtam apud Epiſcopum fieri. Verùm iam negani idcircò approbandam eſſe ab Epiſcopo reſignationem ex cauſa permutationis, quia ille beneficia ita reſignata conferre debet; ſed vt vitetur omnis ſuſpicio Simoniæ, Eccleſia ad eam reſignationem, & permutationem poſtulauit Epiſcopi authoritatem; vbi autem ille probauerit talem reciprocam reſignationem, collator ſiue ſit Epiſcopus, ſiue quis alius, tenebitur ea beneficia compermutantibus conferre. Bonifacius autem in illa ſua decretali narrat duntaxat factum, de quo agebatur, vnde nihil planè colligi aduersùs nos poteſt.

Dico igitur quarto ad permutanem beneficiorum præter authoritatem Epiſcopi requiri conſenſum collatoris, eorúmque omnium, ad quos ea pertinet, ſicut & electio, & præſentatio, quia illorum omnium intereſt. Ita gloſſa *in cap. vnic. de rerum permutat. in 6. ver. collationem,* alijque communiter relati à Garc. *cap. 4. cit. num.* 74. non placet tamen, quod ait ibid. Garc. omnia

iſta

iſta expedienda eſſe per Epiſcopum; exiſtimo enim cum Suare remittendam eſſe collationem collatori, quoties erit diuerſus ab Epiſcopo, & non tantùm eſſe illius conſenſum poſtulandum, quod vidit Suarez *cap.* 32. *num.* 14. ſi tamen collator nollet aut conſentire, aut conferre, vrgeri, & obligari poſſet ab Epiſcopo, atque tunc valeret communis illa ſententia Garciæ, nimirum ipſum omnia poſſe expedire, vt permutatio ab ipſo approbata ſortiretur effectum.

CONSECTARIVM IX.

Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

1 Ex his efficitur primo Epiſcopum non poſſe admittere reſignationem ex cauſa permutationis beneficiorum Papæ reſeruatorum; vnde ſemper pro collatione recurrendum erit ad Pontificem, cui fuerunt reſeruata. Ita Flamin. *lib.* 7. *quæſt.* 14. *num.* 6. Frideric. de Senis, Lapum & aliquot Rotæ deciſiones allegans, & *lib.* 2. *quæſt.* 16. *num.* 2. alios refert, neque ſibi contrarius eſt, dum ſubiicit *n.* 4. permutationes beneficiorum reſignatorum non poſſe fieri coram ordinariis, quia non poſſunt ea beneficia conferri, intelligit enim de permutatione perfecta, quæ collationem includit. Idem tradit Barboſa. *de poteſtate Epiſcop. allegat.* 69. *num.* 23. & 25. contra Garciam; & alios ab ipſo adductos 11. *par, cap.* 4. *à nu:* 82. qui tamen videntur loqui de ipſa permutatione adæquatè ſumpta, & includente collationem, quam certum eſt ab alio quàm à Pontifice, cui ea beneficia reſeruata eſſe ſupponuntur, fieri non poſſe; neque aliud probant, quæ ex variis DD. ibi congerit Garcias. addit verò Flamin. *quæſt.* 14. *cit. num.* 13. poſſe has reſignationes ex cauſa permutationis ſuſcipere etiam in menſibus, in quibus collatio ſpectat ad Cardinalem ratione indulti: immò etiamſi permutatio fieret in Curia Romana, modò ea beneficia ſint in ſua diæceſi, non poterit tamen ea conferre, quia cùm tunc vacent in Curia, reſeruantur Pontifici. Ita Flamin. *quæſt. cit. numer.* 23. Couarru. *lib.* 3. *variar. cap.* 20. *num.* 8. Barboſa. *allegat.* 69. *de poteſtat. Epiſcop. numer.* 22.

Secundo quando beneficia permutata ſunt in diuerſis diæceſibus, vtriuſque Epiſcopi conſenſus neceſſarius eſt, tum quia neuter habet collationem duorum illorum beneficiorum; tum quia vnus nequit admittere reſignationem beneficij alterius diæceſis. Barboſ. *allegat.* 69. *numer.* 10. *de poteſtate Epiſcopali*, aliique communiter apud Garc. *cap.* 4. *num.* 66. cum Gloſſa *in cap. vnic. de rerum permutat. in* 6. 2

Tertio Epiſcopus habens ex conſuetudine, vel priuilegio ius conferendi beneficium in aliena diæceſi, non poteſt illius reſignationem ex cauſa permutationis accipere. Garc. *cap.* 4. *num.* 71. allegans Rotam *deciſ.* 398. *in nouis de rerum permutat.* Ratio euidens eſt, quia ad præſtandam authoritatem eiuſmodi reſignationi, ſiue permutationi non ſufficit ius collationis, vti diximus. 3

Quarto Vicarius Generalis non poteſt admittere iſtas renuntiationes cauſa permutationis, etiamſi habeat mandatum ſpeciale conferendi beneficia ex communi apud Garc. *cap.* 4. *num.* 74. quia cum Vicarius non habeat aliam poteſtatem, quàm quæ illi committitur, & ſoleat iſta facul- 4

tas admittendi reſignationes, ſicut & conferendi beneficia ſingillatim, & ſeorſim exprimi, niſi ea expreſſa fuerit, reuerà non intelligitur fuiſſe conceſſa, vt obſeruat Rebuff. *in forma vicariat. num.* 104. Immò ſi habeat poteſtatem admittendi reſignationes beneficiorum ex cauſa permutationis, nequit tamen ea beneficia conferre, & ſi poſſit conferre, non tamen admittere talem reſignationem, niſi vtrumque exprimatur, vti num. ſequentibus ait Rebuff. cui malè repugnat Ferdinand. *tractat.* 13. *diſputat.* 6. *punct.* 2. §. 3. *num.* 4.

5 Quinto ex dictis definies quoque vulgarem quæſtionem, an capitulum poſſit ſede vacante admittere reſignationes cauſa permutationis; diſtinguendum enim eſt, nam vel collatio beneficiorum reſignatorum pertinebat ad Epiſcopum ſolum vel ad capitulum ſiue ſolum, ſiue vnà cum Epiſcopo, vel ad quemlibet alium tertiū. Deinde vel loquimur de ſola admiſſione reſignationis, eiúſq; approbatione ſufficienti ad obligandum collatorem, vt beneficia ſic reſignata conferat compermutantibus, & non aliis; vel de permiſſione permutationis adæquatè ſumptæ, & cum effectu, quo modo continet ipſam collationem, vti diximus.

Quando igitur collatio beneficiorum pertinet ad capitulum ſolum, vel ad ipſum vnà cum Epiſcopo, poteſt admittere renuntiationes cauſa permutationis etiam adæquatè, quia tunc habet Iuriſdictionem Epiſcopalem ad probandam eam renuntiationem, & prætereà authoritatem conferendi *ex cap. vnic. ne ſede vacante in* 6. Ita Gloſſa *in Clem.* 1. *de rerum permutat. vet. conferantur*, quam ſequuntur DD. communiter, quos laudat Garc. *cap.* 4. *cit. num.* 75. contra Bellame. *tract. de permutat. benefic.* 1. *par. quæſt.* 4. ſi verò collatio ſolius Epiſcopi ſit, poterit quidem capitulum ſede vacante reſignationes talium beneficiorum ex cauſa permutationis admittere, & approbare, licet illas perficere, & exequi non poſſit per collationem ipſam, ſed erit expectandus nouus Epiſcopus, qui eam permutationem perficiat, quod ſi nolit, vel cogetur per ſuperiorem, vel ad ſua beneficia redibunt renuntiantes, quia admiſſio renuntiationis iſtius pendet ex Iuriſdictione Epiſcopali, quam modò habet capitulum; perfectio autem permutationis pendet à Iure conferendi beneficia vacantia, in quo non ſuccedit Epiſcopo capitulum. Ita Imola. & Cardin. cum Gloſſa *in Clem. vnic. de rerum permutat.* Azor. 2. *par. lib.* 3. *cap.* 38. *quæſt.* 4 allegans Lapum, Panormit. & Felin. *in cap. Cùm olim, de Maioritat. & obedientia.* Frederic. de Senis, *de permutat. benefic. quæſt.* 56. Petrus de Peruſio 2. *par. eod. tract. de permutat. beneficior. quæſt.* 6. *num.* 23 *&* 24. *alias* 41. *&* 42. Zerola *in praxi ver. capitulum.* §. 7. Rubuffus *tit. de deuolutionib. n.* 95. Pauinus *de offic. & poteſt. capituli ſede vacante* 2. *quæſt.* 2. *par. nu.* 19. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 10. *n.* 5. contra Garc. 11. *par. cap.* 4. *num.* 75. & alios ab ipſo relatos, quibus acceſſit Ferdinand à Caſtro. *tract.* 13. *diſp.* 6. *punct.* 2. §. 3. *num.* 5.

Sexto ſingulis menſibus fieri poterit beneficiorum permutatio coram iis, qui poſſunt eiuſmodi permutationem approbare, quia deinde collatio pertinebit ad eum, qui illo menſe beneficium illud vacans conferre poterit. Ita cum pluribus Ferdinand. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 15. *num.* 7. 6

Septimo

7 Septimo ſi Epiſcopi ſua beneficia permutare voluerint, id facere debebunt authoritate ſui ſuperioris, ſiue ille Archiepiſcopus ſit, ſiue Pontifex. Ita Suarez *lib. de Simon. cap. 32. num. 9.*

CONSECTARIVM X.

An beneficium poſſit permutari cum penſione authoritate ſuperioris.

1 Non quærimus hoc loco, an, & à quo imponi poſſit beneficio penſio, & vtrum, quando reſignatio fit retenta penſione, committatur Simonia; hoc enim poſtremum definiemus inferiùs quæſt. 14. prius autem illud, vbi de penſionibus, & aliis oneribus beneficiorum diſputabimus. Nunc verò duntaxat agimus de permutatione beneficij cum penſione; Titius enim ſuum Canonicatum cedit Caio, qui illi pro tali beneficio dat penſionem Eccleſiaſticam, quam habebat; quærimus igitur, an ea commutatio ſit Simoniaca, & an ſaltem, approbante ſuperiore licitè inſtitui poſſit. Neque contendendum eſt de nomine, an ea ſit vera permutatio, quod negat Paul. Roman. *tract. de penſion. quæſt. 7. §. venio ad quæſtionem*, quia penſio extinguitur ex ſua natura per renuntiationem penſionarij, ideóque in alium träſferri nequit, ſed noua creari, atque adeò ſi Titius renunciet penſioni, quam habebat in fauorem Caij, qui ipſi ſuum beneficium ad obtinendam eam penſionem reſignat, non fit permutatio penſionis, quæ illa renuntiatione extincta fuit, cum beneficio, ſed Pontifex, qui eiuſmodi renuntiationibus annuit, & confert Titio beneficium, quod in eius fauorem Caius dimiſit, eidem Caio aſſignat penſionem ſimilem illi, cui Titius renuntiauit; ideóque contendit Roman. ne quidem Pontificem poſſe vllam penſionem cum beneficio permutare, quia nequit mutare naturam penſionis, & efficere, vt ipſa non extinguatur renuntiatione penſionarij: quæ, vt iam monui, eſt mera quæſtio de nomine, vtrum, quando Pontifex voluerit, Titius poſſideat beneficium Caij, & Caius obtineat penſionem Titij ex vtriuſque conſenſu, & ceſſione mutua in fauorem alterius, dici queat, beneficium commutari cum penſione, ſicut vulgò loquuntur DD. & rectè quidem, nam verum quidem eſt, extingui penſionem renuntiatione abſoluta, & ſimplici, non autem conditionali, eo quod nimirum in alterum transferatur., alioquin etiam non impleta conditione extingueretur, quod nemo dixerit; impleta autem conditione iam transfertur, eſtque eadem, & non alia ſimilis, quia indiuiduatio, vt ita dicam, penſionis non ſumitur à perſona, cui ſoluitur, ſed à beneficio, cui inhæret vi impoſitionis priùs factæ; cùm enim diuiſio quædam, & ſeparatio temporalis præbendæ à Iure ſpirituali talis beneficij facta fuerit, eadem diuiſio adhuc perſeuerat in fauorem alterius, qui cùm ſuum beneficium voluerit conferri illi, cuius fuerat ea penſio, & ex cuius conſenſu eam modò poſſidet, dicitur ſuum beneficium cum illa penſione commutaſſe; quæ commutatio vtrum Simoniaca ſit ex propoſitione noſtra facilè colligitur.

2 Nam primo penſio merè temporalis, qualis eſt ea, quæ Laicis datur ex beneficiis Eccleſiaſticis propter aliqua officia, vel obſequia non

ſpiritualia præſtanda, aut aliàs præſtita, nequit cum beneficio commutari; in ea enim commutatione dabitur ſpirituale pro temporali, committetúrque vera Simonia contra Ius diuinum, vti fatentur omnes DD. cum Suar. *lib. de Simon. cap.* 33. *nu.* 9. quare neque eam commutationem probare poterit Pontifex, cùm in Simonia naturali nequeat diſpenſare. Ita Cardinal. *in Clem. vnic. quaſt.* 12. *de præbendis.* atque hoc modo explicatam opinionem Romani probamus; Itáque interpretamur Boniſac. *in Clem. vnic. de rerum permutat. num.* 32. & quotquot abſolutè negarunt penſionem commutari poſſe cum beneficio, loquuntur enim de penſione temporali & Laica. Hinc fit, vt quoties Pontifex ſimiles commutationes probare videtur, reipſa non conferat penſionem tanquam pretium, & in commutationem pro beneficio reſignato in fauorem penſionarij, & cedentis ſuam penſionem, alioqui eſſet Simoniacus: neque ea renuntiatio tum beneficij, tum penſionis huius, dici debet fieri cauſa permutationis, ſed ex paterna prouidentia dat penſionem in ſuſtentationem illi, qui beneficio ſuo ceſſit; aut non vult conferre alicui beneficium, niſi renuntiet penſioni, quam habebat, eámque deinde alteri aſſignat in vitæ ſubſidium. Idcircò monet Suar. *cap.* 33. *cit. num.* 10. in illa reſignatione beneficij in fauorem penſionarij, non eſſe adhibendam clauſulam penſionis illius obtinendæ, neque ſolemnia illa verba, Non aliter, nec alio modo, ſiue, vti ait Laiman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 52. Non præcedat vlla partium pactio, ſed beneficium reſignetur Papæ in gratiam penſionarij adiuncta petitione, vt quia penſionarius non indiget penſione ſua, eam cedere iubeatur ipſi reſignanti beneficium, non in pretium quidem, aut commutationem reſignationis, ſed in ſuſtentationem: tunc enim neque commutatio fuerit ſpiritualis cum temporali, neque aliquid aliud, vnde Simonia ſuboriri queat.

3 Secundo penſio ſpiritualis in titulum beneficij erecta, cuiuſmodi ſunt omnes præſtimoniales, commutari poteſt authoritate Epiſcopi cum beneficio; quia illa penſio verè beneficium eſt, qui igitur probare & authoriſare poterit beneficiorum permutationes inter ſe, poterit quoque eaſdem commutationes inter beneficium, & eiuſmodi penſiones admittere. Ita Laman. Suar. *loc. cit.* & alij.

4 Tertio commutatio beneficij cum penſione Clericali, quia ſolis Clericis & propter miniſteria clericalia deſignatur, quamuis beneficium & ipſa non ſit, non eſt Simoniaca ex natura rei, cum in ea detur ſpirituale pro ſpirituali, ſed Iure tantùm Eccleſiaſtico, ſi fiat priuata authoritate: admitti autem poteſt ab Epiſcopo, quamuis fortaſſis ſtylus Curiæ id ſoli Pontifici permittat. Ita exiſtimant plerique apud Suar. *cap.* 33. *num.* 4. & de rigore Iuris id licitè fieri fatetur Filluc. *tract.* 45. *cap.* 8. *num.* 26. Laym. verò *loco cit.* ait duntaxat Epiſcopum non poſſe probare iſtam permutationem de Iure ordinario, nam vrgentibus aliquibus cauſis id poterit. Probatur, quia ex dictis conſect. 8. poteſt Epiſcopus probare permutationes beneficiorum; ergo & beneficij cum penſione, tum quia penſio iſta imitatur naturam beneficij, & ideò nomine illius ſignificari poteſt hoc loco, ſicut

ſicut de vicaria temporali, & aliis quibuſdam, quæ reuerà beneficia non ſunt, diximus ſuperius. Neque dicas, permutationem eſſe quid odioſum, eò quòd contineat relaxationem antiqui Iuris de vitandis pactionibus in ſpiritualibus, atque adeò quando conceditur in beneficiis, non eſſe extendendam ad ea, quæ nomine beneficij impropriè tantùm ſignificantur. Nam inde ſequeretur, neque permutationem beneficij cum vicariatu probari poſſe ab Epiſcopo, quia ea facultas permutationis reſtringenda eſt ad ea, quæ nomine beneficij propriè ſignificantur, cuiuſmodi non eſt vicariatus, aut Capellania tēporalis; Immò idem dicerem de actionibus circa beneficiorum prouiſiones, iure expectatiuarum, & aliis, quæ cùm ſpiritualia ſint, & tamen non ſint beneficia, poterunt inuicem commutari priuata authoritate, quandoquidem commutatio ſpiritualium inuicem, Simoniaca non eſt ex natura rei; Iure verò Eccleſiaſtico non prohibetur niſi in beneficiis, vti docuimus in noſtra propoſitione; vnde vlteriùs fit, vt quia iſta penſio Clericalis, de qua agimus, beneficium non eſt, eius commutatio cum alia re ſpirituali non prohibeatur prohibita commutatione beneficij, ſed quia in alium transferri ſine collatione, & ſuperioris eam imponentis authoritate nequit, non verò ratione Simoniæ. Si igitur eius commutatio cum beneficio prohibeatur tanquam Simoniaca, id erit ratione beneficij, cuius commutatio interdicitur; qui igitur poterit approbare commutationem beneficij, poterit etiam illius cum penſione ſpirituali permutationem admittere. Præterea illa antiqua prohibitio de pactionibus circa ſpiritualia, vel de pactionibus, in quibus temporale, & ſpirituale permutantur, intelligenda eſt ad ſola beneficia reſtringenda, vti monuimus in Confirmatione noſtræ propoſitionis, alioquin omnium, & quorumcunque ſpiritualium mutua commutatio prohibita fuiſſet Iure Eccleſiaſtico tanquam Simoniaca, quod negauimus cum Suar. & communiſſima ſententia. In eo igitur fuit aliquid de antiquo rigore remiſſum, quòd, commutatio beneficiorum, dignitatum, & præbendarum, quæ à Conc. Turonenſ. prorſus vetita fuerat, ita vt ſola transſlatio perſonarum ab vna Eccleſia in aliam permiſſa eſſet Epiſcopis, dum grauis aliqua cauſa ita poſtularet, nouiſſimo iure iiſdem permiſſa fuerit, inde tamen colligi nequit, conceſſam quidem fuiſſe commutationem beneficiorum inter ſe, non autem cum penſione ſpirituali, quæ vicem præbendæ, & beneficij ſubit; vnde enim habemus iſtam exceptionem, cùm ſimpliciter facta fuerit poteſtas, authoritatem tribuendi permutationi beneficiorum.

Obiicit Suar. ſequi inde, Epiſcopum poſſe approbare permutationem penſionum inter ſe, ſi penſio contineatur nomine beneficij, id tamen nullus conceſſerit, quia conſignatio, ſiue impoſitio penſionum ad Epſcopum non pertinet, ea tamen conſignatio in iſta permutatione neceſſaria eſt, ſicut in permutatione beneficiorum opus eſt noua collatione.

Reſpond. primo ſequi ex ſenten- 55
tia Suaris, quod iam indicaui, permutationem penſionum priuata authoritate factam non eſſe Simoniacam, quamuis nequeat mandari executioni, ſiue adæquatè perficiabſque

authoritate ſuperioris conſignantis, aut imponentis penſionem, vti ipſemet dicebat de collatione noua beneficiorum permutatorum. Ratio iſtius conſequentiæ à nobis allata fuit, quia ſola commutatio beneficiorum inter ſe interdicitur tanquam Simoniaca, non verò aliarum rerum ſpiritualium: atqui penſio non eſt beneficium, neque eo nomine comprehenditur in iure, dum agit de commutatione beneficiorum ex Suar. Quod ſi vrgeas in hac prohibitione commutationis beneficiorum contineri omnia, quæ ſunt ſpiritualibus conſequenter annexa, vti *conſect.* 3. probauimus, eadem ratione dicendum erit, facultatem Epiſcoporum admittendi commutationes beneficiorum extendi ad commutationem eorum omnium, quæ ſunt ſpiritualibus conſequenter annexa, in quibus penſionem Clericalem numerari nemo dubitat.

Reſpond. ſecundo permutationem penſionum, ſicut beneficiorum ſumi poſſe adæquatè, & inadæquatè; priori modo continet realem permutationem cum effectu, & includit collationem beneficiorum, & conſignationem penſionis factam compermutantibus; inadæquatè verò permutatio iſta dicit tantùm reſignationem beneficiorum, & renuntiationem penſionum ex cauſa permutationis cum obligatione, vt conferantur, vel conſignentur compermutantibus, & non aliis. Quoties igitur Epiſcopus poterit conſignare aliquam penſionem in beneficio, toties poterit adæquatè admittere permutationem illius: quando autem ea conſignatio penſionis fieri non poterit ab Epiſcopo, toties ipſe quidem admittet permutationem ipſius cum beneficio, ſed inadæquatè tantùm, nam recurrendum erit ad Pontificem, qui illam penſionem compermutanti aſſignet, non verò vt admittat renuntiationem penſionis ex cauſa talis permutationis beneficiorum, quorum collatio non pertinet ad Epiſcopum, ſed vel reſeruatur Pontifici, vel ad inferiorem aliquem collatorem ſpectat, ille enim vt perficiatur permutatio, adeundus erit, quamuis reſignatio admiſſa fuerit ab Epiſcopo, immò ab inferiore collatore admitti non potuerit.

Itaque de rigore Iuris non video, cur iſta facultas negetur Epiſcopis, quod in exemplis à Layman allatis euidens fit; Clericus enim inutilis Miniſterio ſuo præſtando, beneficium purè, & ſimpliciter in manibus Epiſcopi reſignat, qui illud Clerico penſionario confert, eáque collatione penſio eius vacat, vti contingit in quibuſdam Eccleſiis, in quibus Clericis indigentibus certæ penſiones aſſignantur ſine vllo honorarij officij onere; quidni poterit Epiſcopus illi, qui ſuum beneficium reſignarat, hanc penſionem conferre? quodſi id concedas, quidni potuerit Clericus cauſa permutationis cum illa penſione reſignare ſuum beneficium illi penſionario? Quanquam dicere poſſes, hanc penſionem valdè ad beneficium accedere, quod & ipſe fateor; reuerà tamen beneficium non eſt. Titius ratione valetudinis reſignat ſuum beneficium in manibus Epiſcopi, qui illud Caio confert reſeruata penſione Titio, qui deinde conualeſcit; Caius verò laborat, & inutilis redditur præſtando ſuo beneficio; quare Epiſcopus beneficium Caij confert Titio, & illius penſionem Caio aſſignat: quænam ea in permutatione Simonia eſt?

quamuis,

quamuis enim pactionem omnem partium excludat Layman, non video tamen, quid tunc poſſit impedire reſignationem iſtam ex cauſa permutationis, nam totum quod aſſerebat Suares, erat quòd conſignatio penſionis non pertineret ad Epiſcopum; atqui pertinet hoc in caſu, & in pluribus aliis; ergo in his omnibus poterit ille iſtas permutationes approbare, quod vnum contendimus.

Quod idem fiet, quoties quis obtinuerit à Pontifice penſionem cum poteſtate illam, in quem libuerit transferendi; etſi enim non idcircò, vt ſapienter aduertit Suar. facta fuerit poteſtas commutandi cum aliquo ſpirituali ex pacto; id tamen intelligendum eſt de pacto priuata authoritate facto, non autem de illo, quod ſuperioris authoritate formabitur; quidni & poterit in alium transferre omni modo legitimo, & non reprobato à Iure?

Non negamus tamen, ſtylum Curiæ, vt teſtatur Filluc. aliud fortaſſis ſequi; ſtylus tamen vt alibi monuimus, non facit opinionem certam, ſed tantùm probabilem, cui tamen hac in parte adhæſerunt Azor *2. par. lib.* 8. *cap.* 12. *quæſt.* 8. Vgolin. *de officio Epiſcop. cap.* 50. § 10. *num.* 4. Suar. *loc. cit.* Garc. 11. *par. cap.* 4. *num.* 18 Ferdinand. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punc.* 16. *num.* 4.

CONSECTARIVM XI.

An inæqualitas beneficiorum permutatorum compenſari poſſit abſque Simonia.

1 Beneficiorum inæqualitas duobus tantùm modis compenſari poteſt. primo pecunia, aut aliquo alio pretio temporali. ſecundo penſione impoſita beneficio pinguiori; quod vtrumque vel fiet à permutantibus ex occulto pacto, vel cum authoritate ſuperioris. Quæritur itaque, an compenſationes iſtæ ſint Simoniacæ, quod ex dictis definiam hoc conſectario.

Dico primo quoties beneficium aliquod ſuperat aliud in ſpiritualibus, quia aut maioris dignitatis, aut amplioris Iuriſdictionis exiſtit, non licet illum exceſſum pecunia, penſione, alióve quopiam temporali redimere: alioquin committitur vera, & propria Simonia contra Ius diuinum. In hanc aſſertionem conueniunt omnes, in eo enim caſu ſpirituale, in quo vnum beneficium excedit aliud, redimitur temporali, quod ad compenſandum exceſſum ſpiritualem datur; quarè manifeſtiſſima Simonia committitur, ad quam vitandam exiſtimarunt aliqui, nunquam dignius, & tenuius beneficium commutandum eſſe cum minùs digno & pinguiori, quia videtur in ea permutatione exceſſus ſpiritualis dignitatis compenſari cum exceſſu prouentuum temporalium. Sapienter tamen aduertit Suar. *cap.* 34. *lib. de Simon. num.* 3. eam permutationem, ſi nuda ſit, non eſſe Simoniacam, neque talem etiam in foro externo præſumendam eſſe, cum nemo præſumatur malus, niſi talis eſſe probetur. Neque ſanè exceſſus pinguioris beneficij ſumitur neceſſariò tanquam pretium maioris dignitatis alterius, cum quo fit commutatio, etiamſi quis non eſſet commutaturus, niſi moueretur maiori illo commodo ſpirituali; non enim idcircò intendit emere, aut vendere ſuum beneficium, quod ampliùs expli-

cabimus quæſt. ſequenti.

Dico ſecundo ne ipſum quidem Pontificem poſſe hunc exceſſum ſpiritualem compenſare pecunia, cùm Simoniam contra ius diuinum tollere nequeat niſi mutando materiam, vti ſtatim explicabo, aſſignando videlicet in ſuſtentationem, penſionem, vel etiam præſentem pecuniam reſignanti dignius beneficium, aliis profectò ex cauſis, quàm in pretium, & compenſationem maioris illius dignitatis: ſi enim penſio ad hanc inæqualitatem daretur, reuerà iam ſpirituale daretur pro temporali.

2 Dico tertio committi Simoniam Iuris diuini, quoties inæqualitas beneficiorum in prouentibus compenſatur pecunia, aliòve temporali ex pinguiori beneficio detracto, aut retento, niſi priùs exceſſus ille prouentuum, qui reperitur in pinguiori beneficio, ſeparetur à titulo ſpirituali beneficij. Hæc aſſertio conciliat diuerſas ſententias, quæ fortaſſis ſolis verbis pugnant inuicem; aliqui enim probant hanc compenſationem fructuum inæqualium tanquam omni Simonia carentem. Caiet. 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Angel. *ver. permutatio.* §. 6. Sylueſt. *eod. verbo* 2. *quæſt.* 6. Tabien. *ver. beneficium.* 3. *num.* 15. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *quæſt.* 4. Antonin. 2. *par. cap.* 1. §. 8. Soto verò *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 2. putat hanc compenſationem iure tantùm poſitiuo, & humano prohibitam. Alij autem communiter veram, & naturalem Simoniam agnoſcunt *in cap. ad quæſtiones. de rerum permutat.* Zabarell. *num.* 2. Imol. *n.* 2. & 11. Ancharan. *num.* 3. Couarr. *lib.* 1. *varia. cap.* 5. *num.* 9. Adrian. *quodlib.* 9. *art. vltim.* vbi in eandem ſententiam tradit Parnormit. *in cap. ad Quæſtion.* cui falsò Angel. & Couarru. primam ſententiam tribuerant. Vera igitur erit poſterior iſta ſententia, quamdiu fructus, qui compenſantur, beneficiales, ſiue, vt loquitur Panormitan. ſpirituales ſunt, propter connexionem nimirum cum Iure, & titulo ſpirituali; ſi autem redditus iſti deſinant per deſtructionem, & ſeparationem à titulo beneficij, eſſe ſpirituales, fiántque merè temporales, pecunia, aliòve temporali compenſari poterunt. Atque eo ſenſu vera erit doctrina Caietani, qui idcircò videtur poteſtatem Pontificiam ad hanc compenſationem exigere. Ita explicatam noſtram ſententiam diſertis verbis tradidit Leſſius 2. *cap.* 35. *dub.* 17. *num.* 101. & tandem Suar. *lib. de Simon. cap.* 34. *num.* 10. & 12. quem ſequitur Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 4. §. 12. *num.* 11. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 8. *num.* 35. & facilè à nobis oſtenditur, & quidem

Prima pars, nimirum inæqualitatem prouentuum beneficialium non poſſe compenſari pecunia in permutatione beneficiorum, colligitur ex hactenùs diſputatis; quæ enim ſunt annexa conſequenter ſpiritualibus, ſunt materia Simoniæ ex q. 6. tertia parte Regulæ vniuerſalis; atqui iſti prouentus cùm percipiantur ex Iure, & titulo ſpirituali beneficij, ſunt annexa cum aliquo ſpirituali conſequenter, vt patet, ideóque nominantur à Panormit. & ab aliis redditus ſpirituales, diſtinguuntúrque à temporalibus, qui percipiuntur ab Eccleſia alio titulo, quàm beneficij, & Iuris ſpiritualis; ſunt itaque materia Simoniæ, quare neque vendi, neque permutari poſſunt cum pecunia, aut aliquo alio temporali, quin committatur Simonia vera, & pro-

priiſſi

priſſima contra ius diuinum, & naturale, & non ſolùm contra Ius Eccleſiaſticum.

Dices, in illis, in quibus eſt aliquid temporale connexum cum ſpirituali, poſſe animo, & intentione diſiungi ſpirituale à temporali, ita vt ſpirituale comparetur cum ſpirituali, & temporale cum temporali; itáque poterunt diſtingui in hac permutatione beneficiorum inæqualium tituli ipſorum, qui ſpirituales ſunt, à prouentibus temporalibus, fientque duo contractus, vnus permutationis titulorum inter ſe; alter verò ipſorum prouentuum, qui cùm inæquales ſunt, pecunia compenſabuntur.

Reſpond. quamdiu prouentus manent beneficiales, & realiter connexi cum titulo, & Iure ſpirituali, ratione cuius percipiuntur, tamdiu eſſe ſpirituales per connexionem, & materiam veræ Simoniæ, neque enim poſſunt reuera transferri, niſi quia ius ſpirituale ad ipſos transfertur, iſtáque ſeparatio mentalis ad realem tranſlationem, & permutationem ipſorum nihil omninò facit, ſemper enim transferuntur vt connexi cum ſpirituali titulo, & vt ſpirituales; & tranſlato titulo per permutationem beneficij neceſſariò transferuntur iſti prouentus, neque percipiuntur deinceps niſi iure beneficij, quod omninò ſpirituale eſt; alioquin, vt argumentatur Couarru. nunquam committeretur Simonia in venditione beneficij, non enim pecunia, aliúdve temporale daretur pro titulo beneficij, qui ſpiritualis eſt, ſed pro prouentu, & præbenda, quæ aliquid temporale eſt. Poſſet quoque beneficium, quod nullos habet reditus, commutari cum habente reditus, & pro illis reditibus omnibus pecunia dari, quod ſibi obiecit Caietan. neque ſatis fæliciter ſoluit, dum ait, non poſſe in eo caſu reperiri contractum permutationis, quia quod non eſt, non cõmutatur, ideóq; eſſet venditio eiuſmodi fructuum beneficialium, non autem permutatio, quandoquidem aliud beneficium ſupponitur nullos fructus habere; verum tota ratio, propter quam iſta venditio fructuum omnium eſt illicita, petitur ex eo, quod fructus illi ſunt ſpirituales, & beneficiales: igitur & venditio partis eorundem fructuum æquè erit Simoniaca, quamdiu illi fructus beneficiales manebunt. Neque dicas, non eſſe venditionem, ſed permutationem, nam fructus quidem beneficij tenuioris permutantur cum parte fructuum pinguioris, qui verò in illo ſuperſunt, venduntur pecunia, aut aliquo alio temporali, quod in ipſorum compenſationem datur; illa tamen pars fructuũ manet adhuc cõnexa cum titulo ſpirituali, vi cuius percipietur deinceps à poſſidente beneficium; ergo manet ſpiritualis, ac proinde in eius commutatione cum pecunia, quæ eſt vera venditio, committetur vera, & propria Simonia, non tantùm Eccleſiaſtica.

His accedit quoque Pontificum has compenſationes damnantium ſenſus, Alexander enim III. reprobat pactionem, quam procurator Monachorum de Acra, & Clerici quidam fratres litigantes de Capella fecerant, vt iſti Clerici liti cederent, & Monachi quatuor argenti marchas perſoluerent, quam pactionem tanquam prauam, & illicitam reiicit, vti refertur in Concil. Lateranenſ. ſub ipſo. *par.* 28. *cap.* 2. & *cap. cum pridem, de pactis. cap.* autem *vltim. eodem tit.* omnis pactio pro

Dd 3 ſpiri

ſpiritualibus obtinendis repudiatur, hæc autem commoda temporalia licet, quandiu tamen beneficialia ſunt, & percipiuntur ex ſolo Iure ſpirituali, & miniſterio ſpirituali, ſpiritualia ſunt per connexionem.

4 Obiicitur *cap. Ad quæſtiones. de rerum permutat.* ibi enim permittit Clem. III. duas Parrochiales Eccleſias inuicem permutari vnà cum ſuis poſſeſſionibus, earúmque inæqualitatem, *refuſa certa pecuniæ quantitate*, tolli, modò contractus illi non miſceantur inuicem. Ergò nulla Simonia eſt ſaltem contra Ius diuinum, inæqualitatem fructuum beneficiorum permutatorum pecunia aliqua compenſare; modò non miſceantur contractus, id eſt, ipſa beneficia, ipſorúmve tituli, & Iura ſpiritualia non compenſentur illo temporali.

Reſpondent primo DD. paſſim *in illud cap.* maxime Zaba. & Imol hic agi de Eccleſiis, quæ erant vnitæ Monaſteriis, & non poſſidebantur in titulum, ſed in proprietatem redituum, & bonorum temporalium; cùm igitur poſſeſſiones illæ eſſent à titulo ſpirituali ſeparatæ, & quaſi bona temporalia Monaſteriorum, poterant inuicem permutari, atque illorum inæqualitas compenſari. Verùm hæc communis reſponſio non ſatisfacit, nam ſi Eccleſiæ quoad proprietatem permutabantur, & erant quaſi reditus, & bona temporalia abſque titulo beneficij, poterant tum ipſæ Eccleſiæ, tum ipſarum poſſeſſiones eodem contractu permutari, & data pecunia ad æqualitatem reduci ſine Simonia; Cur igitur Pontifex monet, ne miſceantur contractus, & vt Eccleſiarum permutatio fiat vno contractu, altero verò poſſeſſionum compenſatio, niſi quia in illa permuratione Eccleſiarum, permutabatur aliquid ſpirituale. Adde, hunc textum vulgò adduci à DD. vt oſtendant commutationem rerum ſpiritualium inter ſe licitam eſſe etiam ex Iure Eccleſiaſtico, prætterquam in beneficiis, ergò aliquid reuerà ſpirituale commutatum fuit hoc loco. Hinc autem vlterius fit, vt poſſeſſiones etiam permutatæ, ſint connexæ cum aliquo ſpirituali, & tamen ad æqualitatem reducuntur datâ pecuniâ; licebit igitur inæqualitatem prouentuum beneficiorum permutatorum refusâ pecuniâ tollere, quod contendebat Caietan.

Reſpond. ſecundo cum Barboſ. *in Collectan. ad illud cap.* & Suar. *cap.* 34 *cit. num.* 13 in hac quidem permutatione nullum titulum beneficij, aut Ius ſpirituale tranſlatum fuiſſe, ſed tantùm bona temporalia iſtorum Monaſteriorum: hæc tamen bona duplicis erant generis, quædam ex Iure decimarum, & primitiarum, & ſignificantur nomine Eccleſiæ, quia illud Ius ſpirituale eſt, & per ſe ad Eccleſiam ſpectat, maximè Parrochialem; cùm dentur decimæ in ſuſtentationem ſacerdotum, ad miniſtranda Sacramenta, alia ſunt bona merè temporalia quæ poſſeſſiones dicuntur, quæ nullam habent per ſe connexionem cum iure ſpirituali, ſed ſunt tantùm ſub dominio Eccleſiæ ad ipſius ſuſtentationem. Vult itaque Pontifex, Eccleſiam pro Eccleſia, ſine iura decimarum, & primitiarum ſimpliciter inter ſe commutari: poſſeſſiones autem ſi permutentur, compenſari inter ſe poſſe, & æquari adiectâ pecuniâ, & non eſſe miſcendos contractus, etiamſi ſimul fiant, nimirum ne pecunia detur pro iure decimādi inequali, ſed pro bonis merè tēporalibus, ſiue poſſeſſionibus.

5 Secunda pars noſtræ aſſertionis, nimirum reditus ſeparatos à Iure, & titulo ſpirituali beneficij, ſi inæquales ſint, poſſe aliquo temporali in permutatione compenſari; traditur quoque ab Imol & Zaba. atque omnibus DD. *in illud cap. Ad quæſtion.* dum idcircò inæquales poſſeſſiones Eccleſiarum, per refuſionem pecuniarum æquari poſſe concedunt, quia ſunt merè temporalia bona, & quia Eccleſiæ, ad quas pertinent, ſunt iam vnitæ Monaſteriis, tanquam bona proprietatis iure ab ipſis in ſuam ſuſtentationem poſſeſſa, non titulo vllo, aut iure beneficij, quod eiuſmodi vnione prorsùs extinctum eſt, vt tradit idem Zaba. *in Clem. vnic. quæſt. 8. de ſequeſtra. poſſeſſ.* & DD. *in Clem. vnic. de Reſcriptis.* Quoties igitur aliqui prouentus beneficiales tales eſſe deſinent, per ſeparationem & diſtractionem ab omni iure ſpirituali, & titulo beneficij, erunt merè temporales, etiamſi pertineant ad Eccleſiam; poterunt itaque cum aliquo temporali permutari eadem prorsùs ratione, qua cætera bona temporalia, & poſſeſſiones. Et ſanè cauſa adæquata, propter quam negabamus redditus pinguioris beneficij commutati cum tenuiori poſſe compenſari pecuniâ, erat, quia dabatur ſpirituale pro temporali, eò quod illi beneficiales redditus eſſent connexi cum aliquo ſpirituali, immò & ipſi ſpirituales quoque eſſent, cùm neque perciperentur, neque percipi poſſent niſi ex iure, & titulo ſpirituali beneficij, cui erant alligati; ſublata igitur ea connexione, & ipſorum ſpiritualitate ceſſante, ceſſat omnis ratio Simoniæ in commutatione ipſorum cum aliquo temporali.

6 Dico tertio ſolum Romanum Pontificem poſſe prouentus Eccleſiaſticos à Iure, & titulo ſpirituali beneficij ſeparare, atque adeò permittere, vt inæqualitas beneficiorum commutatorum pecunia, alióve temporali compenſetur.

Secunda pars huiuſce aſſertionis ſequitur ex ſuperiori, cùm enim prouentus beneficij pinguioris commutati debeant priùs à Iure beneficij, & titulo ſpirituali ſeparari, quàm pecunia compenſari valeant abſque Simonia, euidentiſſimum eſt illum ſolum, qui poteſt ita ſeparare ius ad percipiendos eiuſmodi prouentus à Iure ſpirituali, poſſe permittere eorum compenſationem. Neque morandum ampliùs videtur in tam neceſſaria conſecutione confirmanda.

Tota igitur difficultas eſt in prima parte noſtri dicti, & vt inquiramus, quiſnam poſſit eiuſmodi ſeparationem, & auulſionem fructuum beneficialium à Iure, & titulo ſpirituali facere, an ſolus Romanus Pontifex, vti contendimus; an verò aliquis etiam alius; verùm id definiemus quæſt. 18. ſupponimúſque in præſentiarum eam poteſtatem ſeparandi Ius ad prouentus beneficiales à titulo, ſiue à Iure ad ſacra miniſteria ex Eccleſiæ ſaltem definitione ſoli Pontifici conuenire.

Dico quarto eum omnem, qui poteſt beneficio Eccleſiaſtico penſionem Clericalem imponere, poſſe quoque illam commutationi beneficij adiicere, non quidem per modum compenſationis pinguioris beneficij, ſed ex aliqua alia iuſta cauſa, ex qua illam extra commutationem imponeret. Ita Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. vltim. num. 54.* neque tunc diminuta beneficia confert, quod ipſi iura prohibent, ſed beneficio iam collato onus aliquod iuſta de cauſa 7

imponit; quod fuſiùs explicabimus agentes de penſionibus. Interea vide Ferdinand. à Caſtro *tractat.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 16. Fateor quidem, vix ſtylum Curiæ, quæ in hac, & ſuperiori aſſertione dicta ſunt, permittere; nos verò quærimus, quid ex natura rei fieri valeat, & in vtróque vitari Simoniam in foro conſcientiæ, vt monet Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *quæſt.* 4.

CONSECTARIVM XII.

An poſſint beneficiati obligare ſe ad faciendam permutationem beneficiorum nondum conſulto Epiſcopo.

Reſpond. beneficiatos non ſolùm poſſe de permutatione beneficiorum ſuorum facienda tractare, illíque ſuum conſenſum præbere: ſed etiam ſe obligare ad illam, ita vt niſi ſuperior conſenſum ſuum deneget, illámque reprobet, nequeant ab eiuſmodi conuentione reſilire, quæ ſingula paucis doceo.

1 Primo igitur licet de facienda permutatione tractare, nondum monito ſuperiore, contra Gloſſam *in cap. cum vniuerſorum. de rerum permutat. ver. tractare.* Ancharan. *ibid.* Innocent. *in cap. Quæſitum. eod. tit.* quia nullibi ea tractatio prohibetur, ſed ſola permutatio, cuius ille tractatus præparatio tantùm eſt; immò niſi ea licita ſit, fruſtra permitteretur deinde permutatio, quomodo enim eius faciendæ licentia petetur, niſi de ipſa priùs actum fuerit? & maximum onus eſſet, ſi ad inchoandam negotiationem, atque tractatum, expectare conſenſum ſuperioris oporteret.

2 Secundo poſſunt partes in eam permutationem faciendam conſentire, ſi ſuperior annuat. contra Panormit. *in cap. Quæſitum*, & alios quoſdam veteres; quia ille conſenſus colligitur *ex cap. vnic. de rerum permutat. in 6. ſua beneficia permutare volentes.* Quæ vox conſenſum faciendæ permutationi præceſſiſſe ſupponit; neque ſanè accingerent ſe ad procurandam ſuperioris veniam, niſi iam conueniſſent de facienda re, ad quam poſtulant authoritatem ſuperioris.

Tertio poſſunt ſe obligare ad perſeuerandum in ea conuentione. Ita 3
Sylueſt. *ver. permutatio.* 2. *quæſt.* 5. quia in his omnibus non eſt pactio, neque obligatio niſi conditionata; quare non eſt permutatio adhuc, quandoquidem conditio ſuſpendit effectum, donec poſita fuerit; eſt autem conditio, & clauſula ſub beneplacito ſuperioris, quis enim non videat, aliud eſſe commutare priuata authoritate beneficia, quod eſt illicitum; aliud obligare ſe ad legitimè faciendam commutationem? Nunquid, amabo, licet ſe obligare ad actum iure conceſſum? permutare verò beneficia ex authoritate ſuperioris conceditur à Iure: ad illum igitur actum licitè ſe quis obligabit, & multò magis abſque Simonia, quamuis enim hæc obligatio ſit ſpiritualis, ſicut actus ad quem eſt, non datur tamen pro aliquo temporali, ſed pro ſpirituali, nempe pro ſimili obligatione, quam ſubit alter commutans; & quamuis actus nequeat fieri abſque authoritate ſuperioris, obligatio tamen ad illum faciendum ex eius authoritate ſuſcipi poteſt, ipſo nondum conſulto; quia ea obligatio nullum tribuit Ius niſi conditionatum; quod deficiente conditione, & ſuperiore negante conſenſum, prorſùs inutile manet. Quare ita recentiores,

tiores, atque è veteribus nonnulli iure merito ſentiunt, quos dabit Ferdinand. *diſput.* 3. *cit. punct.* 15. *num.* 2.

4 Quarto licitum erit pactum de non recedendo ab ea pactione. Ita Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *nu.* 8. & Leſſius. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 17. *num.* 104. qui addit, poſſe coram Notario, & teſtibus confici inſtrumentum, quo partes ſe obligent ad eam permutationem faciendam, & ad non reſiliendum ab eo contractu, & ſe curaturas, vt ſedes Apoſtolica, aut Epiſcopus conſentiat, & collatores conferant beneficia; quod idem docet apertè Rebuff. *in praxi. tract. de permutat. num.* 52. & 53. quia omnis iſta pactio conditionalis eſt, vt dixi, & ſub beneplacito ſuperioris, neque vllibi prohibetur.

5 Quinto denique addo cum Leſſio, non eſſe Simoniacum, ſi eiuſmodi contractui adiiciatur pæna conuentionalis ſoluenda ab eo, qui altero inuito, & abſque iuſta cauſa reſilierit à contractu, ſiue ante ſuperioris conſenſum, ſiue poſt illum obtentum reſiliat: quia iure gentium apponi poteſt cuilibet contractui iuſto pæna conuentionalis, ne ab ipſo iniquè recedatur, niſi ſpeciali aliquo iure hæc appoſitio pænæ prohibita ſit, qualem prohibitionem circa contractum, de quo agimus, nullam habemus, non datur autem temporale pro ſpirituali, ſed apponitur pæna frangenti fidem circa ſpiritualia.

CONSECTARIVM XIII.

An commutatio beneficiorum, cui ſuperior ſine iuſta cauſa authoritatem tribuit, ſit Simoniaca.

Ratio dubitandi ſumitur *ex cap. Quæſitum. de rerum permutat.* ibi enim permittitur Epiſcopo tranſlatio ab vno beneficio in aliud, & præterea commutatio, in qua includitur aliqua tranſlatio, vti ſuperiùs expoſuimus, *ſi cauſam neceſſariam inſpexeris.* requiritur itaque cauſa, quam Epiſcopus diſquirat ad hanc permutationem, quod fatentur omnes DD. *in illud cap.* Bellame. *deciſ.* 94. & 6. *par. de permutat. benefic. ſub princip. & quæſt.* 1. Rebuff. *in praxi. tit. de permutat. num.* 19. Duaren. *lib.* 8. *de benefic. cap.* 3. Garcias, qui alios dabit 11. *par. cap.* 4. *num.* 44. & Tuſch. *litt. P. Conc.* 303. *num.* 1. & 365. *num.* 2. & 5. quia cùm hæ permutationes ſint odioſæ, exigitur cauſa, vt in illis Epiſcopus diſpenſet. 1

Quæritur itaque, an, ſi ſine cauſa diſpenſet Epiſcopus ea in parte, permutatio ſit Simoniaca, quandoquidem ſolam Simoniam ſuſtulit approbatio ſuperioris, quæ nulla eſt, ſine cauſa conceſſa, ac proinde labem Simoniæ abſtergere nequit.

Dico primo cauſam, ex qua fit permutatio, debere eſſe aliquid ſpirituale, & non tantùm aliquod commodum temporale duntaxat, niſi ad ſpirituale tandem reducatur, alioquin committitur Simonia. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3. Syluest. *ver. permutatio.* 2. *num.* 3. Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 27. §. 1. *num.* 6. 2

num.6. quia permutatio non permittitur in Iure, ſed damnatur vt Simoniaca, niſi fiat ob cauſam neceſſariam, & ob vtilitatem Eccleſiæ, cui ita meliùs ſeruitur; neque permittitur propter iſta commoda prorsùs terrena, vt quis v. gr. opportuniorem venationi, aut piſcationi locum habeat.

3 Dico ſecundo cauſam ſufficientem eſſe vel neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ, ſaltem reductiuè, quatenus vtilitas ſpiritualis compermutantium, in vtilitatem Eccleſiæ reducitur. Ita DD. communiter apud Garc. *cap.4. cit.num.*45. & 46.*quæſt.* 7.& 8.

Dico tertio ſi nulla ſit cauſa iuſta, permutationes factas eſſe nullas, etiamſi approbentur ab Epiſcopo, quia illi datur tantùm facultas eas approbandi cum cauſa iuſta: Pontifex tamen Romanus abſque cauſa approbans peccat, ſed validè approbat, eò quod, vti diximus alibi, ſemper validè diſpenſet in Iure Eccleſiaſtico, quamuis illicitè faciat, quoties cauſa diſpenſandi ſufficiens non eſt.

Dico quarto permutationem nullam defectu diſpenſationis, vel potiùs approbationis ſuperioris Simoniacam eſſe, quia tunc non fit ſecundùm Regulas Iuris, & reuerà fit ſine approbatione ſuperioris; inualida ſiquidem approbatio nulla eſt, neque maioris eſt efficaciæ, quàm non approbatio: quoties autem facta fuit approbatio ab Epiſcopo cum cognitione, præſumitur iuſta cauſa ex communi DD. quos dabit Garc. *cap.4. num.*52. neque tunc præſumitur fraus ex eod. Garc.*n.*100.& 101.

QVÆSTIO XV.

Quodnam temporale ſit pretium in contractu Simoniaco.

Vidimus hactenùs, an aliquid ſpirituale poſſit induere rationem pretij in Simonia; ſequitur vt de temporali, quod ſolum pretium eſſe poteſt in vera & propria Simonia iure naturali, & diuino, & non Eccleſiaſtico duntaxat prohibita diſquirimus, an videlicet omne temporale, quod datur pro ſpirituali, conſtituat Simoniam.

PROPOSITIO.

Dico igitur, quodcunque temporale datum in pretium rei ſpiritualis conſtituere Simoniam, illud autem temporale adæquatè diuiditur à DD. in munus à manu, ab obſequio, & à lingua.

EXPOSITIO, ET CONFIRMATIO propoſitionis.

Aperta eſt huiuſce propoſitionis ſententia, totáque difficultas conſiſtit in illa diuiſione temporalis, quod pretij Simoniaci rationem habere poteſt: ea tamen eſt, quam S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.*5. aliique DD. ſumpſerunt ex S. Gregorio *hom.* 4. *in Euangel.* exponens enim illud Iſai. 33. *qui excutit manus ſuas ab omni munere*, diſtinguit triplex iſtud munus. *lib.*4. *Epiſt.* 55. *ad Ioannem Corinth. Epiſc.* nominat *ſordidas preces oris*, *Comitatum*, ſiue *manuale ſeruitium*, & *fraudulentum munuſculum. Epiſt.* verò 56. *eod. lib. ad Epiſcop.*

per

per Hellad. commodum , gratiam , & ſupplicationem vocat Vrban.II.*Epiſt. ad Luc. præpoſitum S. Iuuentij apud Ticin.* quam integram retulit in ſua collectione DEVSDEDIT ; fragmentum autem Gratian. 1:*quæſt.3. cap.Saluator.* dixit *munus linguæ , indebiti obſequij, & pecuniæ.* Munus igitur à manu vocant iura *pecuniam, fraudulentum munuſculum* , quia in his muneribus dandis plerumque fraus intercedit , vti explicat Gloſſa *in cap. ſi quis.* 115. 1.*quæſt.* 1. *ver. fraudulentum.* Munus ab obſequio eſt, inquit Gregor. ſubiectio indebitè impenſa , comitatus , & manuale ſeruitium. Munus à lingua ſunt ſordidæ preces oris, fauor , gratia, ſupplicatio , vt idem Gregorius ſe ipſe interpretatur.

2. Obſeruandum porrò eſt, munus plura in Iure ſignificare , ſed tria maxime , vt habetur *l.* 18. *D.de verbo. ſignificat.* primo quidem donum gratuitum , & liberale , indéque dictum munus putat Varro , quòd qui mutuo animo ſunt , id dant officij gratia. Itáque loquitur *l. plebiſciti. ff. de officio præſid. plebiſcito continetur , ne quis præſidum munus donúmve caperet,niſi eſculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur.* ſecundo ſignificat munus , onus aliquod , & grauamen , quo nomine tributa , & obſequia , atque officia ex Iuſtitia debita vocantur in Iure, vti conſtat ex *tit. ff. de muneribus, & honoribus* ; inde dicitur immunitas, vacatio ab onere. Audi Feſtum, *munem ſignificare certum eſt officioſum, vnde è contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur munere.* l. 214. D. de verbor. ſignificat. *munus propriè eſt, quod neceſſariò obimus lege , more, imperióve eius , qui iubendi habet poteſtatem. Dona autem propriè ſunt,quæ nulla neceſſitate Iuris , officij, ſed ſponte præſtantur ; quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt , & ſi præſtentur, plerumque laus ineſt , ſed in ſumma in hoc ventum eſt , vt non quodcunque munus , id & donum accipiatur. At quod donum fuerit , id munus rectè dicatur* ; & vetus gloſſarion , munus *κυρίως μὲν τὸ ἐξ ἀνάγκης νόμου, ἢ ἔθους, ἢ ἀρχόντων γινόμενον λέγεται.* tertio munus ſignificat officium aliquod, inde munera ciuilia, & militaria, priuata , & publica dicuntur. In hoc porrò tractatu de pretio Simoniaco non accipitur munus à Gregor. & DD. pro dono liberali , ac gratuito, conſtat enim , eiuſmodi donum pretium non eſſe , ac proinde non conſtituere Simoniam , licet pro ſpirituali detur, cùm faciat ſolum contractum gratuitum, quem Simoniacum non eſſe docebimus quæſt. ſeq. Accipitur itaque munus pro onere aliquo , & grauamine debito ex pacto, pro acceptione rei ſpiritualis, quod pactum Simoniacum eſt,quoties hoc munus erit temporale , aut ſi ſit tantùm ſpirituale, prohibetur tamen ab Eccleſia dari pro re ſpirituali intuitu Religionis.

Obſeruo ſecundo diuiſionem iſtam trimẽbrem muneris in munus à manu, ab obſequio , & à lingua , adæquatam eſſe contra Maior. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. §. *contra dicta.* quia omnia bona externa, & temporalia, quæ in communicationem , & commutationẽ venire poſſunt, hac diuiſione comprehenduntur, nihílque aſſignari poteſt, quod commodè ad aliquod ex illis mẽbris non reducatur ; nam vel bona temporalia ſunt externa, vel ſunt opera, & actiones humanæ, quæ per membra corporis exhibentur, vel ſunt fauores , interceſſiones , aliáque ſimilia , quæ per verba fieri ſolent ;

bona verò externa, quæ nomine diuitiarum ſignificantur, & bona fortunæ appellantur, comprehendimus in munere à manu, quod non ſolùm pecuniam, ſed omnes omninò res temporales pretio æſtimabiles cuiuſcunque generis, ſiue ſint bona mobilia, ſiue immobilia, ſiue corporea, ſiue incorporea Iura complectitur; quia cum ipſemet Gregorius, qui primus hanc diuiſionem inuexit, munus à manu interpretetur pecuniam, & quidquid homines in terra poſſident, ſiue ſeruus, ſiue ager, vas, arbor, pecus, pecunia nominetur teſte Auguſtin. *lib. de diſciplina Chriſtiana cap.* 1. quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant; iure merito per munus à manu ſignificarunt DD. omnia iſta bona externa, quæ diuitiarum nomine cenſentur. Denique quidquid non conſiſtit in obſequio, vel officio linguæ, dicitur munus à manu, quia vel ſunt temporalia, ſiue corporalia, ſiue incorporalia; vel ſunt ſpiritualia, hæc autem ſi ſunt merè ſpiritualia, non deſignantur in iſta partitione, de qua agimus; ſi autem ſunt ſpiritualia mixta propter emolumentum temporale annexum, vt beneficia; comparantur propter illud temporale vel cum externis fortunæ bonis, vel ſaltem cum iuribus incorporalibus.

3 Munus ab obſequio deſignat omnia illa, quæ nobis ab aliquo per membra corporis exhibentur; quod etiam Gregor. nuper dixit *manuale ſeruitium, comitatum, & ſubiectionem aliunde indebitam.* Denique obſequium eſt quælibet actio hominis ordinata ad commoda corporis, vel animæ in ſua naturali perfectione ſpectatæ, atque ita inſtructio, & diſciplina obſequium eſt.

Munus à lingua continet preces, ſupplicationes, interceſſiones, laudes, adulationes, aliáque ſimilia verba in alterius gratiam, & commoditatem præſtita, quia illi aliquid obtinemus noſtris precibus, aut noſtris laudibus conferimus. Videtur quidem hoc munus à lingua vix diſtingui poſſe ab obſequio, cùm hæc omnia ſint tantùm obſequia: verùm in his moralibus non adeò accuratam diſtinctionem attendunt Iuriſtæ in ſuis partitionibus; quia igitur licet plurima obſequia præſtentur à lingua, vt munus docendi, aut cantandi, ea tamen ſunt diuerſi generis, aliqua enim vulgò exercentur per modum obſequij, quod dicit ſeruitutem, miniſterium, aut ſubiectionem aliquam in perſona obſequente reſpectu alterius, ideóque ab iis ſolis præſtantur, qui ſe aut ſeruos, aut ſubiectos ea in re eſſe profiteri volunt; eiuſmodi obſequium eſt cantandi in ſcurra, aut alio ſeruo; munus docendi, quamuis enim ingenuum, & nobile illud ſit, tamen per modum obſequij præſtari ferè ſolet ideóque iſta miniſteria, & obſequia vendi, ac locari ſolent; quædam verò ſunt munera linguæ, quæ non per modum obſequij, aut ſeruilis miniſterij exhibentur, vt preces, ſupplicationes, laudes & commendationes apud viros principes; nam & ipſi Domini, ac primarij viri ſæpiùs hæc officia etiam humilioribus perſonis præſtant, idcircò ea munera à lingua, à munere, ab obſequio diſtinguunt, maximè verò in hac materia pretij Simoniaci, quia cùm hæc munera neque vendi, neque locari vulgò ſoleant, non ſtatim apparebat, quomodo rationem pretij ad conſtituendam Simoniam ſortiri poſſent.

Ad hæc porrò omnia reducuntur mala contraria, ſiue onera illis repugnantia, quæ aliquis ex pacto ſuſcipit in commodum, & fauorem alterius, v. gr. non accipiendi munus à manu, aut obſequia ſibi debita, aut non ſupplicaudi, vel poſtulandi pro ſe, vel pro alio; hæc enim omnia onera ſunt, quæ ad tria munera explicata ſuo modo pertinent, vt patet.

4 His ita explicatis non difficilè fuerit oſtendere, hæc omnia poſſe facere Simoniam, & dari in pretium rei ſpiritualis, ſiue naturam ipſam rei, ſiue Ius Eccleſiaſticum attendamus: & quidem quod attinet ad munus à manu, quis neſcit, pecuniam ſiue præſentem, & numeratam, ſiue condictam tantum habere in omnibus commerciis, & emptionibus propriiſſimam rationem pretij *§. item pretium. Inſtit. de Empt. & vendit.* ſi itaque detur in pretium rei ſpiritualis, maximè propriam Simoniam conſtituet, eáque primus huius criminis author, à quo & nomen ſumpſit, Simon Magus poſſidere voluit donum Dei, ideóque de hac in primis Simonia agunt Iura. *1. quæſt. 3. cap. 2. 3. & ſeqq.* & *in cap. Nobis. de Simonia*, totóque illo tit. paſſim. Reliqua autem omnia bona temporalia quæcunque, ſiue corporalia, ſiue incorporalia, quæ diximus, tum per munus à manu, tum per pecuniam deſignari, pretium Simoniacum eſſe eodem modo, teſtantur Iura *tit. de Simon.* in *cap.* enim *Tua nos.* quidam Clericus obtulerat omnia ſua bona ad obtinendum Canonicatum. *cap. in tantum*, damnantur minores Decani tanquam Simoniaci, qui vaccam albam pro Eccleſiarum inueſtitura exigebant. in *cap. etſi quæſtiones* dubitatur de equo, quem frater Archiepiſcopi Strigonienſis dederat Cardinali, à quo ille Archiepiſcopus pallium fuerat accepturus. Ratio verò euidens eſt, quia quoties dantur aliqua bona pecuniâ æſtimabilia pro re ſpirituali, æquè illa ſubeunt vicem pretij, atque ipſa pecunia, & in morali hominum æſtimatione æquè res ſpiritualis vilipenditur, quando æſtimatur re temporali, atque pecunia, in qua irreuerentia, & iniuria illata rei ſacræ conſiſtit malitia Simoniæ, ſiue tunc rigoroſa venditio exiſtat, ſiue non, eò quod res temporalis non ſit tam pretium rei ſpiritualis, quod contingit in omnibus commutationibus; eadem tamen eſt deordinatio in omnibus illis contractibus, quod videmus in vſura, quam nemo committi negat, quoties vi mutui datur aliquid pretio æſtimabile ſupra ſortem, vt eleganter explicat Ambroſ. *lib. de Tobia. cap.* 14. & paucis Concilium Agathenſe, vt refertur à Burch. *lib.* 2. *p.* 126. Iuone *par.* 6. *cap.* 200. atque Gratian. 14. *quæſt.* 3. *cap. vltim.* quamuis neque in Codice Gemblacenſi huius Concilij, neque in aliis hic canon reperiatur. Denique quidquid pecunia æſtimabile eſt, pecuniæ vicem ſubire, & pretium eſſe in contractu oneroſo colliges ex *l. pretij. C. de Reſcind. vendit.* vbi pecoribus in ſolutum conſentienti datis pretij cauſa, non pecunia numerata, nequaquam irritatur contractus.

Hæc eadem ratio apertiſſimè oſtendit munus ab obſequiis, pretium quoque Simoniacum eſſe, ſi præſtetur ex pacto obtinendæ rei ſpiritualis; quia hæ actiones, & obſequia temporalia, ſunt pecunia, & pretio æſtimabilia; ergò æquè atque alia bona temporalia cùm dantur ex pacto rei ſpiritualis, Simoniam efficient,

cient, ideóque vendi, & conduci, ac locari ſolent hæc obſequia: ſi verò ſpiritale foret eiuſmodi obſequium, cùm non ſit pretio æſtimabile, non magis erit pretium Simoniacum, quàm quælibet alia res ſpiritualis, eritque tunc commutatio rei ſpiritualis cum alia re ſpirituali, quam ex natura ſua, aut diuino Iure non eſſe Simoniacam, priori difficultate demonſtrauimus. Si quæ igitur in aliquo ſingulari caſu circa iſta obſequia ſpiritualia pro re ſpirituali ex pacto exhibita committatur Simonia, ea vel erit tantùm impropria, & Eccleſiaſtica, vel non ratione ipſius obſequij ſpiritualis, ſed alicuius commodi temporalis ipſi connexi, quod dabitur, & primò attendetur in ea commutatione, continget, quæ omnia clariùs in caſibus ſingularibus per conſectaria explicabuntur.

5 Reſtat autem munus à lingua, hoc eſt, preces, ſupplicationes, fauor humanus, aliáque id genus; quoties enim illæ ex pacto adhibētur pro eo, qui rem ſpiritualem confert, committitur vera Simonia. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. *ad* 2. *&* 3. Victor. *Relect. de Simon.* 1. *par. num.* 34. Innocent. & Cardinal. *in Cũ nam, de ætate, & qualit. ordinand.* Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. & *in comm. de dat. & promiſſ. num.* 24. & alij omnes, qui aliquod munus à lingua pro pretio Simoniaco admittunt cum Iure locis initio adductis. Tunc autem propriè preces ſunt munus conferenti rem ſpiritualem, quando pro illo funduntur, & offeruntur; non autem quando illi offeruntur, & totus ille fauor, ac gratia, quæ per preces acquiritur, non alij, quàm tradenti rem ſpiritualem acquiritur. Hæ porrò preces ſunt aliquid temporale, & pretio æſtimabile, cùm etiam ad aliquid temporale tandem reſoluantur, fiúntque ex pacto, promiſſione, & obligatione in gratiam, & lucrum eius, qui propter ipſas quidpiam ſpirituale confert. Ergò veram Simoniam conſtituunt, quid enim, amabo, ad illam requiri amplius poteſt, cùm habeamus aliquid temporale, & pactum verum, & denique ſpirituale, quod vi illius pacti pro eo temporali datur? neque quidquam refert, quod hæ preces præcedant, aut ſubſequantur collationem rei ſpiritualis, modò fiant ex pacto, ſi conferens verbi gratia beneficium, obliget alium ad preces fundendas apud Principem, vt ab ipſo aliquid facilius obtineat, aut ſi promiſit beneficium, vbi ipſum commendauerit apud quempiam, cuius gratiam aucupatur; in vtróque enim caſu & pactũ eſt, & ex illo datur aliquid tẽporale pro ſpirituali. Itaque ſi collator obliget alium, vt precibus à Rege ſibi, aut conſanguineis obtineat dignitatem temporalem, aut etiam beneficium aliud, Simoniam eſſe ſapienter pronunciant citati DD. quando verò non fiunt iſtæ preces, commendationes, aliáve ſimilia linguæ officia ex pacto, tunc vitatur omnis Simonia, quia nihil tunc propriè datur in pretium, vt laudati D D. affirmant, docétque ipſa ratio.

QVÆSTIO XVI.

CONSECTARIA Ex propoſitione ſuperiori.

Conſectar. I. An collatio beneficiorum, & aliorum ſpiritualium propter conſanguinitatem ſit Simoniaca.

Conſect.

Conſect. II. An conferre beneficium, aut aliquid aliud ſpirituale metu impendentis mali ſit Simonia.

Conſect. III. An conferre beneficium ex metu lucri ceſſantis ſit Simonia.

Conſect. IV. An pecunia quæcúnque, aliáque minuta munera ſufficiant ad Simoniam.

Conſect. V. An conferens beneficium ex promiſſione remittendi debiti ſit Simoniacus.

Conſect. VI. An conferens ſpirituale ex pacto mutui, aut differendæ, vel anticipandæ ſolutionis, ſit Simoniacus.

Conſect. VII. An collatio beneficij ſub grauamine penſionis ſit Simoniaca.

Conſectar. VIII. An collatio rei ſpiritualis cum pacto cedendi beneficio Eccleſiaſtico ſit Simoniaca.

Conſect. IX. Caſus ſingulares explicantur.

Conſect. X. An collatio beneficij propter obſequia collatori, aut alij præſtita Simoniaca ſit.

Conſect. XI. An qui Epiſcopis, vel aliis famulantur ſpe obtinendi alicuius beneficij Eccleſiaſtici, ſint Simoniaci.

Conſectar. XII. An collatio beneficij cum onere alicuius obſequij temporalis præſtandi ſit Simoniaca.

Conſect. XIII. Aliquot caſus ſingulares.

Conſect. XIV. An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali iam præſtito ſit Simoniaca.

Conſect. XV. An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali præſtando ſit Simoniaca.

Conſect. XVI. An preces, interceſſiones, commendationes aliáque id genus conſtituant Simoniam.

Conſectar. XVII. Caſus ſingulares.

CONSECTARIVM I.

An collatio beneficiorum, & aliorum ſpiritualium propter conſanguinitatem ſit Simoniaca.

Reſpond. & dico primo nullam in ea collatione eſſe propriam Simoniam, contra Maior. *in 4. diſt.* 25. *quæſt.* 3. Cantorem Pariſienſ. apud Altiſſiodo 3. *part. tract.* 11. & Gloſſam *in cap. vnic. vt Eccleſiaſtica beneficia. ver. carnalitatem.* vbi allegat Laurent. & varia Iura. Sequimur verò S. Thom. 2.2. *quæſt.* 10. *artic.* 5. Antonin. 2. *part.* 1. *cap.* 5. §. 11. Cardin. Alexand. & Turrecremat. *in cap. peruenit.* 1. *quæſt.* 3. Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 16. & *ver. Renuntiatio. quæſt.* 6. Felin. *in cap. Audientiam.* 2. *de reſcriptis.* Ioan. Baptiſt. de S. Seuerino. *tractat. de penſion. quæſt.* 19. Sotum. *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 7. *art.* 3. *ad* 2. Victor. *Relect. de Simon. num.* 26. Couarru. *lib.* 1. *varia. cap.* 5. *num.* 4. Binsfeld. *in cap.* 12. *de Simonia. quæſt.* 3. Suar. *lib. de Simon. cap.* 37. *num.* 6. Vaſq. *de benefic. cap.* 2. *num.* 193. & omnes recentiores Theologos quos dabit Bonaci. *diſput. de Simon. quæſt.* 1. *num.* 7. Ratio euidentiſſima eſt ex dictis, quia in collatione beneficij, aut rei alterius ſpiritualis, nihil loco pretij accipitur, neque pactum vllum, aut cōtractus oneroſus initur; & motiuū illud conſanguinitatis, ſicut & amicitiæ non impedit gratuitam, & liberalem donationem, alioquin nihil dari poſſet gratuitò conſanguineis,

&

& amicis. Denique ſi hunc collatorem damnemus Simoniæ, accipientem quoque rem ſpiritualem à conſanguineo ex motiuo conſanguinitatis eiuſdem criminis damnare oportebat, quod, vt aduertit Victoria, nemo hactenùs docuit, neque eiuſmodi Simoniacum ad abdicationem beneficij, aut reſtitutionem rei acceptæ damnauit.

2 Quæ verò obiiciebat ex Iure Gloſſa, nihil omninò efficiunt, nam *in cap. illo vnico, vt beneficia Eccleſiaſtica, &c.* arguit quidem Innocent. III. Archiepiſcopum Mediolan. primo circa contrarietatem reſponſi ſui. ſecundo circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuit Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare. tertio circa inhoneſtatem facti, quia non licuit ex pactione, vel conuentione quacunque ſub modo, vel tenore præſcripto, concedere nudum officium Cancellariæ, & ſibi retinere prouentus; hoc autem vltimum damnat vt Simoniacum, non verò carnalitatem animi, quanquam quia ex ea minùs idoneæ perſonæ beneficium contulerat, eum affectum immoderatum iure merito reprehendit Pontifex. *ca. autem tua.* & *cap. veniens. de Simonia.* ineptè prorsùs in hanc rem affertur. *cap.* autem *nemo, eod. titulo.* videtur aliquam habere difficultatem eò quod Pontifex prohibeat pretio, vel fauore, & intuitu conſanguinitatis occultare peccatorem, aut non pænitentem reconciliare, vel verè pænitentem reiicere, aitque vtrúmque Simoniacum eſſe; quare nonnulli interpretes de Simonia quadam impropria, quo nomine intelligunt omnem vitioſam prouiſionem beneficiorum, & acceptionem perſonarum in ſpiritualibus, interpretantur. Neque alio ſenſu Bonauent. *in 4. diſt. 25. dub. 6. circa litteram*, hanc collationem beneficiorum ex motiuo conſanguinitatis, Simoniacam appellauit, vti ſe ipſe exponit, & malè illum in ſuam ſententiam trahunt aduerſarij. Verùm hoc cap. *Nemo nos.* Conſectar. 13. quæſt. 5. accuratiùs fuimus interpretati.

Dico ſecundo qui conſanguineo confert beneficium, intendens ex illa prouiſione vtilitatem ſuam temporalem, quia inde fiet ipſe potentior, domus eius ditior, & familia nobilior, Simoniam ſaltem mentalem incurrit. Ita Cardin. Alexand. & Turrecrem. *in cap. peruenit. 1. quæſt. 1.* qui ibidem allegant Alenſ. *2. par. quæſt. 187. in 4. art. 2. §. 6.* & Raym. *in ſum.* Adhæſit ipſis Binsfeld. *in cap. 12. de Simon. quæſt. 3. con. 6.* qui omnes damnant hanc collationem Simoniæ ſimpliciter. Ego tamen reſtringo ad Simoniam mentalem, quia etiamſi donetur aliquid ſpirituale intuitu temporalis obtinendi, id tamen fit ſine pacto, quod tamen ad Simoniam realem, & conuentionalem neceſſarium eſt, eáque erit Simonia tantùm quædam mentalis, qualis committitur ab iis omnibus, qui aliquid ſpirituale vel faciunt, vel præſtant ex fine primario alicuius temporalis conſequendi, quæ intentio vtrum Simoniaca verè ſit, an tantùm impropriè, & analogicè diſquiram quæſt. ſeqq. certum modò eſt eam eſſe prauam.

Ex quibus vides, Simoniacos eſſe Prælatos, qui pueris aut minùs idoneis conſanguineis beneficia conferunt, vt ipſi, dum Nepotuli adoleſcent, beneficiales prouentus capiant, 3

piant, aut vt parentes eiuſmodi beneficiatorum tenuioris alioquin fortunæ diteſcant ex bonis Eccleſiaſticis, de quibus aliàs. hi verè ædificant ciuitatem in ſanguinibus. *Michæ.* 3. & *Abacuc.* 2. in quos Ambr. *lib.* 1. *offic. cap.* 30. Origen. *homil.* 22. *in Num. ad cap.* 27. quæ vti aliàs ſæpiùs malè tribuit Hieronymo Gratian. 8. *quæſt.* 1. *cap. ſi ergo.* fortaſſis, quia Hieronymus plurimas Origenis homilias, noxiis detruncatis, tranſtulit, vt ipſemet monet *Epiſt.* 62. *ad Theophyl. & Epiſt.* 75. *ad Vigilant. & in prologo lib.* 2. *in Michæam.* de hoc prauo affectu aduerſus conſanguineos, & malis, quæ in Eccleſiam importauit, adi Perald. tom. 2. de virtutibus, & vitiis tract. de auaritia. cap. 8. & Aluar. Pelagium. lib. 1. de planctu Eccleſiæ. art. 15. litt. M. Baſili. in cap. 3. Iſai ad illud. *Apprehendet homo fratrem ſuum, &c.*

Dico tertio vbi conſanguinei idonei ſunt, nullum eſſe peccatum illis beneficia, aut officia Eccleſiaſtica conferre. Ita Couarr. & alij DD. ſuperiùs allati, quia actus ille neque ex ſuo obiecto, neque ex vlla circunſtantia malus eſt, immò ordinata charitas exigere videtur, vt quoties cætera paria ſunt, conſanguineis potiùs, quàm externis benè faciamus. Neque ſentimus contra *cap. decenter* 89. *diſt.* deſumptum ex Concil. Toletan. XX. *cap.* 3. agit enim Concil. de Pontificibus quibuſdam, qui Monaſteriis, aut Parrochialibus Eccleſiis, conſanguineos, aut ſui fauoris participes iniquos ſæpè ſtatuant in Prælatum, ita illis prouidentes commoda inhoneſta, vt aut eiſdem deferantur, quæ proprio Epiſcopo dari iuſtus ordo depopoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia poterit. Quæ crimina iure damnat Synod. & tum eiuſmodi collationem irritam eſſe decernit, & ſic accepta in duplum reſtituit, ac demum Pontificem, qui iſta peccârit, Excommunicationi ſubiicit.

Nos verò contendimus duntaxat, licitum eſſe conferre beneficia, & officia Eccleſiaſtica conſanguineis, vbi cætera omnia paria ſunt. Non diffiteor tamen, facilem eſſe lapſum in hac parte, atque adeò plura ferè incommoda oriri, quoties Prælati ſuis conſanguineis ipſa etiam officia Eccleſiaſtica committũt. Quæ fuſiùs proſequuntur Turrecremat. in cap. decenter. 86. diſt. & Theophyl. Raynaud. de malis è bonis Eccleſiæ lib. 1. ſect. 2. cap. 3.

CONSECTARIVM II.

An conferre beneficium, aut aliquid aliud ſpirituale metu impendentis mali ſit Simonia.

Reſpond. & dico primo non eſſe Simoniam, conferre beneficium metu impendentis mali, quod ea collatione vitare contendimus. Ita Victor. *relect. de Simon.* 1. *par. num.* 24. & 25. Sot. *lib.* 9. *de Iuſt. quæſt.* 7. *art.* 3. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6 *quæſt.* 16. *punct.* 3. Aragon. *in art.* 5. *quæſt.* 100. 22. Binsfeld. *in cap.* 12. *de Simon. quæſt.* 2. *con.* 7. Suar. *lib. de Simon. cap.* 37. *num.* 10. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 27. Angel. *ver. Simonia.* 3. *num.* 38. Reginald. *lib.* 23. *num.* 145. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 9. *num.* 8. Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 1. *num.* 8. aliique contra Cardin. Alexand. & Turrecrem. *in cap. ordinationes.* 1. *quæſt.* 1 Maior. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. Du-

rand. *ibid. quaſt.* 4. & S. Thom. *in eand. diſtinc. queſt. 3. artic. 3. ad 4.* Adrian. *quodlib. 9. art. 2. dub. vltim.* Ratio eſt, quia conferens incuſſo metu aliquid ſpirituale, nihil prorsùs in commutationem rei datæ recipit, ſed omninò gratuitò dat, quamuis coactè, & minùs liberè; metus enim minuit quidem libertatem, non conſtituit autem pretium rei, quæ per ipſum fit, aut extorquetur; neque quis dixerit, operari ex metu, eſſe operari ex pretio, & facere aliquid propter aliquod motiuum, neceſſariò includere operari in commutationem rei, quæ motiuum eſt, alioquin confundendus erit finis cum pretio, atque ita nunquam gratuitò operabimur; quæ omnia illuſtrantur ex comminationibus legum, quibus inducti homines plurima etiam ſpiritualia præſtant, quæ nullo modo præſtituri erant, niſi timore pœnæ, quam vitare volunt, vrgerentur, nullus tamen eos Simoniæ propterea reprehendit; cur igitur eam incurrent, quando eodem modo operabuntur ex metu ab homine incuſſo, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè? quod idem dicimus de operante propter amicitiam alterius, quam vel acquirere, vel iam acquiſitam ſibi conſeruare intendit & quamuis vitatio mali impendentis ſit bonum quoddam, quod obtinetur rei ſpiritualis collatione; ea tamen mali vitatio, neque pretium operis eſt, neque vt pretium intenditur ab operante, qui duntaxat vult vitare illud malum, eiúſque cauſam amoliri, quod ſæpiſſimè iuſtiſſimè poteſt: ad id autem aſſumit medium ſpirituale, quod per ſe illicitum non eſt; neque benè diſtinguitur à quibuſdam inter metum amittendi bona poſſeſſa, & non acquirendi, quæ acquirenda alioquin erant, quia quando attendemus ſolum metum amiſſionis, aut non acquiſitionis bonorum aliquorum, aut malorum impendentium, nullam rationem pretij, commutationis, aut pacti neceſſarij ad conſtituendam Simoniam reperiemus.

2 His omnibus accedit, nullum huius Simoniæ veſtigium in Iure Eccleſiaſtico reperiri, quod tamen accuratiſſimum fuit in aſſignandis variis modis, quibus hoc crimen, quod vſque adeò deteſtatur, incurritur, & nunquam damnauit vt Simoniacam collationem beneficij ex metu factam, quamuis eius ſæpiùs meminerit, atque irritari voluerit *toto titulo, de iis quæ vi,* nam *cap. ad audientiam.* Rector Eccleſiæ de Chenellis, qui eam grauiſſimo metu Regis coactus reſignârat, iubetur ab Innocent. III. ſuæ Eccleſiæ reſtitui, eò quod quæ vi metúſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis, ſi autem hic reſignans ex metu, fuiſſet Simoniacus, plecti debuiſſet, non autem reſtitui beneficio, quod Simoniacè reſignarat. Quod idem dicendum de eo qui electus in Plebanum, Eccleſiæ, ſuæ electioni renuntiarat ob terrorem laicorum, quem Clem. III. illi nihilominus Eccleſiæ præfici mandat, *cap. Ad aures,* denique Alexand. III. in Concil. Lateranenſ. *part. 22. cap. 7.* & refertur *cap. Abbas, de iis quæ vi.* alium, qui coactus fuerat abiurare ſuam Eccleſiam ab Abbate S. Cadmundi, ſiue, vt alij legunt, Eadmundi, in integrum reſtitui iubet. Immò verò ſemper Eccleſia eos, qui metu ſpiritualia conferre cogebantur, ſuo patrocinio texit, & iniuriam ipſis illatam, quantùm potuit, vlta eſt; illos autem, qui metum, & vim inferebant, tanquam ſacrilegos abhorruit Paſchalis II. *cap. ſunt quidam.*

dam. 1. *quæſt.* 1. vbi gloſſa ſacrilegos malè omninò Simoniacos interpretatur. Sed vehementiùs multò Concil. Baſileenſ. *tit. de electionib.* & pragmatica ſanc. §. *ad tollendum*, vbi conſule Gloſſam.

3 Dico ſecundo collationem beneficij, & rei cuiuſcunque ſpiritualis, quæ fit appoſita conditione, vt alius deſiſtat ab iniuſta actione, & iniuria, v.gr. reſignabo tibi meum beneficium, ſi deſiſtas ab iniuſta actione, aut ab iniuria inferenda, non eſſe Simoniacam. Ita Layman. *loc. cit.* & Suar. *cap.* 57. *num.* 15. Bonacin. Filluc. &, alij, & quidem ſi quis extorqueat metu incuſſo rem ſpiritualem, dicatque ſe aut bona, aut vitam, aut famam erepturum, aut aliud malum illaturum, niſi vel ſibi, vel Titio beneficium reſignet, aut conferat Sacramentum, illéque vt præſens illud malum amoliatur, faciat quod iubetur, non committit Simoniam, vti hactenùs probauimus, etiamſi ibi ſubintelligatur illa conditio, do beneficium, abſolutionem, Euchariſtiam, ne mihi noceas, vt minaris. Aliunde tamen peccare poterit, vt ſi indigno conferat Sacramentum; verùm nos vnam Simoniam hoc loco attendimus, quando verò ipſemet conferens rem ſpiritualem, exprimit, & apponit conditionem, promittitque ſe reſignaturum beneficium ſub ea conditione, vt alter ab iniuſta actione ceſſet, videtur maior eſſe difficultas; nihilominùs etiam in illo caſu dicimus omnem abeſſe Simoniam, quia quælibet conditio adiecta promiſſioni, aut donationi, non facit contractum reciprocum, qualem ad Simoniam requirimus, ſed ſolùm, quando conditio affert in altero contrahente mutuam aliquam obligationem, & onus Iuſtitiæ per modum cuiuſdam commutationis, qui enim puellæ dotem promittit, ſi nubat Titio, aut ſi Religionem ingrediatur, non celebrat contractum reciprocum oneroſum cum illa, nam & ipſe gratis promittit, & puella libera eſt, vt nubat, aut Religionem profiteatur, quamuis ea promiſſio ſit ſub conditione, & modo, quod diximus alibi, & iterum monebimus quæſt. ſeq. atque vt aliquid magis affine præſenti quæſtioni aſſeramus; Qui latroni mortem minitanti pecuniam dat ea conditione, vt nocere deſinat, non facit contractum reciprocum, ſed gratuitò dat pecuniam quamuis ſub conditione, quæ nullam obligationem nouam Iuſtitiæ latroni imponit; qui itaque reſignat beneficium Titio ea conditione, vt ab actuali vexatione ceſſet, non imponit ipſi nouam obligationem, neque cum eo contractum reciprocum celebrat, atque adeò nullam committit Simoniam.

Dico tertio conferre rem ſpiritualem ex pacto, & promiſſione, ne deinceps hoſtis inferat iniuriam, aut malum, quod minitatur, infligat, Simonia eſt ex Layman, Suarez Victor. Bonacin. & aliis ſuperiùs adductis, quia tunc eſt verum pactum, vti ſupponitur, & noua obligatio præſtandi aliquid temporale, nempe ſecuritatem pro ſpirituali; nihil igitur deeſt ad veram Simoniam. 4

CONSECTARIVM III.

An conferre beneficium ex metu lucri ceſſantis ſit Simonia.

Ratio dubitandi eſt, quia operari ne- 1

ne lucrum amittatur, eſt operari pro lucro temporali, ſicut poſtulare ne lucrum ceſſet, eſt poſtulare vt lucrum detur; ſi igitur pro ea non ceſſatione lucri detur aliquid ſpirituale, reuerà committitur Simonia, quia ſpirituale cum temporali commutabitur. Quare Soto. *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 3. exiſtimat eam collationem eſſe Simoniacam, quia Epiſcopus alicui beneficium confert, ne rogantem principem offendat, atque ita à pinguiori aliqua ſede acquirenda impediatur. Idem aſſerit Victor. *num.* 15. de eo, qui ne amittat ſtipendium, aut ſalarium ſibi conſtitutum à principe, confert beneficium illi, quem princeps deſignauit. Denique paſſim Simoniacus habetur, qui confert ſuo debitori beneficium ex timore amittendi ſua debita.

2 Reſpond. tamen cum Suar. *cap.* 37. *cit. num.* 17. & ſeq. cui ex more adhæſit Filluc. *tract.* 45. *cap.* 9. *num.* 10. diſtinguendum eſſe, nam ſi pactum intercedat de non ceſſatione lucri, atque ita oriatur noua obligatio, ne ceſſet lucrum, committitur manifeſta Simonia, quia reuerà fit pactum de obtinendo lucro, quod ſi id pactum non ſit, ſed primaria intentio eiuſmodi lucri, dabitur Simonia mentalis ſecundùm ea, quæ dicemus quæſt. ſeq. eſtque aperta differentia inter damnum imminens, & lucrum ceſſans; ceſſatio enim damni iniuſti, expreſsè poſtulari poteſt, & per modum conditionis apponi, quia nihil petitur pretio æſtimabile, & ad quod alter non teneatur ex Iuſtitia, & idcircò nulla ipſi imponitur noua obligatio, ſed tantùm petitur, vt ab iniuſta actione deſiſtat: at verò petere, vt lucrum non ceſſet, eſt petere vt detur, & conſequenter petitur aliquid pretio æſtimabile, ad quod alter non obligatur; quarè ſi ineatur pactum de non ceſſarione illius lucri, ſiue de acquirendo illo lucro, iam fit manifeſta Simonia. Quando verò nihil paciſcimur, ſed tantùm volumus vitare indignationem, offenſionémque illius, à quo quidpiam ſperamus, curamúſque illius beneuolentiam promereri, vt ſic alamus noſtras ſpes, non eſt Simonia: An verò ſit aliud peccatum ex variis circumſtantiis penſandum erit, atque ex ea diſtinctione facilè fuerit difficultates propoſitas explicare.

Nam primo Epiſcopus, qui ſolùm intendit vitare offenſionem Principis, à quo nouam dignitatem ſperat, ideóque confert beneficium ex eius voluntate, non eſt Simoniacus, vti reuera eſſet, ſi ex pacto obtinendæ illius nouæ dignitatis, aut propriæ conſeruandæ beneficium conferret. 3

Secundo idem ſentiendum eſt de eo, qui timet, ne, ſi principem offendat in collatione beneficij, amittat ſtipendia ſibi ab eo conſtituta; ſi enim pactum omne abſit, & duntaxat cauere velit offenſionem, ex qua incurreret damnum illud, quod timet, non eſt etiam Simoniacus, quia reuerà non dat ſpirituale ex pacto oneroſo pro temporali.

Tertio Quoad collationem factam debitori ex timore amittendi debitum, ſi noua obligatio imponatur debitori ex nouo pacto, nouaque, aut maior idcircò ſecuritas recuperandi debiti comparetur, eſt Simoniaca; quia iam ex pacto accipitur aliquid pretio æſtimabile; ſecluſo autem omni pacto, & noua obligatione, ceſſat omnis Simonia, cùm nullum

nullum lucrum intendit collator, ſed tantùm quod ſuum eſt, quæ intentio non impedit, quominus collatio ſit gratuita. Neque aliquis aſſeret committi Simoniã, ſi Epiſcopus Clerico pauperi conferret beneficium, vt eius prouentibus ſe aleret, atque ſua nomina diſſolueret; quod verò ipſe Epiſcopus ſit creditor, non efficiet Simoniam potiùs, quàm ſi alij eſſent creditores, quia non debet creditor eſſe peioris conditionis ex eo quod ſimul ſit collator beneficij.

Quarto qui præſentat, aut eligit ad beneficium, filium Iudicis ex pacto abſoluendi reum, aut minuendi pænam ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, Simoniacus eſt, quia rem pretio æſtimabilem ex pacto accipit pro re ſpirituali: ſi verò nullum pactum fuerit, ſed ſolùm ea ratione velit ſibi beneuolentiam Iudicis conciliare, non erit Simonia; poterit tamen eſſe ſacrilegium, ſi actione ſpirituali ad extorquendam iniuſtam abſolutionem abutatur. Atque ex his ſimiles alias difficultates facillimè explicabis.

CONSECTARIVM IV.

An pecunia quæcunque, aliáve minuta munera ſufficiant ad Simoniam.

Diximus munus à manu, ab obſequio, & à lingua eſſe pretium Simoniæ, quærimus, an quodcunque eiuſmodi munus etiam minimum ſufficiat ad pretium Simoniacum.

1 Ratio dubitandi petitur *ex cap. Etſi quæſtiones. de Simonia*, vbi equus datus Cardinali propter exiguitatem muneris non cenſetur arguere Simoniam, additque Pontifex, ſi ipſa perſona electi offerat ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium aut de vino, ſiue de aliis eiuſmodi, quæ modici pretij fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel mouere non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſueuit accipientem in his delinquere, vel donantem. Itaque Gloſſa ait ex Eccleſiæ ſenſu, & interpretatione in his modicis non committi Simoniam, videtúrque ita ſentire Tiraq. *tract. de Iudicio in rebus exig. ver.* 30. Ricci. *in deciſionibus Curiæ Neapolit. deciſ.* 208. *num.* 6. Reginald. *lib.* 23. *num.* 166. & 219. Flamini. *quæſt.* 27. *de confident. numer.* 95. Nauarr. *in comm. de datis, & promiſſ. pro Iuſt. vel gratia. num.* 20. refértque in hanc rem aliquam Rotæ deciſionem Barboſ. *in collectan. ad C. Etſi quæſtiones. num.* 3.

* Reſpond. nihilominus, & dico, ad veram, & propriam Simoniam ſufficere quamcunque exiguam pecuniam, & pretium minimum ex pacto, & promiſſione datum. Ita Maior. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *con.* 7. Durand. *ibid. num.* 6. Paludan. *quæſt.* 5. *num.* 23. Antonin. 2. *par. tit.* 1. *cap.* 5. Nauarr. *conſ.* 52. *de Simon. num.* 1. & in *Enchirid. cap.* 23. *numer.* 101. neque ſibi idcircò contrarius eſt, vt ſtatim dicemus, afſertque pro ſe S. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1. & 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. & 4. Gloſſa *in cap. Ex tua. de Simonia. ver. ſex ſolidos*, vbi obſeruat quantitatem muneris, diuerſitatem Iuris non inducere, ideóque quidquid accedit ſorti, vſura eſt, quæ proinde in quacunque quantitate committi poteſt. Idem quoque affirmant Panormit. Felin. aliique in commentariis ad *illud cap. Ex tua.* & Gloſſa *in cap. plerique.* 14. *quæſt.* 3. *ver. poma.* Suar. *cap.* 38. *de Simon. num.* 2. & commu- 2

nem ſententiam eſſe dixit Binsfeld. *in cap.*18 *de Simon. quaſt. vnic.conc.* 1. Garc. 7. *par. cap.*1. *num.* 78. quia reuerà datur temporale in pretium rei ſpiritualis, in quo conſiſtit ratio Simoniæ; exiguitas autem rei temporalis non impedit, quin detur reuera in pretium, ſi datur ex pacto, vt ſupponitur: venditur itaque res ſpiritualis, atque ita patitur iniuriam eò fortaſſis maiorem, quo viliori pretio diſtrahitur. Et ſane *in cap. Ex tua*, qui pro ſua præſentatione ad ordines ſex ſolidos Archidiacono præſentatori dederat, abſtinere ab ordine, & in Monaſterium recludi iubetur. Concil. Bracarenſ. II. *cap.* 4. Simoniacos dicit, qui pro modico Balſami benedicti tremiſſem exigebant. idem dicitur de quarta parte Sicli. *cap. Iudices.* 1. *quaſt.*1. *num.*12. Hieronym. *in cap.* 3. *Malach.* Authores verò in contrarium allati vel diſputant tantùm de grauitate huius criminis, quod veniale eſſe volunt, quando pretium temporale exiguum eſt; qua de re alibi. Vel de foro externo, in quo non præſumitur Simonia, neque paruum munus datum eſſe in pretium, quod vnum dicitur *illo cap. Etſi quaſtiones*, quod monet Gloſſa citata *in cap.plerique* 24.*quaſt.* 3. itaque munuſcula offerri poſſe Prælatis, contendit Roderiq. *tom.* 2. *qq. Regula. quaſt.*47.*art.*3.*ſub finem*, & Tiraq. *loc. cit. ver.* 82. non prohiberi Iudicibus munuſcula, quæ ſua exiguitate Iudicis animum immutare non poſſunt: indéque fit etiam, vt eiuſmodi Simoniacus, quia verè in pretium rei ſpiritualis aliquid temporale quamuis exiguum dedit, non cenſeatur in foro externo incurriſſe excommunicationem Simoniacis inflictam, qua de re Nauarr. *conſ.* 52. idque vnum voluit iis locis, quibus noſtræ ſententiæ repugnare videtur. Denique vix vnquam ex donatione temporalis modici committitur Simonia, quod aduertit Bonac. *diſp. de Simon. quaſt.*3.*num.*13.

CONSECTARIVM V.

An conferens beneficium ex promiſſione remittendi debiti ſit Simoniacus.

Reſpondeo, & dico, in hoc Caſu committi Simoniam, quia remiſſio debiti & promiſſio illius eſt aliquid pecuniâ æſtimabile, & proprium munus à manu; ſi igitur de eo paciſcatur conferens rem ſpiritualem, Simoniam committet. cap. *Talia.* 8. *quaſt.* 3. Pelagius Elpidium Diaconum in Epiſcopum Catinenſis Eccleſiæ magno conſenſu deſignatum monet, ne cuiquam aliquid ſe daturum eſſe promittat. *Sed neque de Eccleſiaſticis prateritis cauſis aliquam ſecuritatem cuiquam audeat facere, ſiue permittere, aut quaſi factus Epiſcopus ea, qua direpta ſunt, non repetat.* cap. *veniens.* 10. *de Teſtibus*, accuſatur quidã Lucius Præsbyter, *qui promiſiſſet vnicuique Parrochianorum quinque barillos vni remittere, qui ſacerdoti ibi pro tempore ſeruienti conſueuerant pro beneficio dari.* quia, vt obſeruauit Gloſſa. *ver. remittere*, qui debitum dimittit, dare intelligitur *ex l. quin etiam.* 2. *ff. de calumniatoribus.* & *l ſi mulier.* 10. *ff. de conditione cauſa data*, &c. oſtenditque Rebuff. *ad l.*76. *ver. poſtremo. ff. de verbor. ſignificat.* Panormitan. Felin. aliíque *in cap. veniens citatum.* cap. *penultim. de Simonia*, tum ordinans, tum ordinatus ſuſpenditur, eò quod ordinans petierit ab ordinando promiſſionem nihil ab eo petendi in ſui ſuſten-

ſuſtentationem, quam illi, eò quòd ipſum ordinaſſet ſine titulo, debebat *ex cap. Cùm ſecundum. de præbendis. cap. per tuas* 37 ordinatus in ſubdiaconum ad titulum alicuius Eccleſiæ, qui præſentatori promiſerat, ſe nullam portionem petiturum in ea Eccleſia, prohibetur miniſtrare in ſuſcepto ordine, & ad ſuperiores aſcendere, quia Simoniam videlicet committit, ideóque ſuſpenditur ab ordinibus, quamuis exiſtimaret, ſe nihil illicitè agere. Itaque Simoniam in hoc caſu agnoſcunt Vgolin. *de Simon. tab. 4. num. 3.* Quaranta *in Bullar. ver. Ordo.*

Vnde colligunt Suar. *l. de Simon. cap. 38. num. 5.* Azor. *lib. 12. cap. 15. queſt. 1. 3. par. Inſtitut.* Nauarr. *cap. 25. num. 158. §. declaratio prima*, hanc pænā incurrere eum, qui conſtituenti ſibi patrimonium ad titulum ordinationis promittit ſe nihil vnquam poſtulaturum; & verè Simoniacum eſſe dixit Suar. & Azor. Nauarr. autem loquitur tantùm de ſuſpenſione lata *in cap. 37. & penultim. de Simonia*, probant, quia iſte mediā remiſſione debiti conſtituit ſibi titulum ad ordines. Sicut Patronus ſi peteret ab eo, quem præſentat, promiſſionem non petendi redditus, Simoniam omninò committeret.

2 Probabilius tamen eſt, in hoc pacto reſtituendi patrimonium, aut non petendi ab eo, qui illud ad ordines conſtituerat, nullam conſtitui Simoniam. Ita Nauarr. *conſ. 17. de Temp. ordinat.* Tolet. *lib. 1. cap. 48. num. 6.* Henriq. *lib. 10. cap. 17. §. 3. lit. O.* Ferdinand. à Caſtro *tractat. 17. diſput. 3. p. 3. num. 2.* Barboſ. *in collectan. ad 37. de Simon.* Garc. *2. par. de benefic. cap. 5. num. 168.* quia iſta conſtitutio patrimonij non eſt aliquid ſpirituale, neque eſt vera præſentatio ad ordines, vti ſupponit Suar. tum *loc. cit.* tum *tom. 5. in 3 par. diſput. 31. ſect. 1. num. 35.* vbi diſtinguit duplicem donationem patrimonij, vnam, quæ fit ſpecialiter ad finem ſuſcipiendi ordines illo titulo: altera autem fit ſimpliciter, quamuis donatarius deinde ipſa vſurus ſit ad ſuſcipiendos ordines. Prior illa eſt præſentatio ad ordines, non iſta poſterior; quare qui circa illam priorem donationem paciſcitur de non petendo, aut reſtituendo patrimonio poſt ſuam ordinationem, reuera paciſcitur cum ſuo præſentatore, atque adeò Simoniam committit, & incurrit ſuſpenſionem inflictam *in cap.* illo *47. & pen. de Simonia.* Verùm nulla hic omninò eſt præſentatio; nam in Iure præſentator dicitur ille, qui præſentat ad titulum ſuæ Eccleſiæ, vel beneficij, vti habes *in cap. 37. de Simon.* quod confirmatur ex eo, quod donans patrimonium ad ordines poſſit apponere pactum de eo ſibi reddendo, vbi ordinatus habuerit beneficium ſufficiens, aut alia bona, ex quibus viuat. Vti diſertè aſſerit Congregatio *ſacri Concil. Trident.* in declaratione relata à Garc. *2. par. cap. 5. num. 93.* atqui ſi conſtituens patrimonium eſſet præſentator, vti contendebat Suar. pactum iſtud foret Simoniacum, ſicut ſi fieret cum præſentatore, cui remitteretur debitum. Denique Tolet. *loc. cit.* refert, in Pænitentiaria ſacra declaratum eſſe hoc pactum de reſignando contractu patrimonij aſſignati in titulum ordinum ſuſcipiendorum non inducere Simoniam.

Immò neque ſuſpenſionem, & pænas impoſitas *cap. 37. & penultim. de Simon.* incurri per hoc pactum 3

cum conſtituente patrimonium, neque violari Sixti V. & Clem. VIII. conſtitutiones de iis, qui ficto patrimonio, aut titulo ordinantur, tradit idem Tolet. *loc. cit.* Garc. *cap. 5. cit. num.* 161. Rtodriq. *in ſumma.tom.2. cap.15.num.5.* Petr.Ledeſma *in ſum. 1.par. de Sacrament. Ordinis. cap. 7. con. 6. diff. 3.* Quarant. *in Bulla, ver. ordo. §. quod intellige.* Henriq. *lib.10. cap. 17. §. 3. litt. O. & lib. 15. cap. 37. §. 2.* Piaſcec. *in praxi Epiſcop. part. 1. cap. 1. art. 7. num. 5.* Sayr. *lib. 4. Teſaur. cap. 14. num. 16.* Flamin. *lib. 2. de reſignat. quaeſt. 6. numer.* 18. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancella. Gloſſa 5. §. 10. num.* 25. Konink. *diſp. 16. de Sacram. dub. 5. num.* 38. Homobon. *2. part. Examin. tract. 11. cap. 10. quaeſt. 22.* Diana. *part. 2. tractat. 2. Miſcellan. reſolut.* 5. Barboſ. & Ferdinand. ſuperiùs laudati, quamuis pleríque recentiores repugnent cum Suar. & Azor. & Nauarr. adductis, ex quibus Nauarr. videtur ſibi contrarius, ſi enim Simoniam non committit ita paciſcens, non incurret ſuſpenſionem, quæ non infligitur in illis Iuribus, quæ adduximus, niſi propter Simoniam, vt *in cap. 37. de Simon.* Gloſſa obſeruauit. Iſtis nihilominus DD. adhæſerunt Comitol. *lib. 6. Reſponſo. quaeſt. 38.* Sanch. *lib. 6. de Matrim. diſput. 32. num.* 8. Bonacin. *diſput. 8. de Sacram. quaeſt. vnic. punct. 5. num.* 24. Filluc. *tract. 17. cap. 5. num.* 89. Reginald. *lib. 32. praxis. tract. 2. cap. 25. ſect. 3. num.* 72. Scorr. *in conſtit. Pontific. Theoremat.* 136. De la Cruz *in Director. par. 2. de Sacram. Ordin. dub. 6. con.* 2. atque alij apud Garc. *num.* 166. Ratio tamen noſtri dicti apertiſſima eſt, quia *in cap. Per tuas. 37. & cap. penultim. de Simon.* vbi ſuſpenſio illa infligitur, agitur tantùm de ordinato cum pacto Simoniaco, de non petendo prouiſionem, & alimenta ab ordinante ipſum ſine titulo, vel à beneficiario eum præſentante ad ordinem ſub titulo ſuæ Eccleſiæ, aut beneficij; donatio autem patrimonij, & pactum de illo reſtituendo eſt aliquid longè diuerſum, vti iam monuimus. Non ordinatur autem iſte ficto titulo contra Sixti V. conſtitut. qui ordinatur cum patrimonio ſibi donato, cum pacto reſcindendi illam donationem poſt factam ordinationem; nam fuit ille ordinatus cum patrimonio vero, & non ficto; fuit enim per veram eiuſmodi donationem tranſlatum dominium in donatarium, quamuis ſub modo, eſtque ea donatio diuerſa ab illa, quæ fit, de non vtendo illâ, aut non petendo rem donatam, quia hæc poſterior donatio eſt verbalis tantùm, alia autem eſt realis, & dominij tranſlatiua. Deinde iſtud pactum de reſtituendo patrimonio poſt ordinationem non valet, neque obligat in conſcientia, cùm fiat contra diſpoſitionem Conc. Trident. *cap. 2. ſeſſ. 21. de Reformat.* vbi extingui, aut alienari patrimonium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, ſine licentia Epiſcopi prohibetur. Quare illud pactum, & conditio adiecta donationi patrimonij non valent, & habentur pro non adiectis. Si verò patrimonium fuiſſet reſtitutum donatori, aut contractus donationis reſciſſus, aut contrario contractu renuntiationis irritatus ante ordinationem; iam ordinatur ſine vero titulo, atque ita incurrit ſuſpenſionem latam à Sixto V. quæ conſtitutio cùm à Clement. VIII. reuocata fuerit ad terminos iuris communis, dubitatur, an iſta pœna ſuſpenſionis ex iure communi impoſita ſit ficto titulo ordinatis.

Quæ

Qua de re vide Scortiam *in conſtitut. Pontific. theorem.* 379. videtúrque probabilius exiſtimaſſe Henriq. Konin. & alios, nihil tale colligi ex iure communi. Verùm ſi daremus eam pænam ex ficto patrimonio ordinatis impoſitã fuiſſe, illi obnoxius eſſet hic de quo agimus, quia reuerà dum ordinatur, nullum habet titulum, neque verum patrimonium, vt pluribus habet Garc. *cap.* 5. *cit. nu.* 170. *& ſeq.*

CONSECTARIVM VI.

An conferens ſpirituale ex pacto mutui, aut differendæ, vel anticipandæ ſolũtionis, ſit Simoniacus.

1 Reſpond. & dico primo pactum iſtud de mutuanda pecunia conferenti beneficium, aut aliquam aliam rem ſpiritualem, Simoniacum eſſe. Ita Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. & *conſil.* 14. *num.* 6. *& conſil.* 23. *num.* 2. *de Simon.* Vgolin. *de Simon. tab.* 1. *cap.* 9. §. 5. *num.* 2. Molin. *tract.* 2. *diſput.* 310. §. *quoad vltim.* Suarez *lib. de Simon. cap.* 38. *num.* 7. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 9. *num.* 65. Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 5. quando pactum fuit de mutuatione dixit eſſe confidentiam. Quod iterum latè examina. *quæſt.* 36. *de confident.* Quanquam quod attinet ad confidentiam, alia ſit difficultas, de qua quæſt. 9. dicam inferius; modò agimus tantum de Simonia, quam in iſto pacto tacito, vel expreſſo eſſe contendunt laudati DD. quibus acceſſit Garc. 11. *par. cap.* 3. *num.* 171. Azor 2. *pa. lib.* 7. *quæſt.* 2. Rodriq. *ver. Simon. cap.* 59. *con.* 2. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim.* §. 3. Ferdinand. à Caſtro. *de Simon. diſput.* 3. *punct.* 3. *num.* 3. Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 1. §. 1. *num.* 7. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 9. *num.* 12. Ratio eſt, quia in hoc caſu datur res ſpiritualis pro temporali commodo ex pacto oneroſo, atque obligatione Iuſtitiæ, in quo conſiſtit propria ratio Simoniæ.

2 Dices, mutuum non eſſe aliquid pretio æſtimabile, alioquin aliquid liceret accipere pro officio mutuandi, atque ita non committeretur vſura accipiendo aliquid ſupra ſortem, caperetur enim pro officio mutuandi; quando igitur datur ſpirituale ex pacto mutui, non datur pro aliquo æſtimabili pretio.

Reſpond. primo mutuum ſiue ſit aliquid pretio æſtimabile diſtinctum à re mutuata, ſiue non, eſſe tamen aliquod commodum temporale, pro quo datur ex obligatione Iuſtitiæ in noſtro caſu ſpirituale; atque ita eſt vera commutatio temporalis cum ſpirituali, cui proinde fit iniuria, committitúrque Irreligioſitas, quæ alia non eſt, quàm Simonia.

Reſpond. ſecundo in morali hominum æſtimatione illa obligatio mutuandi, ipſúmque mutuum tanti ſit, vt cenſeatur ſufficiens ad animos corrumpendos, ideóque mutuans Iudici exiſtimatur legum emptor. Ex Bald. *in l. quiſquis. C. ſi certum petatur. & l.* 1. *ff. de Calumniat.* Itaque licet pecunia mutuata non detur pro re ſpirituali, ſed pro æquali pecunia reſtituenda; illa tamen obligatio mutuandi eſt onus quoddam temporale, de quo fit pactum ad obtinendam rem ſpiritualem; Et denique mutuum affert vtilitatem temporalem, cum qua, vt dixi, non niſi iniurioſè commutatur res ſpiritualis.

Reſpond. tertio pactum de remutuando, ſi ciuilem obligationem inducat,

ducat, & à quo quis nequeat recedere pro arbitrio, vſurarium eſt, ex communi contra Adrian. *in* 4. *tractat. de Reſtitut.* §. *ſed contra*, & nos fuſius idem oſtendimus in opere *de vſuris & commerc. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 2. *conſ.* 19. eò quod obligatio mutuandi ſit onus quoddam, idcircò Soto *lib.* 6. *de Iuſtitia. quaeſt.* 1. *artic.* 2. & Molin. *tractat.* 1. *diſput.* 308. *num.* 4. exiſtimant eos, quibus incumbit vel ex munere ſibi impoſito, vel etiam ſponte annuente Republ. ſuſcepto indigentibus mutuari; ita vt ad id cogi poſſint, aliquid ſupra ſortem, vel à Republ. vel ab ipſis mutuariis accipere poſſe, quo illa mutuandi obligatio compenſetur; pactum igitur inducens talem obligationem pretio æſtimabilem, liquidò vſurarium eſt, idque tandem in praxi tenendum eſſe monet Leſſius *cap.* 20. *lib.* 2. *num.* 58. quidquid ſit de probabilitate ſpeculatiua ſententiæ Adriani. Neque dicas, eum, qui non vult mutuare pecuniam niſi ſub conditione accipiendi mutuatum triticum, non committere vſuram ex S. Thom. 2. 2. *quaeſt.* 78. *art.* 2. Suar. *lib. de Simon. cap.* 38. *num.* 6. *& cap.* 37. *num.* 16. Nam aliud eſt, nolle dare in præſenti mutuum niſi cum obligatione accipiendi mutuum in futurum. Aliud verò ab eo, cui das mutuum, ſimile quidpiam petere tanquam conditionem, ſine qua nolis dare; in priori enim caſu eſt obligatio, eáque ciuilis, in poſteriori nulla imponitur obligatio, ſed ſolum mutuum petitur, & ſi quæ ſit obligatio, quod fortaſſis verius eſt, ea eſt reciproca, ac proinde eſt æqualitas in eo contractu. Ex quibus vides, pactum mutuandi pro re ſpirituali obtinenda eſſe Simoniacum, quandoquidem datur temporale pro ſpirituali; nam vel eſt obligatio mutuandi in futurum, eáque, vt iam dixi, conſtituit vſuram, quando adiicitur mutuo ex pacto, quia reuerà aliquid æſtimabile accipitur ſupra ſortem vi mutui; faciet igitur Simoniam, quando imponetur à conferente rem ſpiritualem; ſi verò ſit obligatio mutuandi in præſenti ex pacto, ea tamen eſt pretio æſtimabilis, vti iam dixi, & ideò faciet Simoniam, ſi imponatur pro re ſpirituali, quamuis fortaſſis non conſtituat vſuram, quia, vt iam monui, videtur eſſe reciproca quædam obligatio in pacto mutuandi pecuniam v. gr. & remutuandi eiuſdem valoris triticum. Cùm itaque in iis obligationibus reciprocis ſit æqualitas, omnis iniuſtitia & vſura aberit. At verò in collatione rei ſpiritualis cum pacto, & obligatione mutuandi non poteſt fingi æqualitas, cùm ſpirituale, & temporale diuerſi ſint ordinis, & nullo modo comparabilia, & eo ipſo quòd comparantur inuicem, fit iniuria rei ſpirituali, in qua iniuria rerum ſpiritualium ratione commutationum, conſiſtit eſſentialis ratio Simoniæ; atque eo ſenſu ſapienter aduertit Suar. Simoniam, & vſuram in omnibus non conuenire, quandoquidem committi poterit Simonia, vbi non reperietur vſura.

Dico ſecundo pactum differendæ, aut anticipandæ ſolutionis pro re ſpirituali eſt Simoniacum, quia hæc pacta continent mutuum virtuale, & ſunt pretio æſtimabilia: Ergo datur ſpirituale pro temporali ex pacto.

***

CONSE

CONSECTARIVM VII.

An collatio beneficij ſub grauamine penſionis ſit Simoniaca.

1 Observa, penſionem duobus modis imponi poſſe beneficio in eius collatione. primo quia Epiſcopus, aut Pontifex ex iuſta aliqua, & neceſſaria cauſa, penſionem, aut reſeruationem partis fructuum imponit beneficio, atque illud ita oneratum confert. ſecundo quando ex pacto, & conſenſu eius, cui conferendum eſt beneficium, ea penſio vel collatori, vel alij ſoluenda indicitur pro ipſa collatione, eſt enim pactum vt conferatur Titio beneficium, Titius verò ad eam collationem obtinendam conſentiat in penſionem ex fructibus beneficij ſoluendam. De hoc autem poſtremo tantùm caſu intelligendum eſt noſtrum conſectarium; certum enim eſt, poſſe imponi penſionem beneficio ex iuſta cauſa, atque beneficium deinde ſic oneratum conferri, vti ex tract. de penſionibus ſuppono; Neque ibi vllum eſt pactum Simoniacum, cùm neque ibi pactum ſit, quandoquidem ad penſionem, aut reſeruationem faciendam non requiritur conſenſus eius, cui beneficium eſt conferendum: deinde non imponitur ita penſio pro collatione, ſed aliam ob cauſam iuſtam, & neceſſariam. Tota itaque quæſtio eſt de pacto penſionis, quod fit inter Collatorem & Collatoriam.

2 Hoc porrò pactum dico eſſe Simoniacum cum Flamin. *lib. 6. de reſignatione. quæſt. 2. num. 3.* Campeg. *de penſionib. num. 2.* Snar. *lib. de Simon. cap. 38. num. 10.* Ferdinand. à Caſtro *diſput. 3. tract. 17. punct. 3. num. 4.* & aliis paſſim. Ibi enim eſt promiſſio certæ ſoluendæ pecuniæ pro collatione beneficij, eſt igitur manifeſtiſſima Simonia, niſi enim pactum, & promiſſio eſſet inter Collatorem, & Collatarium, ad quid eius conſenſus exigeretur ad penſionis, aut fructuum aliquorum reſeruationem? idque omninò definit Innocent. III. *cap. vnic. vt Eccleſiaſtica beneficia*, nam circa prouentus, quos ſibi reſeruauerat Archiepiſcopus Mediolanenſis conferendo cancellariam ita diſtinguit, vt ſi ante collationem non percipiat quis prouentus beneficij collati, ſed ex ipſa donatione, & collatione illos percipiat, *dubium non eſt intercedere Simoniacam prauitatem.* Si verò ante donationem beneficij percipiat prouentus, iterum diſtinguit, *nam ſi ante donationem conſtituerat ex iuſta cauſa, & neceſſaria, vt ipſi prouentus ad tempus retineantur, licitè facit; ſi autem conuenit cum eo, qui accipit beneficium vel mediatore quocunque, vt officio illo conceſſo retineat ipſe ſibi prouentus, prauitatem ſuam ſatagit palliare*, non aliam ſanè prauitatem quam Simoniacam, quæ eſt communis interpretatio huiuſce decretalis, vt videbis apud Barboſ. *in collectan.* quia tunc non imponitur penſio tantùm in collatione, ſed ex collatione, aut vi ipſius, ita vt collatio compenſetur cum penſione ex pacto inter Collatorem & Collatarium facto. Denique aliud eſt imponere penſionem ſuper beneficio, aliud facere collationem conditionalem vel modalem ex pacto, vti fit in hoc caſu, quod aduertit Nauarr. *conſ. 4. de Simonia.*

Hinc fit, vt qui conuenit cum Aulico, vt ſi ſibi beneficium impetret,

conſentiat creationi penſionis, Simoniacus ſit ex Nauarr.*cap.*23.*num.* 107. & *conſil.*57. *de Simon.* vbi ſapienter addit, non poſſe aliter ab vllo Iuriſconſulto, aut confeſſario reſponderi.

Secundo idem ſentiendum eſſe dicit *conſect.* 47. de eo, qui vt alterius auxilium in proſequenda lite beneficiali obtineret, penſionem illi promiſerat ſuper beneficio litigioſo.

Tertio renuntiat Simoniacè, qui promittit, quod ſi beneficium reperiatur penſione grauatum, ipſe ſoluet penſionem. Ita Flamin. *lib.* 14. *de Reſignat. quaſt.*4. *num. vlt.*

CONSECTARIVM VIII.

An collatio rei ſpiritualis cum pacto cedendi beneficio Eccleſiaſtico ſit Simoniaca.

1 Observa, quædam eſſe beneficia incompatibilia inter ſe, ita vt vno obtento alterum vacet ipſo iure; eiuſmodi ſunt, quæ habent curam animarum. *Cap. multa de prabendis*, & *Extrau. Execrabilis. eod. tit.* præbendæ quoque vniformes ſub eodem tecto, duo Canonicatus in eadem Eccleſia. Alia verò non vacant ipſo iure, obtento altero, ſed veniunt vacanda; Neque enim Canonicatus vacat obtenta parrochia, vel dignitas vacat obtento Canonicatu, alióve ſimplici beneficio, cùm nullo iure id ſtatutum ſit, vti fuſiùs docemus alibi.

Aduertendum præterea eſt, ceſſionem, aut reſignationem beneficij poſſe fieri vel in fauorem collatoris, vel in fauorem tertiæ perſonæ, aut nulla aſſignata perſona, quia fortaſſis, qui hanc renuntiationem poſtulat, exiſtimat ſe aut alium, cui fauere vult, beneficium ita dimiſſum à collatore impetraturum, ſiue quapiam alia de cauſa. Denique poſtulari poteſt, vt iſta renuntiatio fiat, vel ante collationem ſecundi, vel poſtea, ſiue iſtud ſecundum ſit incompatibile, ſiue compatibile tantùm.

Dico primo quoties confertur aliquid ſpirituale cum onere, & obligatione dimittendi aliquod beneficium, illudve relinquendi, committitur propter temporale emolumentum connexum ſpirituali, quod relinquitur. Ita Sylueſt. *ver. permutatio.* 2. *quæſt.* & alij, quibuſcum diximus in priori difficultate commutationem beneficiorum eſſe Simoniacam; Nam etiamſi non ſit in noſtro caſu propria commutatio, eſt tamen aliquid ſimile, quandoquidem vt obtineas vnum beneficium, aut aliquod aliud ſpirituale, cogeris dimittere tuum beneficium, ſiue illud ſimpliciter dimittas, ſiue in fauorem certæ perſonæ deſignatæ. 2

Dico ſecundo qui conferens Titio beneficium incompatibile cum eo quod habet, & quod poſt adeptam noui poſſeſſionem ipſo iure vacabit, petit ab illo, vt ſuum illud relinquat, non eſt Simoniacus. Ita Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. capit.* 11, *num.* 4. Garc. 8. *part. de benefic. cap.* 2. *num.* 22. & 28. Coſmas. *in pragmat. ſanct. titulo de Collatio.* § *ſequuntur qualificationes. ver. voluerit.* Pauin. *de offic. & poteſtate Capit. ſede vacan.* 1. *quæſt.* 2. *par. num.* 8. Rebuff. *in praxi. tit. requiſita ad collat. bon. num.* 3. quia collator nullum eo pacto imponit nouum onus, & conditionem, quæ de iure non inſit, quandoquidem primum beneficium ipſo iure

iure vacat obtento ſecundo, vti ſupponimus.

Obiicies, ex hoc pacto naſci nouam, & ſpecialem obligationem, atque vt loquuntur, fortiorem ad excuſandam contradictionem, hoc eſt, potentem ad vrgendum eum, cui imponitur, & ad perimenda omnia, quæ in contrarium afferre vellet: atqui eiuſmodi noua obligatio non poteſt ſine Simonia induci in collatione rerum ſpiritualium etiam circa ea, quæ iure inſunt, quæ proinde in pactum deduci nolunt. Frederic. *de permutat. benefic. quæſt.* 39. & alij apud Garc. *cap.* 2. *cit. n.* 18. Reſpondeo tamen cum eod. Garc. *num.* 28. & aliis ſuperiùs adductis, nullam fingi poſſe Simoniam in eo pacto, vt quis ſe obliget ad præſtandum id, ad quod iure ipſo obligatur, alioquin nunquam in ſpiritualibus liceret aut iuramentum, aut promiſſionem accipere ad opera, ad quæ quis obligatur aliunde facienda; eóque pacto poſito aliquid ſpirituale v. gr. abſolutionem à peccatis, aut cenſuris conferre, vel Sacramenta miniſtrare. Vel vt clariùs res tota explicetur, hoc pactum non fit, vt ex eo conferatur beneficium, ſed eſt modus & conditio, quæ apponitur in collatione, de cuius conditionis, & modi adimpletione promiſſio poſtulatur, quam promiſſionem pactum iure merito vocamus.

3 Dico tertio qui confert beneficium Titio incompatibile cum eo quod habet, ea conditione, vt relinquat prius ante ſecundi iſtius poſſeſſionem, vel collationem, comittit Simoniam, quia quamuis inſit de iure quod aſſecutus ſecundam v. gr. parrochialem cum effectu, teneatur dimittere primam, cùm vacet ipſo iure per aſſecutionem ſecundæ, non tamen ineſt, quod ante collationem, & aſſecutionem ſecundæ debeat dimittere primam. Quarè collator tunc imponit nouum onus.

Dico quarto quando conferens beneficium obligat collatarium ad dimittendum prius quod habebat, quódque per collationem ſecundi iſtius non vacat ipſo iure, Simoniacus eſt. Ita Selua. *de benefic.* 2. *par. quæſt.* 20. *num.* 2. *&* 3. & alij in ſecunda concluſione laudati, quia apponitur conditio oneroſa, quæ de Iure non ineſt collationi.

CONSECTARIVM IX.

Regula vniuerſalis circa munus à manu in collatione, & reſignatione beneficiorum.

Ex omnibus hactenùs diſputatis Colligo tandem vniuerſalem Regulā circa beneficia, & munus à manu, quod in eorum collatione prohibetur ad vitandam Simoniam ſaltem ex Iure Eccleſiaſtico. Quare

Dico. Onera, conditiones, & obligationes, quæ de iure inſunt beneficiis, eorúmque collationi, non inducere Simoniam, neque per munus à manu ſignificari. Impoſitiones verò oneris non annexi etiam pij Simoniam continere. Ita Gloſſa *in cap. ſignificaſti. ver. Conditione. de electione.* & *ibid.* Panorm. *num.* 6. Gloſſa item *in cap. Cum M. de conſtit. ver. nihil.* & *in cap. ad audientiam.* 2. *de reſcriptis. ver. renuntiantes.* & Gloſſa 1. *in Clem.* 1. *de reſtitut. ſpoliat.* & DD. locis citatis, atque alij, quos dabit Garc. 8. *par. cap.* 2. *num.* 14. Ratio eſt, quia in primo caſu nihil omninò noui imponitur, vnde in ea expreſſione nequit eſſe Simonia; in 1

ſecundo caſu etiamſi detur ſpirituale pro ſpirituali onere, quia tamen ſpirituale illud habet annexum aliquod temporale emolumentum, videtur illo emolumento temporali compenſati pium onus, quod poſtulatur è pacto, idcircò eiuſmodi pacta tanquam Simoniaca prohibet Eccleſia, dum in vniuerſum prohibet pactiones circa ſpiritualia. *cap. pactiones, de pactis.* & *cap. in tantum, de Simonia.* Denique omnis obligatio oneroſa onus eſt, quamuis ſpiritale, ac proinde impedit, quominus collatio beneficij ſit omninò libera, & ſine vllo pacto, conditione, aut modo, qualis tamen eſſe debet ad vitandam omnem Simoniam, vt tradit Felin. *cap. ad audientiam, de reſcript.* 2. *num.* 3. Staphil. *de literis gratia. tit. reſignat. modus. num.* 5. Rebuff. *in praxi tit. de pura reſignat.* Flamin. *lib.* 14. *de reſignat. quaſt.* 3. *num.* 1. Celſus *de benefic. & penſion. cap.* 13. *num.* 7. Tuſch. *litt. S. conc.* 253. Garc. 11. *part. de benefic. cap.* 3 *num.* 145. Fardinand. à Caſtro *tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 7. *ſub fin.* & alij paſſim.

2 Hæc tamen, vt dixi, Simonia, quoties onus annexum eſt ſpirituale, aut in illo non eſt obligatio pecuniâ æſtimabilis, oritur tantùm ex Iure Eccleſiaſtico prohibente; non verò ex jure diuino, quandoquidem non datur ſpirituale pro temporali; quod tamen omninò requiritur ad Simoniæ eſſentiam conſtituendam; de iſta itaque Simonia ex iure Eccleſiaſtico ferè procedunt, quæ circa beneficiorum reſignationes ſub conditione, & modo factas diſputantur, quoties conditio non continet aliquid temporale, quod detur pro ſpirituali ex pacto; quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

CONSECTARIVM X.

Caſus ſingulares explicantur.

Ex hac vniuerſaliſſima doctrina plures aliæ difficultates explicantur.

Primo Titius offert ſuum beneficium Caio patrono, vt ab illo ad pinguiorem præbendam, aut ad dignitatem Eccleſiaſticam præſentetur. Simonia eſt in tali pacto in foro externo, quia eſt pactum oneroſum in ea reſignatione beneficij facta in fauorem talis patroni. In foro tamen interno ſi non fuerit oblata iſta renuntiatio principaliter, & immediatè ad obtinendam præſentationem tanquam pretium eius, ſed tantùm tanquam cauſa impulſiua, vt faciliùs permoueret patronum ad eam præſentationem, quam liberè omninò, & ex ſola gratitudine facit, nullam fore Simoniam cenſuit Roderi. *tom.* 2. *ſum. cap.* 66. *con.* 3. quia licet dare rem ſpiritualem tanquam impulſiuam, & incitatiuam donationis rei ſpiritualis ex Nauarr. *conſ.* 25. *de Simonia, & cap.* 23. *num.* 101. quod totum nos æquè concedimus; verùm tunc non intercedit pactum, illud enim non eſt tantùm cauſa impulſiua, ſed obligatoria, & non relinquit libertatem patrono v. gr. præſentandi illum, à quo beneficium accepit cum pacto ipſum præſentandi. Itaque ſi fuerit pactum, fuit quoque Simonia; ſi verò omnis pactio abfuit, abfuit quoque Simonia.

Secundo pactio facta inter reſi- 1
gnantem, & reſignatarium, vt reſignans exigat fructus beneficij ante reſignationem debitos, & nondum ſolutos, Simoniaca non eſt. Garc. *cap.* 28. *par. num.* 15. Flamin. *quaſt.* 45. *de confident. num.* 1. vbi & deciſionem

ſionem Rotæ adducit, quia pactio continens id quod ius commune dictat, non eſt Simoniaca, vti diximus ex communi DD. conſect. ſuperiori, concl. vltim. atqui de iure communi fructus beneficij reſignati pertinent ad reſignantem vſque ad diem præſtiti conſenſus, quia hactenus reſignans fuit dominus, & potuit pænitere: Ergo pactum, in quo reſeruatur ius, & actio exigendi, ac recuperandi dictos fructus, non eſt Simoniacum, quod latè probat idem Flamin. *lib.* 1. *de reſignat. quæſt.* 12.

3 Tertio collatio facta cum pacto, & promiſſione reparandi Eccleſiam, non eſt Simoniaca. Ita Decius *conſ.* 118. *num.* 5. Flamin. *de confid. quæſt.* 45. *num.* 6. quia poſſidens beneficium de iure communi tenetur ad reparationem Eccleſiæ, quod latè oſtendit idem Flamin. *lib.* 3. *de reſignat. quæſt.* 15. ideóque pactio debet eſſe de illa ipſa reparatione, ad quam de iure tenetur, & prout de iure tenetur; nam ſi de iure tenetur ad partem tantùm Eccleſiæ reparandam, aut ad medietatem expenſarum, non poteſt imponi ipſi tota reparatio abſque Simonia; ſicut etiam ſi obligetur ad reparationem alterius cuiuſdam Eccleſiæ, aut ad eam, ad quam reſignans obligabatur non iure beneficij reſignati, ſed ex voto, aut pæna, aut aliunde. Eodem modo dicendum eſt de pacto ſoluendi debita, quibus quis erat grauatus nomine Eccleſiæ, quæ ad eorum ſolutionem obligata manebat; nam pactum initum cum reſignatario, vt ea nomina diluat, Simoniacum non eſt ex Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 65. contra Ioan. Andr. *in additi. ad Specul. de rerum permutat.* & alios, quia nihil imponitur à iure, quod de iure non inſit: ea verò quæ tacitè inſunt ſpiritualibus, poſſunt deduci in pactum *cap. ſignificatum. de præbend.* & *cap. ſignificaſti. de electione*; quod etiam tradit expreſſiſſimè Felin. *cap. ad audientiam. de reſcript.*

Quarto collatio beneficij facta 4
Clerico ea conditione vt illud alteri reſignet, aut dimittat liberè, vbi aliud pinguius beneficium ipſi dederit, Simoniaca eſt. Contra Cordub. *in ſumm. Caſu* 30. Ludouic. Lopes *tom.* 1. *inſtruct. cap.* 307. & Rodriq. *tom.* 2. *ſum. cap.* 6. *conc.* 4. ſequimur verò Garc. 8. *par. cap* 2. *num.* 26. & ſanè videtur illi DD. maximè Rodeiq. ſupponere hanc conditionem renuntiandi beneficio nullam afferre obligationem, quandoquidem ait talem renuntionem futuram liberam, & voluntariam, ſicut profeſſio, & matrimonium liberè fiunt, etiamſi præceſſerit iuramentum de ducenda vxore, & amplectenda Religione: nos verò agimus de vero pacto, aut ſaltem de noua obligatione vera, & propriè dicta, quæ non inerat de Iure beneficio, vti reuerà non ineſt illa renuntiandi obligatio, de qua agimus; ideóque eam appoſitionem conditionis pacti, atque obligationis in collatione beneficij, contendimus eſſe Simoniacam.

Quinto non poteſt Epiſcopus in 5
collatione beneficij exigere iuramentum à collatario de non reſignando illud cum penſione, aut in fauorem alicuius, ſed liberè tantùm. Nauarr. *conſil.* 1. *vt Eccleſiaſtica beneſic.* non modò illicitum dixit id iuramentum eo quod ſic tradatur beneficium cum aliqua diminutione, ſed etiam Simoniacum propter onus illud appoſitum in collatione. Deinde tale Iuramentum, atque etiam illud de non petenda relaxatione erit,

erit inutile, quia reſignando in manibus Papæ, vel cum penſione, vel in fauorem alicuius exponet in ſupplicatione tum onus ſibi impoſitum, tum iuramentum à ſe præſtitum, ſimul illius relaxationem cum admiſſione renuntiationis admittet. Similia tradit Flamin. *quaſt.52. de confident. num.9.* qui tamen priùs ſapienter dixerat,non eſſe in hoc caſu confidentiam contra Bullam Pij V. quæ agit tantum de conditione, appoſita contra Iuris ordinem in collatione,vt collatarij reſignent beneficia illis ſolùm, quibus collator voluerit, aut illis penſiones,aut fructus dent,quos aſſignârit, vt dicemus inferius; conſentit quoque Nauarro Vgolin.*tab.1. de Simon. cap.* 8. §. 3. *num.* 2. alij diſtingunnt de Iuramento; nam ſi collatio fiat cum onere præſtandi illud Iuramentum, concedunt eſſe Simoniam; ſi verò exigatur Iuramentum ante collationem, quia collator non vult aliter conferre, negant eſſe Simoniam, eò quòd non fiat aliquid directè in commodum collatoris,vel alterius, ac proinde nulla ibi ſit aut commutatio, aut Simonia, ideóque tale iuramentum licitè exigi dixit Azor 1.*par. lib.* 11.*cap.* 5. *ſub fin. & 2.pa. lib.6. cap.9.queſt.9.* & Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 17. *num.* 11. qui ait ſenſum illius iuramenti eſſe tantùm de non reſignando ſtatim. Verùm omiſſa iſta diſtinctione iuramenti præſtiti ante vel poſt collationem,perſtandum eſt in ſententia noſtri conſectarij, quam etiam docuit Ferdinand. *diſput.3. de Simoni.punc.* 3. *num.6.*quia reuerà ibi pactum eſt, & onus, quod de iure non ineſt, & non magis cedit in vtilitatem collatoris, vbi iuramentum poſtulatur in collatione, & per ipſam præſtatur, quàm ſi ante illam exigatur, & fiat: quare aut in vtroque caſu erit Simonia, aut in neutro fuerit. Deinde diximus ſuperiùs reſignationem beneficij curati cum pacto liberè reſignandi ſimplex, quod priùs habebatur, eſſe Simoniacam; illa tamen conditio non cedit directè in collatoris vtilitatem, ſed quia onerosa beneficio, & de iure non ineſt: atqui iuramentum, & pactum de reſignando beneficio, liberè, atque etiam ſine penſione, ſi quo caſu illud reſignare velit beneficiatus, de iure non ineſt; ergo continebit Simoniam.

6 Sexto ſi Epiſcopus volens conferre Parrochialem Eccleſiam alicui concurrenti, habenti aliam, petat ab illo,vt priùs dimittat Parrochiam, quam habet, & ipſe ea conditione ſuæ Parrochiæ renuntiet,vt ipſi Epiſcopus illam alteram conferat, aut ad eam ipſum nominet, Simoniam committit, quia pro nominatione ad beneficium, vel eius collatione facit aliquid ex pacto oneroſo, ad quod iure non tenetur: quod idem continget, ſi iſte concurrens renunciet ſuæ Parrochiæ retento iure ad illam redeundi, ſi ſecundam non obtineat. Ita Garc. *cap.* 2. *cit. num.* 47. Ferdinand. *punct.* 3. *cit.num.*7.

7 Septimo renuntiatio beneficij in fauorem certæ perſonæ, quamuis ex ſtylo Curiæ, & conſuetudine receptiſſima à ſolo Pontifice admitti poſſit; ſi tamen fiat in manibus ordinarij, Simoniaca non eſt, immò neque illicita, niſi vbi conſtitutio Pij V.ann.1568.edita viget,quæ incipit. *Quanta Eccleſia* Dei.

Prima pars huius conſectarij, nimirum à ſolo Pontifice admitti renuntiationes iſtas in fauorem, communis eſt, & praxi quotidiana confirmata, quamuis ante conſtitutio-

nem Pij V. de qua mox, nulla facta fuerit in Iure de hac re prohibitio Epiſcopis: pactiones quidem omnes circa beneficia, aliáve ſpiritualia, iam ſæpiùs vetitas vidimus; hæc tamen renuntiatio fieri facilè poteſt, immò & ſæpè fit ſine vllo pacto, ſiue cum reſignatario, ſiue cum Epiſcopo, vt ſtatim dicam. Itaque nullo iure ſcripto interdicitur Epiſcopis admiſſio eiuſmodi reſignationum, ſed ex ſtylo Curiæ ea colligitur: huius verò conſuetudinis æquitatem ſatis oſtendit periculum Simoniæ, & turpium pactionum, propter quod ſimiles omnes renuntiationes è Republic. Chriſtiana prorsùs exterminandas eſſe cenſet Couarru. *lib.1. varia. cap. 5. num.5.* ideóque à Prælatis inferioribus admittendas eſſe negat, quod præterea probat Suar. *lib. de Simon. cap.35. num.6.* quia Epiſcopus nequit beneficium alteri conferre, donec priùs vacet. At verò beneficium reſignatum ſub illa conditione non vacat, donec alteri conferatur; non enim prius impletur conditio appoſita. Hæc tamen ratio non ſatis efficax mihi videtur, quia per eam renuntiationem admiſſam reuerà vacat beneficium, ſed cum obligatione conferendi illud certæ perſonæ deſignatæ, & non aliter, ſicut in renuntiatione facta cauſa permutationis, per quam ita vacant beneficia reſignata, vt non poſſint niſi compermutantibus conferri, & niſi mandetur executioni ea permutatio, ſinguli redeant ad ſua beneficia; neque propriè tunc confertur beneficium antequam vacet. Quarè huic admiſſioni faciendæ ab Epiſcopis, ſola, vt dixi, recepta conſuetudo obſtabit.

8 Secunda pars, hanc renuntiationem in fauorem in manibus ordinarij factam Simoniacam non eſſe, modò abſit omne pactum, oſtenditur, atque imprimis Simoniam contra ius diuinum nullus hoc loco affirmabit, cùm nihil temporale detur pro ſpirituali, immò nulla planè fiat vnius rei cum alia commutatio, aut quidpiam aliud contra gratuitam, & liberalem donationem fingi poſſit; quod enim non reſignetur beneficium niſi certæ perſonæ deſignatæ conferendum, non magis impedit reſignationem gratuitam, quàm quod non placeat hæredem inſtituere niſi Titium, aut ſoli Caio donare, & non alteri, non facit ne inſtitutio hæredis, aut donatio gratuita ſit, quod etiam diximus ſuperius: & ſanè ſi renuntians beneficio in fauorem Petri poſſet illud ipſi ſua authoritate, & abſque conſenſu ſuperioris conferre, atque donare, dum illud ipſi donaret non donaturus alteri, velletque ſuam donationem eſſe nullam, ſi Petrus eam non acceptaret, non committeret in ea donatione conditionata Simoniam: ergo nunc quando renuntiat in manibus Prælati ſuo beneficio, ea conditione vt non alteri, quàm Petro donetur, nullam quoque Simoniam incurret. ſecundo non eſt etiam in iſta renuntiatione conditionata in manibus ordinarij vlla Simonia contra Ius Eccleſiaſticum, quod tamen affirmat Gloſſa *in cap. Ex parte.1. de officio delegati. ver. dimittere*, quam ſequuntur communiter DD. ex quibus 30. enumerat Garc. *11. par. cap. 3. num. 152.* nos autem ſequimur Couarru. *lib. 1. varia. cap. 5. numer. 5.* Soto *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 7. art. 2.* Arragon. *2.2. quæſt. 100. art. 4. ver. Eſt aliud dubium. de permutat. con. 2.* Valent. *3. tom. diſput. 6. quæſt. 16. p. 3. in 2. circumſtantia.* Vega. *in*

ſum. 2. *par. cap.* 101. *caſu* 54. Duaren. *lib.* 8. *de benefic. cap.* 2. §. *quomodo beneficium eiurandum ſit.ſub fin.* Staphile. *de litteris gratiæ. tit. de variis modis vacationis.* §. *reſignationis modus à num.*8. *ad* 12. Zerola 1.*par. praxis. ver. renuntiatio.* §. 2. *&* 3. *numer.* 10. Quintanadueñas *lib.* 2. *Eccleſiaſticon. à num.*19. *ad* 28. Probus *ad Ioan. Monach. in cap.* 2. *de officio legati. in* 6. *num.* 5. & *in cap. nullus. de temporib. ordinat. num.* 20.& tandem Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 86. Vaſq. *cap.*2. *de benefic.* §.4. *dub.* 7. Bonacin. *diſput.de Simon. quæſt.*4. §.14. *num.*6. Filluc. *tractat.*45. *cap.* 8. *num.* 2. Ferdin. à Caſtro. *diſp.* 3. *tract.*17. *punct.*17. *num.*5. Ratio eſt, quia nullibi in iure reperitur illa Simonia, quæ enim afferuntur, agunt de permutationibus quæ abſque authoritate Epiſcopi factæ damnantur tanquam Simoniacæ, & quamuis reſignationes cauſa permutationis includant reſignationes in fauorem, non ſunt tamen idem in Iure, neque ita vna ſignificatur nomine alterius, vt leges, quæ de permutatione feruntur, de reſignatione in fauorem intelligendæ ſint; aut ſi id velint aduerſarij, iam ſecum ipſi pugnabunt, nam ſicut permutationes beneficiorum authoritate Epiſcopi factæ, non ſunt Simoniacæ, ita neque erunt reſignationes in fauorem ex eadem authoritate factæ, quod tamen negant aduerſarij; immò & vlteriùs ſequetur, eiuſmodi reſignationes abſque Simonia, aliáve culpa admitti ab Epiſcopis, ſicut ab ipſis admittuntur permutationes, quod tamen neque ſtylus Curiæ, neque recepta conſuetudo patitur, vti diximus initio. Iuxta porrò vniuerſalia, quæ omnem omninò pactionem circa ſpiritualia ablegant, ineptè afferuntur, quia in hac renuntiatione, nulla eſt, vti monuimus, pactio, neque cum Epiſcopo, neque cum reſignatario in fauorem, tunc enim vltrò Simoniam eſſe fatemur, etiam contra diuinum Ius, nam imponeret Epiſcopus onus quoddam, & obſequium pretio æſtimabile; at verò cùm nulla ſit neque realis, neque mentalis, neque tacita, neque expreſſa conuentio, nullúſve contractus oneroſus, nulla fingi poteſt Simonia ſiue naturalis, ſiue Eccleſiaſtica: eſt ſiquidem voluntas tantùm abdicandi ſe ſuo beneficio, & transferendi in alium, ſed limitata ad vnam perſonam; neque grauatur Epiſcopus, aut Pontifex nouo onere, cùm poſſit non acceptare talem renuntiationem; quod ſi illam acceptet, obligatur quidem dare beneficium perſonæ deſignatæ, ſed ea obligatio ſequitur ex natura talis reſignationis, neque noua eſt; nam ſicut anteà inuito poſſeſſore non poterat illius beneficium alteri conferre, non tamen dicebatur ſubiiſſe aliquod onus in prima collatione, etiamſi ex ea impediretur eius poteſtas diſponendi de illo beneficio, antequam vacaret, & quamdiu collatarius vellet ipſum retinere; ita etiam quod modò ex conſenſu poſſeſſoris poſſit illud donare vni, & non alteri, non ſubit nouum onus, aut obligationem, vt patet.

Tertia pars erat, has renuntiationes in fauorem, ſecluſo omni pacto, 9
non eſſe illicitas ſecluſo iure nouo conſtitutionis Pij V. ſequitur ex dictis, iam enim omnem labem Simoniæ tum naturalis, tum Eccleſiaſticæ abſterſimus, neque alia malitia fingi poteſt: quod enim dicunt aliqui, eſſe quandam Irreligioſitatem iniuſtam, ſeu ſacrilegam iniuſtitiam,

eò

eò quod reſignans diſponat de ſuo beneficio, tanquam ſi dominus eius foret, & limitet poteſtatem Prælati, cuius tamen diſpoſitioni relinquere ſe fingit, falſum eſt; cùm enim ſit in poteſtate beneficiati retinere ſuum beneficium, aut illud in manibus Prælati dimittere; hoc poſtremum facit, ſed conditionatè: Prælati verò fuerit, eam conditionem acceptare, aut reiicere, quod poſtremum ſi faciat, reſignans retinebit ſuum beneficium, quo non niſi liberè ſe abdicabat: in ea igitur abdicatione voluntaria potuit apponere conditionem, aut modum non turpem, neque vllo iure prohibitam, cuiuſmodi eſt deſignatio certæ perſonæ idoneæ, in cuius gratiam ſe ſuo beneficio priuare cupit, ſi ſuperior annuat, alioquin non vult cedere beneficio, vti poteſt non cedere. In nullo autem Iure, vti iam docui, prohibita eſt iſta conditio, præterquam in conſtit. 58. Pij V. vbi prohibetur, ne quis reſignans verbo, aut nutu ſuum ſucceſſorem in beneficiis, Epiſcopis, patronis, electoribus deſignet, & ne Epiſcopi, electores, & patroni deſignent ſucceſſores hortatu, aut ſignificatione reſignantium. Vbi igitur vegebit iſta Pij conſtitutio, illicita erit reſignatio in fauorem facta in manibus Epiſcopi, quia prohibita; non erit tamen Simoniaca, quia reuerà in ea conſtitutione prohibetur quidem, non dicitur tamen eſſe Simoniaca.

10 Nono Prælatus admittens renuntiationes beneficiorum in fauorem, expreſsè tamen non approbans conditionem adiectam collationi certæ perſonæ faciendæ, non erit Simoniacus. Ita Couarru. & Soto. *locis citat.* Suar. *cap.* 35. *num.* 9. quia nulla Simonia committitur à renuntiante eo modo; ergo neque ab acceptante renuntiationem; immò quamuis renuntians eo modo Simoniam committeret, non tamen Epiſcopus, qui eam conditionem Simoniacam reiiceret, neque Simoniæ cooperatur. Denique non confert Prælatus aliquid ſpirituale pro temporali, neque ex vllo pacto, aut contractu oneroſo; non facit etiam contra prohibitionem Eccleſiaſticam, illa enim tantùm eſt de reſignatione cum conditione adiecta approbationi, atqui eam conditionem non admittit, ſed reiicit, vti ſupponimus.

Decimo poterit Prælatus acceptare renuntiationem in fauorem reiecta ea conditione, vt diximus, atque conferre beneficium perſonæ deſignatæ à reſignante, modò id non faciat ex vi deſignationis factæ à reſignante, & tanquam obligatus ex admiſſione illius renuntiationis. Ita Couarru. *loco cit.* quia iſta conditionalis renuntiatio in hunc tantùm ſenſum prohibetur, vt ex ea Prælatus minimè teneatur præciſè beneficium conferre ei, cuius fauore adiecta fuerat conditio. Neque aliud probant, quæ in contrarium congerit Suar. *nu.* 11. *ex communi DD.* qui has renuntiationes Simoniacas dicunt, & quas certum eſt eſſe ab Eccleſia prohibitas, ita vt prouiſio beneficiorum ſic vacantium reſeruata ſit Pontifici, quam malè idcircò Prælatus vſurpat, implétque reipſa conditionem appoſitam, quam reiicere ſimulat, confert enim beneficium, quod reipſa non vacat niſi per impletam conditionem adiectam. Verùm hæc omnia, vt optimè vidit Couarru. agunt tantùm de admiſſione renuntiationis conditionalis cum ſua conditione, catenus enim tan- 11

tùm illicita, & prohibita eſt Iure nouo Pij V. & ex praxi Curiæ à ſolo Pontifice admittitur; quòd verò impleatur materialiter conditio appoſita à reſignante, non facit vt impleatur ex vi conditionis, quæ aut expreſsè repulſa eſt, aut ſaltem non eſt expreſsè approbata; ſed quia qui fuerat deſignatus à renuntiante, dignus eſt eo beneficio, aliiſve de cauſis illi confertur, atque ex quadam æquitate, non iuris rigore. Atque ita hæc conditio vel non eſt ampliùs rigoroſa, & ſuſpenſiua conditio, ſed tantùm modus quidam poſterior coniunctus renuntiationi abſolutè factæ, vti exponam inferius, vel illius nulla planè habetur ratio, immò ſi moneatur Reſignans à Prælato de non approbatione conditionis adiectæ, eſt quædã tacita illius reuocatio; quarè deinde cõferre poterit ex æquitate quadam illi, quem deſignauerat renuntians, ſine vlla tamen obligatione ex ea reſignatione parta, quod iam monui, niſi obſtet conſtitutio Pij, qua de re dicam ſtatim in ſimili caſu.

11 Vndecimo non poteſt Epiſcopus renuntiationem in fauorem, reiecta conditione admittere tanquam puram & liberam, atque adeò alteri, quàm deſignato à renuntiante conferre. Contra Couuarru. qui etiam allegat Ioan. Staphilæ. *lib. de litteris gratia, & Iuſtitia*; idem quoque voluit Boeri. *de poteſtate legati. quæſt. 2. num. 115.* Redoan. *2. par. de Simon. num. 8.* neque multùm abeſt Fuſcus. *lib. 2. de viſitat. cap. 28. num. 20.* addit Couarru. collationem beneficij factam alteri, quàm deſignato à reſignante, validam quidem fore, ex æquitate tamen reſcindendam à Pontifice, aliiſve ſupremis Iudicibus, vt vel beneficium reſtituatur renuntianti, vel ei conferatur, pro quo renuntiatio facta fuerat, ex *cap. inter cætera. de præbendis*, licet ibi agatur de permutatione; inde tamen ſumitur non leuis æquitatis iſtius ratio. Sequimur nihilominus Rebuff. *in praxi de renuntiat. condition. num. 7.* Gutierr. *conſil. 42. de Simon. num. 8.* Garc. *11. par. cap. 3. num. 155.* Leſſius. *lib. 2. cap. 35. num. 86.* Suar. *lib. de Simon. cap. 35. num. 11.* Ferdinand. à Caſtro. *diſput. 3. tract. 17. punct. .. num. 6.* & fauet apertiſſima ratio, nam quando actus cum aliqua adiectione, & qualitate faciendus eſt, non poteſt admitti ſecundùm vnam partem, & ſecundùm aliam reiici, ſed totus aut admittendus, aut reiiciendus eſt. *l. Aurelius. § idem quæſiit. D. de liberatione legata*, ibique Barthol. quod etiam alij tradunt apud Rebuff. *num. 7. cit.* Deinde cùm tota iſta reſignatio ſit conditionata, vera conditione, quam ſuſpenſiuam vocant, eò quòd ſuſpendat effectum diſpoſitionis, reuerà nulla eſt renuntiatio niſi poſita conditione, nam non renuntiat aliter, neque alio modo niſi in fauorem certæ perſonæ, alioquin vult ſeruare ſuum beneficium: quarè ſi conferatur beneficium alteri, quàm deſignato à renuntiante, qui non vult niſi in eius gratiam ipſo ſe ſpoliare, iam inuitus ſpoliatur ſuo beneficio, quod nequidem à Pontifice fieri poteſt abſque iniuſtitia, & multò minùs ab Epiſcopo; nam illud beneficium reuerà non vacat niſi per impletionem conditionis. Neque alia ratio eſt, propter quam Clem. voluit, non poſſe conferri beneficium reſignatum ex cauſa permutationis, niſi compermutanti, quia ea renuntiatio ſimplex non eſt, ſed conditionata, quod multò verius eſt in iſta renuntiatione, quæ habet

expreſſam conditionem, *non aliàs neque aliter, aut alio modo.* Neque dicas, eam conditionem haberi pro non adiecta; nam id nullibi ſignificatur in Iure; deinde illa non eſt turpis, cùm ſæpiùs à Pontifice ſoleat admitti, & denique ex illius ſolùm adiectione renuntiatio in manibus alterius quàm Papæ facta damnatur tanquam prohibita, atque ex communi ſententia tanquam Simoniaca habetur: igitur in Iure pro adiecta, alioquin non vitaret actum, & diſpoſitionem cui ineſt. Non poterit igitur beneficium ita reſignatum liberè conferri ab Epiſcopo, ſed illi tantùm in cuius fauorem facta fuerit reſignatio, aut omninò reiicienda erit; quòd ſi admittatur, peccabitur in ſtylum Curiæ, atque etiam in conſtitutionem Pij V. vbi ea viget; non erit tamen Simonia, vt monui. Fatentur quidem aliqui, eum qui ſcit ſuam reſignationem in fauorem factam contra ſtylum Curiæ inualidam eſſe, priuari poſſe in pænam illius admiſſi criminis ſuo beneficio ab Epiſcopo, qui proinde illud tanquam ex crimine vacans liberè conferet. Quo modo licebit interpretari deciſionem Rotæ relatam à Flamin. *lib.* 1. *de reſignat. quæſt.* 3. *num.* 65. Verùm ea pæna non eſt impoſita ipſo Iure, à Iudice autem imponi non poterit niſi poſt examinationem cauſæ, & pro grauitate criminis, quod ſæpiùs leue fortaſſis erit.

13 Duodecimo renuntiatio facta purè, & ſimpliciter cum ea ſpe, intentione, ac ſupplicatione, vt beneficium reſignatum conferatur certæ perſonæ, modò abſit omne pactum, omníſque vera, & rigoroſa conditio, quam ſuſpenſiuam vocant, ſed tantùm quidam poſterior actus coniunctus cum renuntiatione ſimpliciter, & abſolutè facta, neque Simoniaca eſt, neque illicita; Et quidem Simoniacam non eſſe iam conſtat ex ſuperioribus, & ex eo quod omne prorsùs pactum ab illa ſecludamus.

Quæſtio igitur eſt, an ſaltem illicita ſit hæc renuntiatio, nam quamuis in Iure communi nullibi damnetur, neque etiam ex iure naturali, vt ſtatim apparet, cùm & renuntiatio ſit abſoluta, & per eam ſtatim vacet beneficium, & perſona, pro qua ſupplicatur collatori, digna ſit, vti ſupponitur, prohiberi tamen videtur in conſtitutione Pij V. ita vt nolit nutu, aut verbo, aut alia quapiam ſignificatione, vel hortatu ſucceſſores deſignari à reſignantibus, aut *de his aſſumendis promiſſio inter eos, aut intentio qualiſcúnque intercedat.* Itaque quoties hæc intentio proditur externo aliquo ſigno, peccari contra hanc legem dixit Suar. *cap.* 35. *citato ſuperius num.* 18. Communiſſima tamen ſententia eſt, hanc renuntiationem cum intentione, ac ſpe vt certæ perſonæ conferatur abſolutè, & purè reſignatum, immò & cum adiecta ſupplicatione ordinario, vt beneficium, cuius modo per renuntiationem abſolutam, habet liberam collationem, donet certæ cuidam perſonæ, licitam eſſe, neque peccare contra Pij ſanctionem. Quam ſententiam pluribus authoribus, & Rotæ variis deciſionibus fuſiſſimè confirmat Garc. 11. *parte de benefic. cap.* 3. *à num.* 161. verba porrò conſtitutionis illius ſignificant pactionem, & promiſſionem tacitam, vel expreſſam; vbi verò nulla fuit omninò pactio tacita, aut expreſſa, non punitur intentio, quæ alioquin bona eſt, neque etiam prohibetur,

hibetur. Quod ſi minùs arrideret ea interpretatio, dicendum foret, nequaquam receptam eſſe huiuſmodi conſtitutionem cum eo rigore, quem verba præ ſe ferunt, ſed vſu mollitam fuiſſe, quandoquidem vnanimi ferè conſenſu DD. admittunt, renuntiantem poſſe poſtulare à collatore, vt beneficium à ſe dimiſſum certæ perſonæ conferat, vt Rebuff. *tit. de pura renuntiat.* & alij docent apud Garc. ipsáque Rota indicauit.

14 Decimotertio, inde porrò colliges, quid ſentiendum ſit de vſu quarundam Eccleſiarum, dum enim aliquis v. g. canonicus ſuo ſe canonicatu in gratiam alterius abdicare vult, priùs flagitat à ſingulis canonicis vt illum, cui fauere vult, eligant: deinde eiurat abſolutè, & ſimpliciter ſuum canonicatum in manibus capituli, quod illum communibus ſuffragiis defert illi, quem renuntians maximè optârat. Si enim ſit ſola prehenſatio ſuffragiorum ſiue ante, ſiue poſt renuntiationem illam abſolutam, abſitque omnis tacita, vel expreſſa pactio ſiue cum capitulo, ſiue cum ſingulis electoribus, aberit quoque omnis Simonia etiam Eccleſiaſtica, aut confidentialis, immò & omnis alia labes, cùm nequidem contra Pij ſanctionem ea in re peccetur, etſi daremus eam in mores inductam hiſce in regionibus fuiſſe; quamuis ille canonicus non eſſet ſe abdicaturus ſuo canonicatu, ſi ſciret, conferendum alicui alteri, quàm illi, pro quo ſuffragia prehenſauit, ſuppono autem eam prehenſationem, & ambitum aliunde illicitum non eſſe; quod ſi fiat aliqua pactio vel tacita, vel expreſſa v. g. ſi eligas Titium, quem eligi vellem, ego quoque alium, quem aliquando tuo quoque canonicatu donatum velles, eligam, eſt Simonia Eccleſiaſtica ſaltem; quod diligenter aduertendum eſt, quia facilè tacitæ pactiones eiuſmodi ſubrepunt.

Decimoquarto, poteſt aliquis cedere ſuo beneficio in manibus Epiſcopi, ad effectum, vt vniatur certo loco, aut Eccleſiæ, & non aliàs. Ita Gratian. *diſceptat. forenſ.* 155. *à num.* 5. & quædam Rotæ deciſio, quam refert Garc. 11. *par. de benefic. cap.* 3. *num.* 156. qui tamen contrariam ſententiam ſequitur, quam Rota quoque in quadam alia deciſione amplexa eſt. Ratio Gratiani, eáque euidentiſſima eſt, quia Pij conſtitutio, ex qua ſola videri poterit damnari iſta ceſſio: eò quod ſit quædam renuntiatio conditionata, & in fauorem, loquitur ſolùm de beneficiis reſignatis ad effectum transferendi illorum titulos in aliam perſonam per viam prouiſionis faciendæ per ipſum ordinarium, & ſic de illis beneficiis, quibus dantur ſucceſſores. At verò quando vnitur beneficium, non transfertur ſolùm titulus, ſed pænitùs extinguitur; vnde cùm deficiat perſona ceſſionarij, non intrat, inquit, Gratian. conſtitutio, quod coram Cardinal. Lancelloto deciſum ait à Rota in vna Seguienſi 28. Iunij. ann. 1581. Deinde Pius permittit ordinariis admittere permutationes permiſſas à ſacris Sanctionibus, & Apoſtolicis conſtitutionibus; id autem extenditur ad vniones beneficiorum pro cauſa fabricæ, atque ad alias eiuſmodi ex Imola. *cap. Cum acceſſerit. num.* 14. *de conſtit.* Neque dicas, Eccleſiam, cui vnitur beneficium, eſſe ſuo modo ſucceſſorem, & ceſſionem in gratiam eiuſmodi vnionis dici etiam poſſe reſignationem in fauorem, quam prohibet Pius; quia cùm ea conſtitutio pæ-

nalis ſit, & Ius commune, vti ſuperiùs diximus, reſtringat, ſtrictiùs interpretanda eſt, & non amplianda ad ea, quæ eius verba non comprehendunt in propria ſignificatione, ſed tantùm in vniuerſaliori, & laxiori, atque in Iure minùs frequenti.

16 Decimoquinto neque Simoniam, neque culpam aliam committit, qui conſentit vt ſuum beneficium vel conferatur certæ perſonæ, vel vniatur certo loco. Ita Garc. *cap.* 3. *num.* 159. quia in eo conſenſu nudo neque pactum eſt, neque conditio ſuſpenſiua, immò neq; modus, aut propria renuntiatio, ſed ficta tantùm, & impropria, quo modo eſt interpretanda Gloſſa *in cap. beneficium. ver. aſſenſus. de Regul. in 6.* vnde igitur erit Simonia, aut contra Pij conſtitutionem peccabitur? Et ſi conſentire poteſt, vt de ſuo beneficio prouideatur, cur non etiam vt prouideatur certæ perſonæ, ſi vtrobique ſit tantùm nudus conſenſus?

17 Decimoſexto ceſſio Iuris litis, & cauſæ in fauorem collitigantis facta coram ordinario, vt ille Ius ceſſum conferat collitiganti, illicita eſt contra Pij V. conſtitutionem, & vſum receptum, cùm ſit reuerà renuntiatio in fauorem, vt patet, atque adeò conditionalis, quæ à ſolo Pontifice amitti poteſt: ſi verò ea ceſſio fiat tantùm, vt collitigans careat omni aduerſario, atque ne ipſe cedens deinceps ad beneficium, & litem redire valeat, licita fuerit eiuſmodi ceſſio, cùm reuerà non ſit renuntiatio in fauorem.

18 Decimoſeptimo qui reſignat beneficium reſeruatâ penſione, cum ſpe, & intentione, vt illa ſtatim redimatur, non committit Simoniam, nec confidentiam, etiamſi reſignatarius id intelligat, idque ipſum velit, modò ſecludatur omne pactum. Ita Garc. 11. *par. cap.* 3. *num.* 172. & Gigas. *quæſt.* 87. *de penſionibus. ſub finem*; vbi enim paciſcentes in renuntiatione, de penſionis redemptione, Simoniæ damnat; ſi itaque pactum abſit, abfuerit quoque Simonia, quam ſola intentio, aut ſpes non facit, vti iam ſæpiùs monuimus, & iterum dicemus quæſt. ſequenti. Abeſſe quoque confidentiam ab iſta renuntiatione probat Garc. quia conſtitutio Pij in hoc caſu non loquitur.

Decimooctauo renuntiationes reciprocæ Simoniacæ ſunt. Voco reſignationes reciprocas illas in quibus ego reſigno beneficium meum in fauorem alicuius à te deſignati v. gr. nepotis tui; tu autem viciſſim reſignas tuum beneficium in fauorem mei nepotis, aut alterius à me deſignati. Has igitur renuntiationes reciprocas damnat vt Simoniacas Flamin. *lib.* 14. *de reſignat. quæſt.* 4. *num.* 3. & *lib.* 1. *queſt.* 3. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 17. Suar. *lib. de Simon. cap.* 35. *num.* 18. Ferdinand. *diſp.* 3. *citata. punct.* 17. *num.* 11. Reginald. *lib.* 23. *num.* 250. Bonacin. *diſput. de Simon. queſt.* 4. §. 14. *num* 4. quia hæc renuntiatio eſt in fauorem, & cum pactione, & ex primo capite illicita eſt, ex ſecundo Simoniaca, quia ſola pactio ex cauſa permutationis coram Epiſcopo fieri permittitur in Iure. 19

Decimononò renuntiatio Triangularis Simoniaca eſt, dicitur verò Triangularis quia inter tres fieri ſolet, Titius v. gr. renuntiat ſuum canonicatum in fauorem Caij, qui renuntiat quoque beneficium curatum, quod habebat in fauorem Sempronij, & Sempronius tandem 20

in

in fauorem Titij cedit ſuo benefi-cio. Simoniam Iuris humani in hac renuntiatione agnoſcit Nauarr. *cap.* 23. *num.* 100. & *in cap. ſi quando. de reſcriptis. Except.* 4. *num.* 1. & *conſil.* 22. *de Simon.* Flamin. *lib.* 14. *de reſignat. quaſt.* 7. *num.* 63. Garc. 11. *par. de benefic. cap.* 4. *num.* 21. Gonzal. *ad Regulam* 8. *Cancella. gloſſa* 14. *num.* 58. Kochier. *de permutat.* 2. *par. cap.* 25. Molfeſi. *in ſumma. tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 33. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 88. Suar. *lib. de Simon. cap.* 35. *num.* 18. Ferdinand. & Bonacin. locis proximè citatis. Ratio eſt, quia omnis pactio in beneficiis obligans ad id, quod de iure non ineſt, illicita, & Simoniaca eſt ex notiſſimo Iure; in hac verò triangulari aut quadrangulari renuntiatione reperitur eiuſmodi obligatio, nam Titius obligat Caium, vt reſignet in fauorem Sempronij, & Caius obligat Sempronium, vt reſignet in fauorem Titij, qui reſignauit in fauorem Caij, vbi vides implicari multiplicem pactionem. Poterunt tamen hæ reſignationes fieri coram Pontifice, qui eam ſolius Iuris humani Simoniam tollet: poterit quoque per geminam ſimplicem permutationem idem omninò præſtari, quod fit in iſta triangulari renuntiatione; ſi enim Titius permutet ſimpliciter cum Caio, & obtento illius beneficio, iterum deinde permutet cum Sempronio, habebit beneficium Sempronij, vti optabat, & Sempronius beneficium Caij, atque Caius beneficium Titij, neque vllum fit ibi triangulum, quarè duæ eæ permutationes cùm ſint omninò ſimplices, coram Epiſcopo fieri poterunt, quod ſapienter aduertunt Leſſi Suar. & Ferdinand. quibus malè repugnauit Bonacin.

Vigeſimo renuntiatio ex cauſa permutationis cum eo, qui non habet verum beneficium, inualida eſt, & illicita. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 200. Azor. 2. *par. lib.* 7. *cap.* 30. *quaſt. vltim. & cap.* 29. *quaſt.* 16. Coſmas *in pragmat. tit. de collat.* §. *Item inſuper. ver. diſponere.* Garc. 11. *par. cap.* 4. *num.* 19. Suar. *cap.* 35. *cit. num.* 19. Ferdinand. *num.* 12. contra Rebuff. *tit. de permutat. num.* 14. & 15. qui validam dixit eam permutationem, cùm reſignans verum beneficium, agere poſſit, vt vel impleatur permutatio, vel ſuum beneficium ſibi reſtituatur: inualidam tamen eſſe totam hanc renuntiationem in manibus ordinarij, ex eo probatur, quòd reſignans verum beneficium vel ſcit alium non habere beneficium, vel id ignorat; ſi primum, non intendit reuerà permutare, ſed ſolùm reſignare in fauorem, quam tamen reſignationem conditionatam quia ſcit non admitti poſſe ab Epiſcopo, palliat ſpe permutationis, inualidè verò reſignat, vti iam diximus, niſi coram Pontifice reſignet. Si verò exiſtimauit, alium habuiſſe verum beneficium, ac proinde verè voluit permutare, totus ille contractus permutationis cùm procedat ex errore ſubſtantiali, qui ipſi cauſam dedit, prorsùs inualidus eſt: non exiſtimârim tamen, hanc permutationem cum beneficio ficto eſſe Simoniacam, cùm non contineat aliam malitiam quàm reſignationis in fauorem, & fraudis in ea ſimulatè alio contractu occultanda, in quibus nulla eſt ratio Simoniæ. 21

Vigeſimoprimo renuntiatio abſoluta, & ſimplex cum reſeruatione penſionis non eſt Simoniaca, & poteſt admitti ab eo omni, qui poterit penſionem imponere; quod vtrum 22

pertineat

pertineat ad ſolum Pontificem, alibi diſquirimus: ſi tamen ea reſeruatio fiat propria authoritate, Simonia erit; ſicut etiam ſi quis litigioſum eiuret eo pacto, vt ſi reſignatarius ſuperior euadat, conſentiat in penſionem. Vide Flamini. *libro* 14. *quæſt.* 7. *numer.* 11. vbi & Nauarr. *conſil.* 11. *de Simonia.* & alibi allegat.

23 Vigeſimoſecundo reſignans cum reſeruatione penſionis ex conſenſu ſuperioris non poteſt ſua priuata authoritate obligare reſignatarium ad dandam hypothecam pro illa penſione, aut fideiuſſorem ſæcularem, aut ad anticipatam ſolutionem, aut ad eius redemptionem, alioquin committit Simoniam Iuris Eccleſiaſtici. Ita Leſſi *cap.* 35. *num.* 93. Suar. *tib. de Simon. cap.* etiam 35. *num.* 23. Ferdinand. à Caſtro *diſput. de Simon. punct.* 17. *num.* 14. & Layman *lib.* 4 *tract.* 9. *cap. vltim. num.* 49. quoad pactum redemptionis. Ratio eſt, quia in his omnibus reſignans obligat reſignatarium ad onus, quod de Iure non ineſt, quarè vi reſignationis imponit onus pretio æſtimabile, quod apertè Simoniacum eſt etiam contra Ius naturale, quandoquidem reſignatio eſt actio ſpiritualis quatenus per illam Ius, & beneficium ſpirituale transfertur; ideóque ſapienter monet Suar. ne quidem Epiſcopum, etiã ſi daremus poſſe imponere penſionem beneficio in reſignatione, validè probaturum eiuſmodi contractũ, ideóque addit Leſſi. penſionem eo modo Simoniaco conſtitutam non obligare, & beneficium tanquam ratione Simoniæ vacans impetrari poſſe. Si tamen poſt conſtitutam penſionem & reſignatũ beneficium reſignatarius, quia malæ fidej, aut in ſoluendo tardior futurus eſſe timetur, obligaretur ad iſta onera, nulla foret Simonia, quia omnia iſta pacta forent circa ſolutionem penſionis, quæ ſolutio eſt aliquid merè temporale, vt vides. Deinde cùm iſta aſſecuratio, & noua obligatio fiat ex interuallo ad faciliorem ſolutionem penſionis iam impoſitæ in actu reſignationis, ceſſat omnis coniectura Simoniæ etiam in foro externo. Vti deciſum à Rota fuiſſe refert Flamini. *lib.* 14. *de reſignat. quæſt.* 7. *nu.* 53. quam deciſionem idem pluribus confirmat.

Vigeſimotertio promiſſio facta à reſignatario cedendi beneficium ſibi reſignatum cui reſignans voluerit, Simoniaca eſt Ita Rota apud Flamini. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 41. quia pactum in ipſa reſignatione, aut paulò poſt inducit Simoniam ex Bellame. *deciſ.* 12. ſi autem ea promiſſio aliquantò poſt reſignationem liberè, & ſine pacto ad obtinendam reſignationem, ſed ex quadam animi gratitudine fieret, nulla foret Simonia. 24

Vigeſimoquarto Titius litigans cum Caio promiſit ſe reſignaturum illud beneficium in fauorem Caij collitigantis, ſi obtineat beneficium æqualis valoris, commitit Simoniam ex Rotæ iudicio apud Flamin. *quæſt.* 7. *cit. num.* 60. quod ipſe ſequitur. Mihi diſtinguendum videtur, nam ſi ex ea promiſſione, & facto Caius ceſſit ſuo Iuri Titio collitiganti, aut promiſit ſe curaturum prouiſionem beneficij æqualis, eſt manifeſtum pactum, & Simonia Iuris Eccleſiaſtici. Atque de eiuſmodi pacto interpretor Rotæ deciſiones adductas à Flamin. ſi verò nulla fuit eiuſmodi pactio, ſed tantùm ſignificauit Titius ſe collitiganti Caio reſignaturum beneficium, de quo contendunt, 25

vbi aliud fuerit aſſecutus, neque Caius idcircò ſe obligauit ad ceſſandum à lite, aut quidpiam aliud, neque ordinarius, qui deinde prouidit de beneficio Titium, motus eſt ex illo pacto; non video, vnde fingi queat Simonia.

26 Vigeſimoquinto pacta facta de quibuſdam temporalibus inter reſignantem, & reſignatarium non ſunt Simoniaca, modò non miſceantur iſta pacta cum renuntiatione, quia eiuſmodi pacta cùm de temporalibus ſint potuerunt ex alia cauſa fieri, quam ex pacto reſignationis. Itáque decidit Rota apud Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 62.

27 Vigeſimoſexto qui promittit ſe tertiam partem prouentuum ſuorum beneficiorũ tum iam acquiſitorum, tum acquirendorum, expenſurum in dotem, aut alimenta ſororum ſuarum vel neptum, non committit Simoniam, quia ibi nulla eſt pactio dandi, & accipiendi, ſed diſpenſatio fructuum beneficialium, quæ ſi ex aliquo capite ſit illicita, non tamen Simoniaca erit.

28 Vigeſimoſeptimo Titius reſignauit in fauorem Caij, manſit tamen in poſſeſſione, & deinde ab eodem Caio obtinuit retroceſſionem beneficij reſignati, pactus tamen eſt cum Caio de certa pecuniæ ſumma pro fructibus beneficij, quos per reſignationem factam Caio, & antequam ab illo haberet retroceſſionem, percepit. Quæritur an hoc pactum ſit Simoniacum.

Reſpond. ſi pecunia non excedat valorem fructuum perceptorum à Titio, non eſſe Simoniam, quia venduntur tantùm fructus, qui reuerà erant Caij, & quos perceperat Titius: at verò ſi ea pecunia excedat eos fructus, non leuis ſuſpicio eſt Simoniæ, & ne detur illa ſumma pro obtinenda à Caio retroceſſione beneficij ipſi reſignati, quamuis nomine, & prætextu compenſandi fructus beneficij tunc perceptos à Titio pallietur. Itaque in foro externo damnabitur ea pactio tanquam Simoniaca. Itáque ſapienter diſtinxit Rota apud Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 70.

Vigeſimooctauo renuntiatio facta cum pacto, vt reſignatarius ſoluat expenſas factas à reſignante in ſuo beneficio acquirendo, Simoniaca eſt. Ita Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *numer.* 1. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 94. Suar. *lib. de Simon. cap.* 35. *num.* 24. Ferdinand. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 17. *num.* 15. Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. §. 14. *num.* 2. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 8. *num.* 35. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 18. quia illud onus non imponitur niſi pro dando beneficio, quandoquidem illi non eſt intrinſecum, immò neque vlla ratione coniungitur cum collatione & reſignatione beneficij; neque reſignatarius cauſa eſt expenſarum, quas fecit reſignans in acquiſitione ſui beneficij. Itaque nulla cauſa eſt, propter quam obligari queat reſignatarius ad eas expenſas, neque enim ſi quis villam, aut domum obtinuiſſet magnis impenſis propter litem ſibi motam, poſſet ratione illarum expenſarum vendere eiuſmodi domum, aut Villam ſupra iuſtum eius valorem, quia cum emptor non fuerit cauſa earum expenſarum non tenetur ex eo capite indemnem præſtare venditorem, ſed ſolùm ex eo, quod amittit vendendo talem domum. Ex quibus infert Suar. Simoniam hic committi contra Ius diuinum, cum detur temporale pro ſpirituali. Quarè neque Pontifex in ea 29

re

re diſpenſare poterit, præterquam quod iniuſtitia foret, cogere aliquem ad ſoluendas expenſas, quarum ipſe cauſa non eſt, & quæ in vtilitatem alterius factæ fuerunt. Si quid igitur imponat Pontifex, id faciet alio titulo, quàm præciſè ex impenſis in obtinendo beneficio factis.

30 Vigeſimonono pactum vt vnus permutantium ſoluat Bullas pertinentes ad vtrumque, aut vt reſignatarius ſoluat bullas propter impoſitionem penſionis in fauorem reſignantis, eſt Simoniacum, ſi fiat abſque conſenſu Pontificis. Ita Nauarr. *Conſil.* 30. & 25. *de Simon.* Flamini. *lib.* 14. *de reſignat. quæſt.* 7. *num.* 9. Azor 2. *par. lib.* 7. *cap.* 27. *quæſt.* 7. Garc. 11. *par. de benefic. cap.* 3. *num.* 148 Suar. *lib. de Simon. cap.* 34. *num.* 19. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 53. quia petitur à reſignatario onus pretio æſtimabile, quod tamen de Iure non ineſt, cùm de Iure quiſque teneatur proprias bullas ſoluere: aiunt tamen Flamin. & Azor praxim Curiæ ferre, vt reſignatarius ſoluat bullas reſignantis, dummodo retineat id quod impendit in primo termino ſolutionis penſionis; quam praxim negat Garc. & ſanè iſta repræſentatio pecuniæ & anticipatio ſoluendæ penſionis onus eſt, illúdque ſufficiens ad conſtituendam Simoniam, quod hactenùs oſtendimus; conſuetudo tamen contraria induci poterit, quia non videtur eſſe pactum niſi de ſoluenda penſione hoc aut illo modo, circa quam tum Pontifex, tum vſus diſpenſare poterit, neque enim datur ſpirituale pro ſpirituali. Placet verò quod adjicit Garc. *num.* 149. circa licentiam obtentam à Pontifice de faciendis iſtis expenſis à reſignatario, ſi ſubreptitia, & nulla ſit propter falſitatem cauſæ expoſitæ, committi confidentiam, & Simoniam, quia cum conceſſio fuerit nulla, relinquit negotium in eodem ſtatu, in quo erat, & pactum quod Simoniacum, & illicitum erat, manet prorsùs idem, & immutatum; ſi igitur addatur falsò ſolemnis illa clauſula, Attenta paupertate reſignantis, ſciente ipſo reſignante, & reſignatario; manet Simonia, & confidentia, à qua excuſabuntur, ſi ipſis inſciis ea clauſula fuit appoſita, quod ibidem ex Rotæ deciſione oſtendit Garc.

Trigeſimo pactum de ſoluendis à 31
reſignatario expenſis, quas fecit reſignans in reparandis bonis, & fundis beneficij reſignati, ſi ex expenſæ factæ ſunt ex reditibus beneficij, Simoniacum eſt. Ita Felin. *conſil.* 11. *num.* 6. hanc quæſtionem de expenſis factis in certis Maſſaritiis Eccleſiæ pertractans, & pluribus adductis Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 46. Ratio manifeſta eſt, quia cum bona iſta ſic reparata, ſint verè bona beneficialia, & vnà cum titulo, ac iure beneficij, transferatur quoque Ius ad illa, vti modò ſunt, poſſidenda, ſi eorum refectionem ſoluere obligetur reſignatarius, accipit onus quod beneficio de Iure non ineſt. Quando nihilominus refecta ſunt ex bonis patrimonialibus reſignantis, poterit ſua illa bona repetere, ſunt enim veluti debita quædam contracta ab Eccleſia, cuius fundi reſtaurati ſunt. Vbi dubium eſt, an ex bonis patrimonialibus, an ex Eccleſiaſticis expenſæ iſtæ factæ fuerint, præſumuntur factæ ex reditibus Eccleſiaſticis.

Trigeſimoprimo qui Ius patrona- 32
tûs habet litigioſum, & cum Cauſidico paciſcitur, ſi cauſam diligenter agat, ſe eum, aut eius filium,

aliumue, quem deſignabit, nominatum, Simoniacus erit. Reginald. *lib.* 23. *num.* 267.

Atque hactenus de munere à manu, ex his enim caſibus alios colligere licebit. Venio ad munuſcula ab obſequio, & à lingua.

CONSECTARIVM XI.

An collatio beneficij propter obſequia collatori, aut alij præſtita ſit Simoniaca.

1 Reſpond. & dico primo Simoniam eſſe quoties in compenſationem, & mercedem obſequij præſtiti, atque ad extinguendam obligationem ex Iuſtitia contractam, datur alicui beneficium, aut quidpiam aliud ſpirituale. Ita omnes, & ſequitur ex dictis, tunc enim datur beneficium pro extinctione debiti pecuniarij, ac proinde nihil deeſt ad veram Simoniam conſtituendam. Neque refert, an illud obſequium fuerit temporale, an ſpirituale, modò ex illo fuerit orta obligatio mercedis dandæ ex Iuſtitia, ſi enim in eam mercedem fiat collatio beneficij, committitur Simonia, verb. gr. ſi ſtipendium Sacerdoti debebas propter dictas Miſſas, aut Epiſcopus ſuo vicario pro ſalario illi aſſignato conferat beneficium, Simoniacus eſt.

2 Dico ſecundo quoties obſequia præſtita ſunt tantùm cauſa impulſiua propter quæ datur beneficium, non in pretium, & compenſationem, quia vel nulla debebatur, vel ſoluta, eſt aut collator manet adhuc obligatus, vti anteà, reuerà non committitur Simonia. Ita Couarr. *lib.* 1. *varia. cap.* 20. *num.* 4. aliique paſſim, quia reuera tunc beneficium non eſt pretium rei temporalis, & gratitudo, ac beneuolentia, quam quis ſuis obſequiis demeruit, non tollit rationem gratuitæ donationis, vti conſtat. Neque diſtinguendum eſt de obſequio honeſto, vel turpi, quod attinet ad Simoniam, quodcunque enim illud fuit, modò non compenſetur collatione beneficij, non committitur Simonia: poterit tamen aliunde peccari, quòd intuitu, & ex gratitudine turpis obſequij ſacra res donetur. Idque vnum volunt DD. & antiquiores Canoniſtæ, qui hiſce diſtinctionibus vtuntur; nos verò vnam Simoniam attendimus, quam negamus reperiri, quoties obſequia ſunt cauſa duntaxat impulſiua collationis beneficij, quæ ex quadam gratitudine, & beneuolentia per obſequia conciliata fit, quod maximè contingit, cùm ille famulus ſemper ſuam mercedem accepit.

CONSECTARIVM XII.

An qui Epiſcopis, vel aliis famulantur ſpe obtinendi alicuius beneficij Eccleſiaſtici ſint Simoniaci.

Communis ſententia Gloſſæ *in cap. Cùm eſſem. de Simonia*, quam ſequuntur DD. ibid. diſtinguit, de cauſa principali, vel minùs principali inſeruiendi Prælato, ſi enim ſpes obtinendi ab eo beneficij ſit finis principalis illius famulitij, volunt eſſe Simoniam, non verò ſi ſit finis minùs principalis; quod idem dixit Couarru. *lib.* 1. *varia. cap.* 20. *num.* 4. vbi tamen illa intentio principalis non fuerit expreſſa antecedente 1

dente pactione, Simoniam tantùm mentalem fore dixit Felin. *in illud cap.* & Caietan. *ver. Simonia ſub fin.* Huic communi diſtinctioni adhæſit Flamin. *de confident. quæſt.* 1. *num.* 38. vbi & alios allegat cum Nauarr.

2 Mihi verò aliter omninò diſtinguendum videtur; nam vel fuit aliquod pactum expreſſum, aut tacitum inter Prælatum, & obſequentem, vel nullum fuit eiuſmodi pactum, ita vt reuerà in Prælato, aut principe nulla fuerit noua obligatio ex Iuſtitia compenſandi ea obſequia. In primo caſu, ſi dentur beneficia propter ea obſequia, & ea de cauſa famulus renuat mercedem, ſperans loco illius beneficium, quod cum ſuo illo ſtipendio commutat, Simonia eſt, eáque manifeſta ex dictis. Si verò nullum fuerit pactum, nulláque obligatio Iuſtitiæ contracta, volueritque gratis omninò quis famulari, vt ſuis illis obſequiis ſibi Epiſcopum, aut Principem demereretur, atque ita gratis beneficium obtineret, quamuis ea intentio, & ſpes fuerit principalis, immò & vnica cauſa obſequendi Prælato, non erit Simonia, quia collatio beneficij eſt omninò gratuita, & liberalis, licet cum reſpectu gratitudinis, & ſpes obtinendi ſpiritualis, exhibendo temporale, non facit Simoniam, ſi nulla prorsùs pactio tacita, vel expreſſa immiſceatur, vti iam monui, & iterum dicam quæſt. ſeq. quia tamen ſolet ferè eſſe pactum aliquod tacitum, vbi obſequia ſunt neceſſaria, & nullum, aut omninò exiguum eſt ſtipendium, idcircò ſæpiùs oritur Simonia, cùm enim illi famuli ſeruiant tunc ex officio, & ex ſeruitio voluntariè acceptato, naſcitur obligatio Iuſtitiæ illud compenſandi, reddendíque mercedem, & nolint tamen domini aliud dare, quàm beneficium, quod hi quoque famuli ſpectant, atque ea propter ita ex officio famulantur, ſiue, vt alij loquuntur, obſequium neceſſarium, & non liberum exhibent, reuerà implicatur ibi pactum, ex quo deinde collatio Simoniaca euadit. Atque ita præſumitur in foro externo, quo modo Gloſſam, & communem DD. ſententiam interpretor. Itáque ſentit Suar. *lib. de Simon. cap.* 39. *num.* 7. Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 1. §. 12. & alij quæſt. ſequenti conſect. 1. referendi.

Hinc intelliges antiquum acroama. *Curia Prælatorum, ſunt probatoria Clericorum*, quod referunt Paludan. *in* 4. *diſt.* 25. Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 2. *in cap. Ordinationes.* 1. *quæſt.* 1. Cardinal. Alexand. & Turrecrem. *quæſt.* 2. *num.* 25. quia ſæpè occaſionem habent Simoniæ, ambitionis, & inuidiæ, dum ſeruiunt Prælatis ſpe beneficij obtinendi, aut illud ſuis obſequiis ambiunt.

CONSECTARIVM XIII.

An collatio beneficij cum onere alicuius obſequij temporalis præſtandi ſit Simoniaca.

Reſpond. & dico primo quoties obſequium temporale præſtandum, non eſt annexum beneficio, collatio erit Simoniaca, ſi ſub onere, & pacto ipſius detur beneficium. Idcircò in Concil. Lateranenſ. 2. *par. cap.* 14. Alexand. III. damnat Simoniacæ prauitatis R. Clericum de Ponte fracto, qui à quodam milite Eccleſiam acceperat, ſi eius negotium in Curia Romana promoueret 1

 &

& refertur *cap. cùm eſſem de Simonia.* ratióque manifeſta eſt, nam æquè promiſſio rei temporalis pro re ſpirituali, Simoniaca eſt, atque ipſa præſens ſolutio, aut exhibitio eius. vide Sotum *lib. 9. quæſt. 5. art. 1.* Ideò Victor. dixit *relect. de Simon. num. 6.* Epiſcopum, qui dat beneficium eo pacto, vt à collatario ipſe doceatur Geometriam, aut etiam Theologiam, Simoniacum eſſe. Quæ omnia ſemper intelligimus, vbi pactum intercedit.

2 Dico ſecundo licitum eſt conferre beneficium cum onere obſequij temporalis ipſi annexi. primo quia in collatione nihil tunc exprimitur, quod de iure non inſit beneficio. ſecundo quia hoc onus, & obſequium temporale non eſt pretium beneficij collati, in quo committeretur Simonia, ſed eſt opus, pro quo ſimul cum ſpirituali miniſterio dantur commoda temporalia annexa beneficio. Itaque cum beneficium ſit inſtitutum & propter ſpiritualia miniſteria, & propter temporalia quædam officia in commodum, & vtilitatem Eccleſiæ, cùm ad vtráque illa obſequia ſpiritualia, atque temporalia præſtanda dabitur beneficium, etiamſi illa obligatio in ipſa collatione exprimatur, nihil fiet contra Ius & multò minus committetur Simonia.

3 Dico tertio vacanti beneficio poterit ab habente legitimam poteſtatem annecti obſequium aliquod temporale Eccleſiæ, atque deinde cum illo onere conferri. Ita omnes *in tit. de magiſtris. cap. 1.* Concil. Lateranenſ. ſub Alexand. III. iubet per vnamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro, qui Clericos eiuſdem, & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur. Quam deinde conſtitutionem poſterius Concil. Lateranenſ. ſub Innocentio III. extendit ad alias quoque Eccleſias, in quibus eſſent facultates ſufficientes, in his enim conſtitui voluit Magiſtrum Grammaticæ. In Metropoli autem Eccleſia Theologum, qui Sacerdotes in ſacra pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum pertinere noſcuntur. Singulis autem voluit aſſignari prouentus vnius præbendæ; quia tamen addit Concil. illum non propterea fore Canonicum, vnde dici poſſet. hinc tantùm colligi, partem prouentuum Eccleſiaſticorum aſſignari his oneribus, non tamen ea onera connecti beneficiis, & beneficia ſub eo onere conferri, quod modò quærimus, & nomen beneficij in conſtitutione Lateranen. ſub Alexand. III. intelligendum eſſe pro præbendæ fructibus ex ipſa Innocent. III. in alio item Lateranenſ. Concilio interpretatione. Idcirco acceſſit Tridentini Decretum *ſeſſ. 5. cap. 1. de reformat.* de præbenda, & beneficio huic Magiſtri muneri aſſignando, dummodo eiuſdem beneficij cætera onera non prætermittantur. Quare de præbenda Theologali fuſiùs diſputant Garc. *par. 5. de benefic. cap. 4. num. 130.* Moneta *de diſtribution. par. 2. quæſt. 10. & de commutat. vltim. volunt. cap. 10. à num. 191.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 56. & de Canonic. cap. 27.* & in Collectan. *ad cap. 1. cit. Concil. Trident.* ex quibus, & aliis plura ſuo loco diſputabimus. Ratio verò noſtræ concluſionis eſt, quia redditus Eccleſiaſtici ad omnia miniſteria Eccleſiaſtica deſtinantur, in his autem miniſteriis ad Eccleſiæ commodum ſpectantibus aliqua ſunt ſpiritualia, alia verò temporalia; ſicut igitur

igitur pars aliqua prouentuum deſtinatur miniſteriis ſolùm ſpiritualibus in beneficiis, alia ad miniſteria tantùm temporalia in inſtitutione quorundam officiorum, ita aliqua pars poterit ad vtrúmque eiuſmodi miniſterium in aliquo beneficio deſtinari, maximè cùm præbenda, & redditus in ſe conſiderati ſint temporales, & non niſi per connexionem cum ſpirituali miniſterio, ratione cuius debentur Iure beneficij, ſpirituales; cur itaque non poterunt deberi & ratione miniſterij ſpiritualis, & ratione temporalis, atque ita vtrique annecti, non tantùm in prima inſtitutione beneficij, ſed etiam in beneficio iam conſtituto, ab eo qui habet poteſtatem diſpenſandi de redditibus Eccleſiaſticis, atque beneficialibus? Tunc autem quid impediet, quominus conferatur eiuſmodi beneficium cum expreſſione, & conditione oneris illi primum, ſiue recenter annexi? tunc enim, vt iam monui, illud non eſt pretium oneris, ſed onus eſt opus, pro quo ſimùl cum miniſterio ſpirituali datur ſtipendium.

4 Dico quarto non poteſt adiungi onus obſequij alicuius temporalis præſtandi rei purè ſpirituali, & quæ nullum habeat commodum temporale annexum, ſufficiens illi obſequio nouo. v. gr. beneficio, quod nullos haberet redditus temporales, aut admodum exiguos, qui vix miniſteriis ſpiritualibus ſatis ſint, minimè licebit annectere noua onera temporalia, quia tunc illud ſpirituale dari videbitur in compenſationem oneris, & obſequij temporalis; ſicut ſi pecuniaria aliqua penſio eidem purè ſpirituali imponeretur, nam ſi ius eligendi, aut præſentandi conferretur alicui ſub onere gerendi negotia Eccleſiæ, ea ſine dubio opera non haberet aliam mercedem, quàm Ius illud merè ſpirituale, & cui nulli redditus, qui ſint loco ſtipendij eiuſmodi operum, annexi ſint.

Dico quinto Epiſcopum non poſſe annectere beneficiis vacantibus onera obſequij temporalis in priuatæ ſuæ domus, & familiæ obſequia; in Concilio enim Lateranenſ. ſub Alexand. III. & refertur *cap. prohibemus, de cenſibus.* edicitur ne Epiſcopi, aliíve Prælati partem redditūum Eccleſiaſticorum *ſuis vſibus appropriare præſumant.* Deinde cùm ad iſta onera habeat redditus ſui beneficij, non poteſt alios ſibi vſurpare; ſi tamen id præſtaret, non exiſtimarem eſſe Simoniam, quia non daretur ſpirituale pro temporali, ſed temporale malè diſpenſaretur. 5

CONSECTARIUM XIV.

Aliquot caſus ſingulares.

Primo Prælatus qui conſtituit famulo certum ſtipendium donec ei de beneficio prouideat, non eſt Simoniacus, modò non paciſcatur, quod deinceps obtento beneficio gratis inſeruiet. Ita DD. *in cap. 12. de Simonia,* quia ibi non datur ſpirituale pro temporali ex vllo pacto. 1

Secundo Prælatus ait famulo ſuo, dabo tibi 50. aureos in annos ſingulos, donec tibi de beneficio centum aureorum prouiderim, neque enim aliter obſequium ipſi ſpóderet famulus; periculum Simoniæ in hoc caſu exiſtimauit Victor. *relect. de Simon. num. 36.* ſapienter omninò, quia ibi videtur eſſe diminutio annui ſtipendij ex pacto tacito pinguioris beneficij obtinendi. Quarè tum Prælati, 2

lati, tum famuli intentio, tum modus huius promiſſionis attentè diſpicienda erunt.

3 Tertio Prælatus procurat ſuo Capellano, qui ſtatuto Salario ipſi aliquot annis inſeruierat, beneficium eo pacto, vt donec expectationis tempus labatur, & poſſit in ſuo beneficio reſidere, ipſi gratis inſeruiat, Simoniam in eo pacto committit. Ita Binsfeld. *in cap.* 12. *de Simonia quæſt.*4 *conc.* 4. §. *dubium hic*, quia beneficiarius oneratur in aliquo temporali, ad quod de Iure non tenetur.

4 Quarto Epiſcopus dans ius audiendi confeſſiones cum onere ſibi inſeruiendi, aut alicuius itineris, aut alterius eiuſmodi obſequij, Simoniacus eſt.

CONSECTARIVM XV.

An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali iam præſtito ſit Simoniaca.

Reſpond. & dico eiuſmodi collationem Simoniacam non eſſe niſi ex eo obſequio temporalis obligatio ſequatur, aut præceſſerit pactum ab Eccleſia prohibitum. Hoc conſectarium probatum manet, nam ex prima difficultate conſtat, nihil ſpirituale datum pro ſpirituali conſtituere Simoniam ex natura rei, cùm igitur hoc obſequium ſpirituale ſit reuerà non conſtituet Simoniam, niſi aliquid aliud contingat, ex quo ea oriatur; duo autem eiuſmodi tantùm fingi poſſunt, vnum eſt, ſi ex eo obſequio præſtito, ſequatur aliqua obligatio præſtandi quidpiam temporale. v. gr. ex Vicariatu, & opera impenſa in cura animarum debetur ſtipendium, quod ſi quis intendat extinguere collatione beneficij, alteriúſve rei temporalis, iam Simoniam contra Ius diuinum incurrit, vti ſuperiùs monuimus. Alterum eſt, ſi pactum aliquod eiùs commutationis obſequij ſpiritualis pro beneficio, aut alia re ſpirituali præceſſerit; nam ſi nullum pactum præceſſit, gratis exhibitum fuit eiuſmodi obſequium, atque ita nihil ex Iuſtitia, & tanquam debitum poteſt dari in pretium, & quidquid confertur, in gratitudinem tantùm, & beneuolentiam confertur: Si verò pactum præceſſit, atque ex illo detur beneficium, videndum erit, vtrum fuerit prohibitum tanquam Simoniacum ab Eccleſia, vti reuerà circa beneficia omnis pactio prohibita fuit, quod tam ſæpe monuimus.

CONSECTARIVM XVI.

An collatio beneficij pro obſequio ſpirituali præſtando ſit Simoniaca.

Reſpond. & dico primo pactum 1
præſtandi obſequij ſpiritualis ad obtinendum beneficium eſſe Simoniacum, contra Ius Eccleſiaſticum, quod omnem pactionem in iſtis Simoniæ damnat. Itaque Patronus præſentans ad beneficium ſub onere dicendi pro ſe certum numerum Miſſarum, aut conferens beneficium ſub onere recitandi quotidiè Litaniam pro ſe, aut eligendi aliud beneficium, aut conferendi ordines, aliáve ſimilia obſequia, peccat contra legem Eccleſiaſticam, & reus habetur Simoniæ, quoties pactum intercedit tacitum, vel expreſſum; quod autem Epiſcopus ordinatis à ſe indicat certum numerum Miſſarum,

id

id fit aut per modum præcepti, ad quod ſufficientem iuriſdictionem habet ſaltem ex conſuetudine, vel id poſtulat ex quadam gratitudine, non autem in pretium collati ordinis.

2 Dico ſecundo non eſt Simonia dare beneficium cum onere obſequij ſpiritualis ipſi de Iure annexi, etiamſi illud onus ipſa collatione exprimatur tanquam ipſius conditio, aut modus: neque quidquam intereſt, an illud obſequium fuerit in ipſa prima inſtitutione beneficij ipſi annexum, an ſubinde vbi vltimò vacauit, impoſitum. Vti colligitur ex conſect. 15. & ratio manifeſta eſt, quia non imponitur, neque exprimitur niſi quod de Iure ineſt, & nullum fit pactum ex caſu; neque vnum datur in pretium alterius, ſed res tranſit cum ſuo onere. Quarè nullus huic noſtræ doctrinæ refragari poteſt, quam etiam aperta Iura confirmant; nam *cap. ſignificatum. de prebendis.* Pontifex confirmat inſtitutionem cuiuſdam Præsbyteri, cui Capitulum Inſularum præbendam contulerat ſub onere dicendi quotidiè Miſſam de ſancta Maria: ſiue hoc onus fuerit impoſitum præbendæ vacanti, vt exiſtimauit Gloſſa, quam frequentiùs DD. ſequuntur, ſiue noua præbendæ, & beneficij inſtitutio facta, quod mauult Suar. *lib. de Simon. cap.* 39. *num.* 17. & Ludouic. à Caſtro apud Barboſ. *in collectan. ad illud. caput:* ſed quidquid dicatur, ſemper ex eo Pontificis reſponſo patet, dari poſſe beneficium ſub onere, & modo ſpiritualis obſequij; quod vt ampliùs confirmetur,

3 Dico tertio bona temporalia relinqui poſſe Eccleſiæ ſub onere alicuius ſpiritualis obſequij, non tantùm ex gratitudine, ſed etiam ex Iuſtiria præſtandi, ita vt alioquin Eccleſia excidat illa re, aut legato; fundus enim dari poterit, vt in eo ædificetur Eccleſia, aut fiat tot ſacra ſingulis annis, alioquin detur pauperibus. Ita contra Canoniſtas, qui Gloſſam *in cap. ſignificatum. de prebend.* & Innocent. *in cap.* 3. *ne Prelati vices ſuas*, malè ſequuti ſunt, vti oſtendit Suar. *cap.* 39. *cit. num.* 18. quia non emitur ſpirituale per illud temporale relictum Eccleſiæ, ſed datur temporale ad certum vſum ſpiritualem, quem ſanctè habere poteſt; qui vſus apponitur tanquam conditio, & modus illi donationi, vti apponi poteſt, quandoquidem liberè fit; atque ita nulla fingi poteſt eo caſu Simonia, ipſáque praxis Eccleſiæ, quæ ſimilia legata conditionata probat, ſatis manifeſta eſt, ita vt de ſolis vocibus poſſit eſſe contentio, an iſta relinqui dicantur in ſtipendium, an ad ea onera, an obſequia ſpiritualia ſic connectantur temporalibus, quod malè ſonare videtur; an verò temporalia relinqui Eccleſiæ, vt per Prælatos annectantur ſpiritualibus. Verùm modò temporalia non dentur in pretium ſpiritualiũ obſequiorum, nullam Simoniam timere debemus. Vide Ferdin. à Caſtro. *diſp. de Simon. punct.* 4. *num.* 4.

CONSECTARIVM XVII.

An preces, interceſſiones, commendationes, aliáque id genus conſtituant Simoniam.

Reſpond. & dico, preces, interceſſiones, fauores, laudes, & ſimilia, quoties dantur in commutationem rerum ſpiritualium ex pacto tacito, vel expreſſo, conſtituere pre- 1

tium Simoniacum; id autem fit quoties à conferente beneficium, aliámve rem ſpiritualem poſtulantur, veluti in commutationem rei, quam dat. Quando verò non fiunt ex pacto, neque in commutationem rei ſpiritualis, ſed ad inflectendum animum dantis, nulla planè Simonia committitur. Hac aſſertione concilio diuerſas ſententias, veteres enim Gloſſam ſecuti *in cap. ordinationes.* 1. *quæſt.* 1. dixerunt, preces eſſe Simoniam ſaltem quando quis illas offert pro ſe ipſo, aut indigno: recentiores autem in precibus nullam Simoniam eſſe contendunt, niſi in aliquid temporale reſoluantur. Sed, vt monui, non diſſident hi DD. quia veteres explicari debent de precibus ex pacto, & conuentione ad obtinendum beneficium datis, tunc enim Simoniam committi, non negabunt recentiores. Quando autem preces ſine vllo pacto porriguntur, abſque Simonia ſunt, quod etiam fatebuntur alij DD.

2 Et quidem in primo caſu Simoniam eſſe ſuadent omnia Iura, quæ inter pretia Simoniaca numerant munus à lingua, quod ſordidas oris preces nominabat Gregori. ille autem ſicut & alij patres initio relati, atque à Gratiano 1. *quæſt.* 1. exſcripti, damnant eos, qui ſacros ordines non gratis tribuunt, dum pro impenſo officio ſanctitatis, munus fauoris expetunt, & pro humana gratia largiuntur. Et ſanè preces non poſſunt dici munus eius, cui offeruntur, ſicut & laudes, ac commendationes ſunt munera eius, qui laudatur, & cōmendatur, non autē illius, apud quem cōmendatur, & laudatur: ſi quis igitur conferat beneficium pro precibus, & intercesſionibus factis, aut faciendis ex pacto; pro fauore, & gratia ſibi exhibita, aut exhibenda, ex conuentione item, reuerà munus à lingua accipit, quod eſt æſtimabile pretio: atque ita conferens pro eo munere beneficium Eccleſiaſticum, aliámve rem ſpiritualem, Simoniam committit etiam contra Ius diuinum. Quarè in hunc ſenſum exponenda ſunt omnia Iura, quæ collationes rerum ſpiritualium propter fauorem, & gratiam factas damnant tanquam Simoniacas.

Ex his probata manet altera pars noſtri conſectarij, nimirum preces, aliáque eo nomine ſignificata, ſecluſo omni pacto, & conuentione, ſiue pro ſe, ſiue pro alio porrigantur, nullam Simoniæ prauitatem continere: quia neque precibus rem quampiam obtinere, eſt illam emere, neque dare propter preces, eſt vendere, iſta enim ſunt correlatiua ideóque preces non impediunt gratuitam donationem, nec contractum oneroſum conſtituunt. Ex quibus manifeſtè ſequitur, Simoniam nullam eſſe; & ſanè in Iure emptio, & Precarium differunt, & quod precibus, ſiue precariò obtinetur, non dicitur emi, aut alio contractu oneroſo acquiri; eſt enim precarium, inquit Vlpian. *l.* 1. *ff. de precario,* quod precibus petenti vtendum conceditur, quamdiu is, qui conceſſit, patitur. Atque in hac ipſa materia diſtinguitur venalitas ordinum, aliarúmque rerum ſacrarum, à potentia, & ſupplicatione perſonarum, fauore, & patrocinio, & quamuis prohibeant Iura conferri ordines, & beneficia propter venalitatem, aut fauorem, ſupplicationem, & patrocinia perſonarum potentium, primum tamen prohibent propter Simoniam, ſecundnm autem propter alia incommoda, quia ſæpiùs indigni

gni ea ratione promouentur, & qui ea ratione electi, aut promoti ſunt, eorum voluntatibus, quorum patrocinio prouecti ſunt, ex quadam deinde reuerentia obedire tenentur.

Ideò Gregori. *lib.* 1. *Epiſt.* 47. *indic.* 11. Columbo Epiſcopo. & refertur *cap. pueri.* 120. 1. *quæſt.* 1. ſic loquitur: *nam procul dubio* DEVS *offenditur, ſi ad ſacros ordines quiſquam non ex merito, ſed ex fauore, quod abſit, aut ex venalitate prouehatur.* Vbi vides, venalitatem, & fauorem tanquam duo diuerſa diſtingui. Et *caput* 1. *quæſt.* 2. quod ex Gregori. *lib.* 2. *regeſti. Epiſt.* 22. *indic* 11. deſumptum fuit, ab electione Epiſcopi tum præmia, tum patrocinia ablegat, ne deinde electus obediat ſuo patrono, vt dixi, & ibi Gloſſa. *ver. patrocinia.* preces illas interpretatur, quæ licet ſint carnales, & pro digno factæ, non faciunt Simoniam, ſed tantùm ſi fiant pro indigno: quæ diſtinctio quamuis aliis quoque placuerit, non placet, quia cùm preces non ſint in pretium, pro quocunque fundantur, pretium non erunt, neque dignitas, aut indignitas perſonæ attenditur in Simonia, ſed pretium, quod pro re ſpirituali datur, ſiue enim munus à manu detur pro digno, ſiue pro indigno, conſtituet Simoniam, quia eſt pretium; at verò preces pretium non ſunt, vnde ſi præciſè ſpectentur, pro quocunque fiant, non conſtituent contractum oneroſum, neque Simoniacum, ſed fortaſſis ſacrilegium propter indignitatem perſonæ, quæ eligitur ex fauore, & precibus; alioquin etiam collatio beneficij facta digno precibus, eſſet æquè Simoniaca, quod falſum dixit Gloſſa, aliique DD. nam & Gregori. *lib.* 7. *indict.* 1. *Epiſt.* 2. ait, ſe quendam Acolythum ordinaſſe precibus Chryſanti Epiſcopi, cui ſcribit; vel vt legit Gratian. 1. *quæſt.* 1. *cap.* 121. Petri Corſicæ Epiſcopi, ad quem legitur quoque Epiſtola *lib.* 5. *Epiſt.* 22. cum hac inſcriptione, *Petro Epiſcopo Alexandiæ de Corſica*, vbi pro Alexandriæ legendum videtur Aleriæ. *lib.* etiam 4. *Epiſt.* 30. precibus Heliæ Presbyteri Epiphanium quendam Diaconum creauit. Denique *cap. Tua nos.* 34. *de Simonia*, *qui rogat humiliter in Canonicum admitti*, dicitur admittendus.

CONSECTARIVM XVIII.

Caſus ſingulares.

1 Ex his fit primo vt Epiſcopus conferens Titio beneficium ex pacto, vt pro ſe apud Principem cauſam aliquam agat, aut ab illo quidpiam obtineat, Simoniacus ſit.

Secundo qui confert beneficium eo pacto, vt Collatarius ipſum laudet, ſigna honoris palam exhibeat, ſuum gẽtilem, aut conſanguineũ, aut affinem nominet, Simoniam cõmittit, quia reuerà capit munus à lingua.

Tertio qui promittit alteri beneficium, modò ab ipſo petat, quia vult illam ſubiectionem ſibi exhiberi, ſi pactum intercedat, Simoniacus exiſtit, obligat enim ſibi alterum per rem ſpiritualem.

Quarto qui pecuniam dat alicui ex pacto, vt apud Epiſcopum, aut alium quempiam ſibi, aut alteri beneficium, diſpenſationem, ordines, aut quid aliud ſimile obtineat, Simoniacus eſt; quia reuerà beneficium obtinetur pecunia, neque enim quidquam refert, quod pecunia collatori, vel interceſſori donetur. Neque dicas, non dari pecuniam pro bene-

ctio, ſed pro interceſſione, non virtualiter cenſetur tradi pro beneficio, emíque ipſum beneficium, quandoquidem non datur pecunia ad emendam interceſſionem, i vt eſt actus quidam naturalis tantùm, ſic enim non æſtimatur, ſed vt ordinatur ad beneficium, quod petitur, cum eóque connexionem habet, atque adeò ab ipſo totam ſuam æſtimationem ſortitur; quarè tandem emitur beneficium.

Dices collatorem ignarum fœdi illius commercij conferre omninò gratis beneficium, quamuis motus precibus alterius ſibi ſupplicantis.

Reſpon. in eo caſu emi adhuc beneficium non quidem à Collatore, cum quo nihil paciſcimur, ſed à mediatore, & veluti proxeneta, eſtque reipſa commutatio inter pecuniam, & beneficium, quod per pecuniam obtinetur: & cum cauſa inducens ad actionem ſit vera cauſa moralis actionis illius, collatio beneficij, alteriúſve rei ſpiritualis verè emitur, quando cauſa, à qua moraliter pendet, nempe interceſſio apud Prælatum emitur; & Prælatus quidem non confert, vt dixi, beneficium pro pecunia, ideóque vitio caret, collatarius tamen recipit pro pecunia, quam in eam receptionem dedit, & collator non eſt ſola cauſa, ſed etiam interceſſor. Deinde ſi daretur pecunia pro illa interceſſione, & precibus ea conditione ſi forent efficaces, hoc eſt, ſi reipſa beneficium obtinerent, manifeſtæ Simoniæ arceſſitur, quia emeret preces prout coniunctæ ſunt cum effectu ſpirituali, & non aliter, atque adeò ratione eiuſmodi effectus: atqui quoties preces ad eundem effectum ordinantur, ad illúmque ſufficientes ſunt, æquè cum illo connexionem habent, & ratione ipſius duntaxat æſtimantur, emuntúrve; æquè igitur in eo pacto Simonia reperitur. Quarè Vrban. II. *in cap. Præſentium.* 1. *quæſt.* 5. ordinationem factam per pecuniam, non Epiſcopo, ſed cuidam Principum eius datam damnat. Atque ita cenſet Nauarr. *cap.* 23. *num.* 106. *ver. ad quintum*, referens Innocent. Panormit. Antoni. Felin. & *in comm. de dat. & promiſſis. notat.* 32. *num.* 45. & *conſil.* 56. & 57. *de Simonia.* Summiſtæ *ver. Simonia.* Syluest. *quæſt.* 6. Angel. 3. *num.* 25. Tabiena. *num.* 8. Sotus *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 7. *art.* 3. Armac. *lib.* 10. *quæſtion. Armen. cap.* 18. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 25. *dub. vltimo circa litteram.* Maior *ibid. quæſt.* 3. *ad* 2. Gabriel *ſupplem. quæſt.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Suar. *lib. de Simon. cap.* 40. *num.* 9. & *cap.* 53. *num.* 14. fuſiùs Bonac. *diſput. de Simon. quæſt.* 1. §. 1. *num.* 14. & alij.

Quinto qui pecuniam dat famu- 3
lis Prælatorum, vt ſibi viam faciant, & dent aditum, ianuam aperiant, ad opportunè agendum cum ipſis de obtinendo beneficio, aut qui litteras fideliter reddunt, non committit Simoniam ex Nauarr. *cap.* 23. *cit.* quia hæc omnia ſunt officia merè temporalia, quæ nullam habent connexionem per ſe cum re ſpirituali.

Sexto qui donat familiari Principis, aut Prælati pecuniam, non vt intercedat apud Principem, aut Prælatum, ſed tantùm vt illum certiorem faciat de meritis oratoris, ita vt agat tantùm velut partes aduocati, qui Iudicem inſtruit, non committit Simoniam, ſicut neque aduocatus, qui etiam in cauſa Eccleſiaſtica pretium ſuæ operæ accipit, quan-

quam

quam tutiùs foret dare per modum ſtipendij, & non pretij in hoc caſu, nam quia crebriùs contingit; iſtos aduocatos, & monitores agere vices interceſſoris, dari videtur pecunia pro interceſſione, non pro ſimplici informatione: idcircò cautos nos eſſe monent hac in parte Suar. & alij DD. hæcque ſententia facilior eſt in ſpeculatione, quàm in praxi, à qua vix aliqua labes Simoniæ abfuerit.

Septimo dum quis abſque pacto, & pecunia, ſed precibus inducit alium, vt ſibi, vel alteri beneficium à Papa, aut Epiſcopo, alióve quopiam collatore, electore, & patrono obtineat, Simoniam non committit; neque enim magis precum preces, quàm preces beneficij, ſecluſo pacto omni, & pretio inducunt Simoniam.

Octauo qui Prælatum ſiue coram, ſiue clanculum commendat apud alios, vt eius beneuolentiam, dum reſcierit, ſibi conciliet, ab eóque tandem beneficium obtineat, non committit Simoniam, ſiue eæ laudes veræ ſint, ſiue falſæ. quà ſecluditur pactum, & preces, non ſunt pretium, neque quidquam datur in pretium.

QVÆSTIO XVII.

Qualis debeat eſſe contractus Simoniacus.

DEFINIVIMVS quæſt. 1. Simoniam, emptionem, vel venditionem rei ſpiritualis, quo nomine intelligebamus omnem contractũ oneroſum: deinde temporale, quod in Simonia datur pro ſpirituali, contendimus dandum eſſe in modum pretij duabus proximis quæſtionibus: ex his igitur facilè definiemus, qualis debeat eſſe contractus ad Simoniam conſtituendam requiſitus.

PROPOSITIO VNICA.

Solus contractus oneroſus dandi rem temporalem in commutationem, & pretium ſpiritualis, eſt Simoniacus.

EXPOSITIO, ET CONFIRMAtio propoſitionis.

Hæc propoſitio vnum affirmat, alterum negat, fitque perſpicua ex ſæpiùs in hac tota diſputatione dictis; quare neque magna luce, neque longiori confirmatione indiget.

Affirmo itaque omnem contractum oneroſum, in quo aliquid temporale datur per modum pretij, compenſationis & cõmutationis rei ſpiritualis, eſſe Simoniacum; eſt enim ibi vera ratio venditionis, & emptionis, quã in definitione Simoniæ requirebamus; quarè ſi quis cõtractus Simoniacus ſit, iſte quem modò deſcripſimus, maximè erit. Tota itaque difficultas eſt in particula excluſiua, quam addidi, dixi enim ſolum illum contractũ eſſe Simoniacum, itaque excludo omnem alium contractum, qui vel non erit oneroſus, ſed gratuita, & liberalis donatio, vel non commutabit ſpirituale cum temporali, ſed dabit temporale alio quopiam titulo, quàm in compenſationem, pretium, & cõmutationem rei ſpiritualis: hunc enim nego eſſe Simoniacum; quod fuſiſſimè omni genere teſtimoniorum demonſtrauimus aduerſus nouam opinionem tota quæſt. 2. docetque euidentiſſima ratio; quoties 1

enim cauſa dandi temporale non eſt ſpirituale, quod accipitur, non fit vlla commutatio temporalis, & ſpiritualis; neque vnum eſt pretium, æſtimatio, aut compenſatio alterius; neque tunc venditio, aut emptio, aliúſve contractus oneroſus, cuius materia ſit ſpirituale quidpiam, fingi poteſt; ſed id erit materia eiuſmodi contractus, pro quo datur temporale, nimirum ſuſtentatio, & ſtipendium miniſtrantis ſpiritualia, vexatio iniuſta, quæ per negationem ſpiritualium infertur, & quæ per temporalia redimitur, aliáque ſimilia, quæ in conſectariis circa caſus ſingulares expendemus: contingit autem dari ſpirituale pro temporali, quoties nullum aliud eſt honeſtum motiuum; propter quod eo caſu temporale illud datum fuerit, aut dari potuerit, quàm quia per illud temporale, obtinendum erat ſpirituale; vel è contrario, temporale per ſpirituale, ſi enim pactum oneroſum accedat, atque reciproca noua obligatio Iuſtitiæ, non video quid deſit ad Simoniam; ſi autem vel pactum non ſit, vel alius titulus, quàm acquiſitio rei ſpiritualis per temporalem, tunc aut venditio nulla eſt, aut non eſt venditio ſpiritualis, atque adeò non eſt Simonia.

2. Quæ omnia confirmantur ex ratione pretij, quæ conſiſtit in hoc, quòd vna res detur in permutationem alterius cum habitudine rei ad rem, quam iuſtitia commutatiua reſpicit; quarè eſſentialiter in natura pretij inuoluitur, vt per illud ſoluatur obligatio orta ex re accepta, vel ex opere præſtito, reſpiciendo ad valorem, & æſtimationem eius; vel è conuerſo, vt per exhibitionem pretij oriatur in alio obligatio dandi rem quampiam, aut præſtandi opus ſecundum habitudinem rei illius, vel operis ſufficienter æſtimati, & compenſandi per tale pretium, quod ex ipſis terminis, atque communi omnium contrahentium ſenſu certum fit. Atqui hæc ratio pretij in ſolo contractu oneroſo reperitur, in quo compenſatur ſpirituale per temporale, vel temporale per ſpirituale; non autem in eo, in quo datur temporale propter aliud, quàm per ipſum ſpirituale præcisè, ita vt non fiat vlla comparatio inter ſpirituale, & temporale; neque ſit vlla inter ea habitudo, aut reſpectus æſtimationis, & valoris, ſiue æqualitatis, aut proportionis rei ad rem, quam attendit Iuſtitia: ergò in eo ſolo contractu oneroſo; in quo obligatio orta ex re ſpirituali accepta, aut opere ſpirituali præſtito, ſoluitur per temporale reſpiciendo eius valorem, æſtimationem, & proportionem cum re accepta, & opere exhibito, quam proportionem attendit Iuſtitia, erit Simoniacus. Ex qua vniuerſaliſſima certiſſimáque doctrina plura deducemus.

QVÆSTIO XVIII.

CONSECTARIA

Ex proxima propoſitione vniuerſali.

Conſectar. I. An intentio principalis acquirendi temporale medio ſpirituali, vel ſpirituale medio temporali ſit Simonia mentalis.

Conſect. II. An donatio gratuita temporalis pro ſpirituali ſit Simoniaca, aut ſaltem vt talis prohibita.

Conſect. III. An donatio Antidoralis,

-tidoralis, & remuneratoria temporalis pro ſpirituali ſit Simoniaca.

Conſectar. IV. An Simonia ſit dare temporale pro ſpirituali ad redimendam vexationem iniuſtam.

Conſect. V. Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

Conſect. VI. An poſſit dari temporale pro ſpirituali in ſtipendium, & ſuſtentationem.

Conſect. VII. Quæſtiones ſingulares maximè circa ſtipendia Miſſarum explicantur ex ſuperiori conſectario.

Conſect. VIII. Priuatæ quorundam Religioſorum ordinum conſtitutiones circa ſtipendia ſacrorum miniſteriorum explicantur.

Conſect. IX. An aliquid temporale pro ingreſſu Religionis accipi poſſit.

Conſect. X. Singulares quæſtiones ex ſuperiori conſectario circa receptionem Monialium, & earum dotes explicantur.

Conſect. XI. Qua ratione accipiatur aliquid temporale pro diſpenſationibus Eccleſiaſticis abſque Simonia.

Conſect. XII. Difficultates ſingulares circa diſpenſationum executionem, & circa officialium ſtipendia ſoluuntur ex hactenùs diſputatis.

Conſect. XIII. An conſuetudo det ius accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali, ſiue an excuſet à Simonia.

Conſect. XIV. Quid ſentiendum ſit de quibuſdam conſuetudinibus ſingularibus, probandæ, an improbandæ ſint.

Conſect. XV. De quibuſdam aliis conſuetudinibus dandi aliquid pro ordinibus ſacris, & admiſſione in Clerum.

CONSECTARIUM I.

An intentio principalis acquirendi temporale medio ſpirituali, vel ſpirituale medio temporali ſit Simonia mentalis.

Hæc quæſtio definita fuit quæſt. 1. vbi fuſiſſimè oſtendimus finem principalem obtinendi ſpiritualia per temporalia, aut temporalia per ſpiritualia induere ſiue continere aliquam rationem pretij & commutationis non gratuitæ, alteriúſve contractus oneroſi, etiam ex mente illorum Doctorum, qui hoc loquendi modo vtuntur, qui proinde non diſſentiunt à communi ſententia, & nouis opinionibus, & cenſuris non fauent. neque aliud addendum hoc loco eſt.

CONSECTARIUM II.

An donatio gratuita temporalis pro ſpirituali ſit Simonia, aut ſaltem vt talis prohibita.

Reſpond. & dico primo gratuitam, ac liberalem donationem rei temporalis pro ſpirituali non eſſe Simoniacam contra Ius naturale, aut diuinum. Ita omnes, quia donum gratuitum, & pretium pugnant inuicem, atqui Simonia non conſiſtit ſine pretio, & contractu oneroſo, vti iam probauimus in noſtra propoſitione; ergo vbi erit donum gratuitum, non reperietur, neque intelligi poteſt, quomodo, ſi donum temporale gratis detur, ſpirituale, quod ipſi redditur, non donetur etiam gratis, ſed vendatur; vbi enim fingitur iſta venditio, cùm omnis pactio tum tacita,

tacita, tum expreſſa ſecludatur? Quarè quoad conſcientiæ forum, & Simoniam propriè dictam contra Ius naturale, & diuinum, nihil interefit, ſiue donum præcedat exhibitionem rei ſpiritualis, ſiue ſubſequatur ſtatim, aut ex interuallo, ſiue ſimul vtrumque conferatur, modò vtrobique ſit reipſa liberalis omninò, & gratuita donatio, aberit enim omnis pariter Simonia.

2 Dico ſecundo poſſe prohiberi ab Eccleſia intuitu Religionis gratuitam donationem temporalis pro ſpirituali, illámque tunc fore Simoniacam Simoniâ analoga, & impropria. Hæc aſſertio certiſſima eſt, & probata manet ex quæſt. 3. conſect. 4. ex propoſitione vniuerſali: & ſanè ſi commutationes ipſas rerum ſpiritualium inter ſe, atque etiam exactiones ſtipendiorum in quibuſdam caſibus, quamuis non exigerentur per modum pretij, ſapienter Eccleſia damnauit, & Simoniæ pœnis puniuit, quod in ſuperioribus diximus, & iterum alibi monebimus, quidni vbi Religionis cauſa poſtulabit, poterit gratuitas quoque eiuſmodi donationes ſimili ratione prohibere, ad auertendum omnem Simoniæ ſuſpicionem? Itaque de poteſtate Eccleſiæ hac in parte non video dubitari poſſe à ſapientibus; quæ enim afferuntur, probant duntaxat non conſtitui veram Simoniam, quæ poſtulat eſſentialiter contractum onerosum, qualis non eſt gratuita donatio; Eccleſia verò efficere non poteſt ſua lege, vt donatio gratuita non ſit gratuita, ſed oneroſa; quod totum nos vltrò concedimus, vnde diximus conſect. 4. cit. eiuſmodi etiam fore tantùm analogam contra Suar. *cap. 49. num. 6. lib. de Simon.* Veram tamen Irreligioſitatem futuram, quæ quia in quadam veluti commutatione licet gratuita, conſiſtit, imitabitur Simoniam, quæ in vera commutatione ſpiritualis cum temporali reperitur.

Dico tertio nullibi in Iure prohiberi gratuitam donationem temporalis pro ſpirituali, tanquam Simoniacam, ſaltem extra materiam beneficiorum, immò ſæpiùs eiuſmodi gratuitæ donationes probantur.

3 Atque vt ab hoc poſtremo ordiar. Bonifac. *Can. quam pio. 1. quaſt. 2.* aliquid ſubſidij gratia Monaſterio, ex quo deſumptus fuerat Prælatus, modò abſit omnis conuentio, dari permittit. Gregor. *lib. 4. regiſti. Epiſt. 44.* non prohibet ordinatum dare aliquid *gratia tantummodò cauſa, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit.* Siue (vt legit, quamuis mendoſè Gratian. *1. quæſt. 2. cap. ſicut Epiſcopum*) *quæ ex ambientis petitione proceſſit.* PP. Bracarenſ. *in Synodo II. cap. 7.* permittunt, quod Parentes infantium baptiſandorum, *voluntariè offerunt pro ſuo voto* ſuſcipi, aliquid ab eis extorqueri ſanctè prohibent. *cap. etſi quæſtiones. de Simon.* exigua dona non damnantur vt Simoniaca, quia nimirum data exiſtimantur gratuitò, & non in pretium rei acceptæ, vti iam monuimus *quæſt. 3. diffic. 2. conſect. 4.* Innoc. III. *cap. dilectus. 2. de Simonia*, de ingreſſu Religionis agens. *Illud*, inquit, *gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum.* quia nimirum taxatio non cadit in ea, quæ gratuito donantur. Denique in cap. *Tua nos. eod. tit.* probatur donatio gratuita bonorum facta Eccleſiæ ab eo qui rogabat humiliter in Canonicum admitti. Vides igitur gratuitas donationes temporalium

lium pro ſpiritualibus ſæpiùs à Iure probari.

Vlterius autem oſtendendum nobis eſt, nunquam improbari vt Simoniacas, licet aliis ex cauſis tanquam turpes, & ſordidæ reiiciantur.

4 Obiicies itaque *cap.* 1. *de Simon.* vbi pro ordinatione, vſu pallij, vel paſtellis ordinatus aliquid dare prohibetur. Reſpond. Sermonem ibi eſſe de donatione oneroſa, quæ venditio ſit; ait enim Gregor. *lib.* 4. *Epiſt.* 44. vnde ſumptum eſt illud caput, ſicut Epiſcopus non debet manum, quam imponit, ita nec Miniſter, vel Notarius in ordinatione eius vocem, vel calamum vendere.

Secundo Conc. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *de reformat.* quidquam pro Ordinibus à quocunque accipi prohibet, & contrarias taxas, ſtatuta, & conſuetudines, abuſus vocat, & corruptelas Simoniacæ prauitati fauentes. Reſpond. nihilominus, munera ſponte oblata, & non in commutationem, non fore Simoniaca. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 61. Ferdinand. *diſp. de Simon. punct.* 5. & alij, quia prohibet tantùm iſta Conc. ad vitandam auaritiam, vt initio teſtatur, quam etiam Simoniæ fauere dicit. Verum de hoc Decreto Tridentini plura inferiùs.

Tertio Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. prohibet Examinatoribus Synodalibus quidquam ratione Examinis accipere, alioquin Simoniæ vitium incurriſſe dicuntur; quid clarius afferri poſſet ad docendum, donationem etiam liberalem aliquando tanquam Simoniacam ab Eccleſia damnari? Itáque omninò cenſet Suar. *lib. de Simon. cap.* 49. *num.* 7. atque alij paſſim adducti à Barboſ. *in collectan. ad hoc cap. num.* 113. qui DD. nequidem titulo ſuſtentationis, & ſtipendij quidquam accipi poſſe volunt.

Reſpond. tamen cum Ferdinand. à Caſtro *loc. cit.* prohiberi aliquid recipi tanquam pretium, & commutationem; de ſtipendio verò nihil haberi, vti monebimus inferiùs *conſect.* 12. *diffic.* 3. Deinde prohibetur quidpiam accipi pro approbatione concedenda, quæ eſt actus cuiuſdam Iuriſdictionis ſpiritualis. Denique Trident. alludit ad decretum Concil. Nannetenſ. *cap.* 11. quod refertur *cap. Quando. diſt.* 24. vbi de examinatoribus ad Ordines ita ſtatuitur. *Ipſi à quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuſquam muneris cupiditate illecti à vero devient, vt indignum, & minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent; quod ſi fecerint, & ille, qui indignè acceſſit, ab altari remouebitur, & illi, qui donum Spiritûs Sancti vendere conati ſunt, coram* DEO *iam condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt.* Itaque Simonia, quam Trident. in hoc caſu punit, eſt in acceptione muneris pro approbatione examinati, quod munus ſit velut pretium huius approbationis, ad quam examinator ſe obligat.

Quarto cap. *Emendari.* 1. *quæſt.* 1. & Concil. Eliberitan. *cap.* 48. prohibetur Miſſio nummorum in Concham à baptiſatis, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur. Reſpond. cum Gloſſa, id intelligendum de nummis exactis, non autem ſponte oblatis; deinde ea prohibitio fit, quod præſumeretur exactio, & Simonia; quarè vbi conſtabit, liberalem omninò eſſe donationem, non comprehendetur iſta prohibitione.

Quinto *cap. ſtatutum de reſcriptis.* prohibetur delegato etiam ſponte oblatum præter eſculenta, aut poculenta accipere, & vllas exactiones facere. *Et cap.* 1. §. *penultim. de cenſibus.* prohibetur viſitatoribus quidquam præter procurationes ſuas accipere. Reſpond. in his locis reddi cauſam eiuſmodi prohibitionum, nimirum auaritiam, & turpem quæſtum, non autem Simoniam, de qua ſolùm diſputamus: quia tamen videtur ea auaritiæ turpitudo aliquam habere ſimilitudinem cum Simonia, quæ etiam ex cupiditate procedit, idcircò eos textus, & quid illis prohibeatur, iterum expendemus inferiùs.

CONSECTARIVM III.

An donatio Antidoralis, & remuneratoria temporalis pro ſpirituali ſit Simoniaca.

1 Ad perſpicuam huius conſectarij intelligentiam, & explicationem obſeruandum eſt, ex quolibet impenſo beneficio naſci in accipiente naturalem quandam obligationem gratitudinis, ita vt obligare aliquem ſuo beneficio ad gratitudinem, & illi conferre beneficium, idem omninò ſit; neque hæc obligatio pendet ex voluntate beneficium conferentis, quaſi liberè eam ipſe imponat, ſed immediatè ex ipſo beneficio progerminat, ita vt liberum quidem ſit benefactori conferre, aut non conferre beneficium, non tamen liberum eſt obligare, aut non obligare ad gratitudinem pro accepto beneficio; quæ obligatio dicitur paſſim antidoralis, quia eſt ad antidora, & munera, quibus ea obligatio extinguatur. Donatio autem per quam ſatisfit obligationi gratitudinis ex acceptis beneficiis dicitur quoque antidoralis, & remuneratoria; beneficium quidem, quod tanquam obiectum materiale remotum reſpicit gratitudo, indebitum eſt, ipſa tamen gratitudo benefactori debita eſt, & circa beneficium collatum omninò verſari debet, illud æſtimando, & memoriâ nunquam ſubducendo, atque, vt ait Senec. in conſpectu ponendo, gratanter, & benignè acceptando, gratias pro eo referendo, ac demum ipſum prudenter reddendo; qui actus ſunt proximum obiectum gratitudinis; formale enim eſt ordo ad benefactorem, quem, vt benefactor eſt, atque adeò quodam modo ea in re ſuperior, ſuis illis operationibus reſpicit. De hoc igitur nobiliſſimo gratitudinis actu, & repenſione, ſiue redditione beneficij accepti loquimur modò, & ad illum nos obligari naturali quadam lege contendimus cum Saluia. *lib.* 4. *ad Eccleſ. Et natura ipſa hominum,* inquit, *conſuetudòque communis, hac quaſi generali cunctos lege conſtringit, vt à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratia debeamus: arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio, ante vſum enim, & munificentiam liberalitatis alienæ, liber eſt quiſpiam beneficiorum fœnore non grauatus. Coguntur autem omnes ipſa conſcientia ſua ad repenſationem viciſſitudinis poſtquam eſſe cœperint debitores.* S. verò Ambroſ. *lib.* 1 *de offic. cap.* 31. *Quid tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis? nec menſura pari, ſed vberiore reddendum arbitror.* quod probat exemplo agrorum, qui acceptum ſementem multiplicatiori numero reddere ſolent. *Terra ergo,* inquit, *aut ſpontaneos fructus*

fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit; vtrumque debes quodam hereditario vſu parentis, ne relinquaris ſicut infæcundus ager. Quæ poſtrema verba obligationem iſtam naturalem eſſe ſignificant, quæ nihilominus longè diſtat ab obligatione Iuſtitiæ, & idcircò dicimus gratiam referre, non reddere, aut beneficium reponere, vel ſoluere, quod obſeruauit *Epiſt.* 81. Senec. *Sic certè ſolemus loqui: Ille illi gratiam retulit; referre, eſt vltrò quod debeas afferre. Non dicimus, gratiam reddidit; reddunt enim & qui depoſcuntur, & qui inuiti, & qui vbilibet, & qui per alium. Non dicimus, repoſuit beneficiũ, aut ſoluit; nullum enim nobis placuit, quod æri alieno conuenit verbũ. Referre, eſt ad eum, à quo acceperis, ferre; hæc vox ſignificat voluntariam relationem.* quia nimirum nemo inuitùs ad eam relationem cogitur, neque datur actio ciuilis ad hoc debitum repetendum, vti contingit in debito Iuſtitiæ.

Ex his apparet ſenſus quæſtionis, quæritur enim, an qui beneficium, & obſequium ſpirituale ſibi gratuitò præſtitum accepit, poſſit illud donatione commodi alicuius temporalis ex eadem gratitudine penſare, atque ita ſe obligatione antidorali, abſque Simonia liberare, quod idem de beneficio temporali per donum ſpirituale repenſo dicendum fuerit.

2 Ratio dubitandi gemina eſt. prima petitur ex eo quod Antidoralis, & remuneratoria donatio, non ſit omninò liberalis, cum fiat propter obſequia, merita, & beneficia præſtita, non alicuius liberalitatis intuitu, ideóque Paul. *lib.* 5. *ſententia. tit.* 11. *§. vltim.* donationem factam ei, qui alium à latronibus eripuit, mercedem eximij laboris appellandam ait, & Arnulphus Luxouienſ. *Epiſt.* 46 *ad Laurent. VVeſtmonaſter. Abbatem. quod benè merenti rependitur, illuſtrari donationis nomine non meretur*; idcircò irreuocabilis eſt ea donatio. *l. ſi pater.* 35. *ff. de donat.* etiam ingratitudine ſecuta, vt *ibidem* explicant Gloſſa, & DD. quos dabit Tiraq. *ad l. ſi vnquam. C. de reuocand. donat. ver. donatione largitus. num.* 13. Neque etiam ex ſuperuenientibus liberis reſcinditur, quod obſeruat Rebuff. *tom.* 2. *ordinat. Regia. tit. de inſinnat. donat. art.* 1. *Gloſſa.* 1. *num.* 22. *&* 23. non egebat etiam olim inſinuatione, vt annotarunt Cujac. *lib.* 7. *obſeruat. cap.* 40. Molin. *tract.* 2. *diſput.* 276. *num* 6. & DD. *in l. Aquilius Regulus.* 27. *ff. de donat.* atque ita ſeruatum fuiſſe in Gallia, referunt Tiraquell. *in l. ſi vnquam. ver. donatione largitus. num.* 109. *&* 143. donec edictum Molinenſe. *tit.* 59. eas donationes inſinuari iuſſit, non alia de cauſa, quam quia hæc donatio non habebatur tanquam liberalis, & gratuita, ac proinde neque propria donatio, vt apertè dicitur *l. Aquilius. ff. de donation.* ibíque Barthol. Abb. *in Rubric. de donatio.* Iaſon *in l. ſi quis. num.* 8. *ff. de action.* & *in l. ex hoc Iure. ff. de Iuſtitia, & Iure,* aliíque, ideóque actionem datam eſſe aduerſus ingratos apud Macedones teſtatur Senec. *lib.* 3. *de beneficiis. cap.* 6. & apud Athenienſ. Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 3. apud Perſas Xenophon. *lib. de pædia Cyri.* Stobæ. *ſerm.* 42. & Themiſt. *comm. de Amicitia.* Viſum tamen conſultius eſt Romanis, hanc actionem denegare, illi enim omnia fora non ſufficerent, vt ſapienter monet Couarru. *in cap. Cum in officiis. de teſtamentis. num.* 9. Vnde non colligitur eiuſmodi

eiuſmodi donationem eſſe gratuitam, cum ad illam naturali iure cogamur etiam ſub grauioris culpæ periculo; ſic etiam ad litium multitudinem præſcindendam, nulla ex pacto nudo, datur actio iure Ciuili. *l. Iuris gentium. §. ſed cum nulla. ff. de pactis.* quamuis Ius Canonicum ex æquitate, eiuſmodi actionem concedere maluerit. *cap. 1. de pactis.* Quis verò dicat nudum pactum non afferre obligationem; aut actionem, quæ ſatisfacit illi obligationi, eſſe liberalem, & gratuitam, quia in Iure Ciuili non datur actio? Denique vt videas hanc antidoralem donationem plurimùm à vera, & propriè dicta donatione diſtare; prohibita donatione, non cenſetur prohiberi remuneratoria ob præcedentia merità, quod aduertit Molin. *tract. 2. diſput. 292. num. 2.* vnde infert Bonac. *diſput. 3. de reſtitut. quæſt. 15. punct. 1. num. 5.* Decretum Clem. VIII. prohibentis ann. 1594. donationes Religioſis factas, aut ab illis acceptatas de conſenſu ſuperiorum, intelligendum eſſe de donatione ſimplici, non de antidorali, & remuneratoria. Cùm igitur temporale dabitur pro ſpirituali, aut ſpirituale pro temporali ex antidorali donatione committitur Simonia, quia cùm non detur temporale gratuitò, dabitur in compenſationem ſpiritualis.

Secunda difficultas petitur ex comparatione, atque adæquatione, quæ fit in eiuſmodi donatione, inter beneficia accepta, & id quod eorum vice rependitur, vti pluribus docet Tiraquell. *in l. ſi vnquam. ver. donatione largitus. num. 79.* & Ioan. Garc. *de donatione remuneratoria. num. 51.* idcirco cap. *relatum. 2. de teſtamentis.* agens de eiuſmodi donatione, quæ fit ex bonis mobilibus Clericorum defunctorum ex pia Eccleſiæ conſuetudine, conſanguineis, aliiſque, qui ægrotantibus inſeruierint illam faciendam eſſe monet *iuxta ſeruitij meritum.* & *in l. ſed etſi lege. §. conſuluit. ff. de petiti. hered.* hæc antidora vocantur quoddam genus permutationis, ideóque laborant DD. in expendenda æqualitate, quæ inter merita, & antidora ſtatui debet, quod latiùs diſputat Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 6.* Ratióque euidentiſſima eſt, nam ſi res donata excedat beneficium acceptum, iam non eſt donatio antidoralis, ſed omninò ſimplex quoad illum exceſſum; ſi autem non adæquatur, beneficium acceptum, reuerà non rependitur niſi ex parte; ergo huius antidoralis donationis natura poſtulat æqualitatem inter meritum, obſequium præſtitum, ſiue beneficium acceptum, & donum repenſum. Cùm igitur in iſta donatione beneficium ſpirituale remuneramus temporali aliquo, aut è contrario obſequium, beneficiúmve temporale gratia, & dono ſpirituali referimus per antidora, comparandum eſt temporale cum ſpirituali, eáque inuicem in æſtimatione, & valore æquanda, non ſine Simonia profectò, eius enim malitia conſiſtit in iniuria illata rebus ſacris, dum cum temporalibus componuntur quoad valorem, & æſtimationem, eáque de cauſa inuicem ad æqualitatem commutantur, vti diximus *quæſt. 1. & 2. in confect. 1. ex vniuerſali propoſitione, & in confirmatione 1. Regulæ quæſt. 4.* Hic autem reperitur ea æqualitas, & æſtimatio, atque etiam quædam commutatio, quando ſpirituale datur pro temporali beneficio, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed in remunerationem, atque antidorum tanquam

æqui

æquiualens; eſto non detur ex obligatione Iuſtitiæ, datur tamen ex vera obligatione. Quid igitur deerit ad veram Simoniam? atque ita omninò ſentit Innocent. *in cap. tuam. de ætate, & æqualit.* Antoni. *in idem caput.* Angelus *in l. ſed ſi lege. §. conſuluit. ff. de petition. hæreditat.*

Dicendum nihilominus eſt primo Antidoralem donationem ſpiritualis pro temporali non eſſe Simoniacam, quoties fit ex ſola animi gratitudine, & ad ſatisfaciendum honeſtati, & obligationi naturali, quæ ex ipſa beneficij collatione naſcitur. Ita Nauarr. *cap. 23. num.* 106. Couarru. *lib.1. varia. cap.20. num.4.* Caietan. *ver. Simonia.* Vgolin. *tab.1. de Simon. cap.8. §.4.* Sotus. *lib.9. quæſt.7. art.1. & 3.* Valent. *tom.3. diſput.6. quæſt. 16. punct. 3. quæſt.2. §. ad 2. rationem dubitandi.* Suar. *l. de Simon. cap.45. nu.4.* Filluc. *tract.45. cap.10. num.11.* Laym. *lib.4. tract.10. cap. vltim. nu.8.* Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt. 6. punct.1.* Ferdinand. *diſput. de Simon. punct. 4.* Ratio eſt, quia donatio antidoralis, gratuita nihilominus eſt, cùm non fiat ex Iuſtitiæ debito, ſed ex gratitudine, naturali quadam honeſtate, vti oſtendunt Leſſi. *lib. 2. cap.18. num.14.* & Sanch. *diſput.6. lib. 6. de Matrimo.* ideóque Seneca ſuperiùs laudatus dicebat, vulgare verbum, *referendi beneficium*, quo vtimur, ſignificare vltroneam, & voluntariam relationem, nóſque conconſultò abſtinere à voce *reponendi*, aut *ſoluendi* beneficium: & ſanè cùm liberalitas, ſit diſpoſitio quædam ad gratitudinē, nemo enim gratus erit in benefactores, ſi non ſit liberalis, nihilomninò repugnat eandem donationem ex affectu liberalitatis, & gratitudinis ſimul fieri. Idcircò Molin. *tract.2. diſput.292.* triplex genus donationis remuneratoriæ diſtinguit. Primum eſt illud, in quo obſequia ita ad æqualitatem compenſantur, vt niſi id fieret, non modò ingratitudo, ſed iniuſtitia quædam committeretur, quia videlicet ea non cenſentur omninò gratis exhibita, licet nullum de mercede pactum, aut tractatus præceſſerit, de qua donatione loquitur *l. Aquilius*, & aliæ ſimiles allatæ, & quæ de actione aliquando data aduersùs ingratos dici ſolent. Altera eſt donatio remuneratoria, per quam obſequium ad æqualitatem ita compenſatur, vt ſine vitiò omitti potuerit, eò quod in ea repenſione gratitudo, & liberalitas ſit potiùs, quàm debitum. Tertia remuneratio, eſt obſequiorum, & beneficiorum ſupra æqualitatem repenſio, moderata tamen, quia ad gratum animum ſpectat etiam ſupra æqualitatem, & cum aliquo exceſſu gratiam refeſtre, ne, ſi æqualitatem præcisè ſpectet, venditio quædam, & commercium potiùs, quàm relatio gratiæ videatur. Hæ itaque duæ poſtremæ donationes antidorales, gratuitæ ſunt, & liberales; quod ampliùs confirmatur ex ſuperiùs notatis, cùm enim obligatio antidoralis non ſit ciuilis, neque aſſumatur diſtincta voluntate ab acceptatione beneficij, ſicut non imponitur alia voluntate, quàm ea quæ tendit in beneficium dandum, non poteſt ea habere rationem pretij, neque etiam beneficium, ex quo conſequitur rationem mercedis, aliquin omne beneficium venderetur, cùm ex eo ſemper naſcatur eiuſmodi obligatio antidoralis, quæ pretium eius erit. Quod idem dicendum eſt de extinctione illius obligationis, neque enim remittitur per voluntatem ſpecialem primi benefactoris,

ſed eo ipſo, quod ipſi rependitur ex gratitudine aliud beneficium, ceſſat naturaliter ea obligatio; quare extinctio illius obligationis, eſt ipſa acceptatio muneris ex gratitudine profecti, ſicut illius obligationis impoſitio, eſt largitio beneficij: ex quibus apparet, eiuſmodi obligationem neque pretium eſſe, neque pretio æſtimabilem ſeorſim à beneficio, à quo naſcitur, & per quod extinguitur, neque impoſitionem, aut remiſſionem, ſiue, ſi ita loqui liceat, ſolutionem eiuſdem obligationis, differre à gratuita largitione, & acceptatione beneficij, neque aut beneficij pretium eſſe, aut ſeorſim ab illo æſtimari, ac tandem in iſta largitione, acceptionéque beneficij, & ad antidora obligatione fingi nullo modo poſſe venditionem, aut contractum onerosum, aut verum debitum cum liberalitate pugnans, verámque rationem mercedis, aut pretij afferens. Quod tamen ad Simoniam requirebamus in noſtra propoſiitone cum communiſſima, certiſſimáque ſententia, atque ita ſatisfit primæ difficultati contra noſtram aſſertionem initio adductæ.

Secunda verò, quæ petebatur ex commenſuratione, & adæquatione beneficiorum, quæ in antidorali obligatione reperitur, facilè explicatur; non enim gratitudo attendit præcisè æqualitatem beneficij accepti, & redditi ſicut rei ad rem, vti facit Iuſtitia, cùm gratitudo, quod ſuperiùs monuimus, plus referre, quàm acceperit, intendat; deinde quamuis non negemus aliquam etiam æqualitatem attendi, quod probat Tiraquell. *ad l. ſi vnquam. C. de reuocandis donationib. num. 79. & 80.* ea tamen æqualitas non eſt indiuiſibilis, & Mathematica, ſed moralis ex variis circumſtantiis deducta, nobiles enim, & diuites amplam gratiam referre ſolent, pauperes ferè ſolo grati animi ſenſu, & beneficij accepti prædicatione contenti ſunt.

Deinde alij alio rerum, & obſequiorum genere gratiam referunt, atque in conferendis beneficiis, antidoralis obligatio, ex hominum æſtimatione prudenti cenſetur eſſe ad illa beneficia, quæ quiſque in ſuo vitæ genere referre poteſt, aut ſolet; alia enim à ſacro, alia à profano viro ſperari, & conferri ſolent, vt etiam habet Tiraquell. *num.* 84 de nobilibus, & diuitibus, qui aliter æqualitatem in his donationibus attendunt, quàm cæteri. Non reſpicit itaque iſta donatio, & obligatio antidoralis medium rei, ſed rationis, & aliam longè æqualitatem, ac commenſurationem, quàm Iuſtitia ſibi præfigit; ac proinde ceſſat omnis illa iniuria, quam timebant aduerſarij rebus ſacris, ſi quando per antidoralem obligationem pro obſequio, aut beneficio temporali donarentur; non enim adæquatur res ſacra tunc cum temporali, ſed in eo maximè liberalis eſt, qui rem ſacram, atque adeò nobiliorem pro minùs nobili beneficio accepto, gratuitò confert; alioquin quoties nobilius beneficium redderetur, quàm acceptum fuerit, munus illud nobilius pateretur aliquam iniuriam, & contemptum, & nihil amplius nobilis, ac diues, quàm pauper, & ruſticus dare deberent, & dum religioſi pro acceptis Eleemoſynis, vt gratiam ſuis benefactoribus referant, orant aut ſacrificant, peccarent, atque etiam, ſi audire placeat aduerſarios, eſſent Simoniaci. Quod idem dicendum foret, quando ſpirituale obſequium dono temporali rependeretur, cùm

tamen

tamen neque in eo caſu donum temporale, quod refertur, conſideretur, vt commenſuratum ſpirituali beneficio accepto, ſed affectui, & facultati eius, qui beneficium accepit. Ita Paulus, & cæteri Apoſtoli ſeminabant ſpiritualia, vbi non niſi temporalia metere poterant.

4 Dicendum eſt ſecundo licitum eſſe, velle per obſequia temporalia obligare ad antidora ſpiritualia, immò & illa ſperare, poſtulare, atque etiam in repenſione beneficij ſpiritualis exprimere, ſe ſatisfacere obligationi antidorali priùs contractæ. Quod idem omninò erit, quando per obſequia ſpiritualia ad antidorum temporale quis alium obligare intenderit. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori, eámque DD. laudati concedunt; & primo quidem, quod attinet ad intentionem huius obligationis, eam licitam eſſe non negabit, qui ipſam donationem antidoralem licitam eſſe faſſus fuerit, cùm omnis prauitas, aut bonitas intentionis ab obiecti quod intenditur, prauitate, vel honeſtate petenda ſit: quarè ſi in ipſa donatione nulla Simonia fingi queat, neque in eius intentione, ac volitione cogitari poterit, prætерquam quod non intenditur hic vlla noua obligatio imponenda, ſed illa ipſa, quæ ex largitione beneficij, eiúſque acceptatione naſcitur connaturaliter in accipiente. Neque dicas, hanc obligationem non determinari ad vllum potiùs antidorum, quam ad aliud, ac proinde ſi quod determinetur, imponi nouam obligationem; nam inde tantùm efficitur, me non poſſe meis obſequiis, & beneficiis imponere alteri ſingularem obligationem, & ad certum aliquod beneficium, ſiue munus, quod & non aliud rependere teneatur, cùm tamen velim mihi illum non modò beneuolum eſſe, ſed etiam antidoraliter obligatum, & ex perſonæ, aliarúmque rerum, ac negotiorum circumſtantiis non niſi certum aliquod antidori genus ſperare ab ipſo liceat, fas quoque mihi erit, hoc beneficium potiùs, quàm aliud ab eo, quem ita obligaui, aut ſperare, aut velle, atque ita meam intentionem limitare, quæ tamen non limitat poteſtatem, aut voluntatem illius, cui beneficium confero, quin alio beneficio, quàm eo quod aut intendi, aut ſperaui, poſſit illud quod à me accepit, rependere ſi lubeat, aut facultatem ad id habeat: ſed ſupponit tantùm illum non habere aliud quod rependat, ſi antidoralem obligationem, quam ſuſcipit, capiendo beneficium, extinguere voluerit.

Secundo hæc ratio id ipſum oſtendit de ſpe beneficij ſpiritualis pro temporali accipiendi, cùm ex ea ſpe nulla imponatur noua, vti dixi obligatio, liceátque id ſperare, quod velle, & intendere fas eſt. Neque enim aut intentio, aut ſpes obligationis, quæ ex natura ſua ſequitur aliquam actionem, mutat naturam illius obligationis, quæ nouam imponit, vti iam monui.

Tertio hanc obligationem antidoralem poſtulari poſſe ab eo, cui confertur obſequium, aut beneficium, apertè docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 3. in non abſimili materia de vſura, quam certum eſt committi, quoties mutuatario imponitur noua obligatio diſtincta à redditione mutui, & aliquid pecuniâ æſtimabile ſupra ſortem exigitur, ſiue illud ſit munus ab obſequio, ſiue munus à lingua, quod ex pacto tacito, vel expreſſo velut ex Iuſtitia debeatur.

beatur. Si verò, inquit, munus ab obſequio, vel à lingua non quaſi ex obligatione rei exhibetur, ſed ex beneuolentia, quæ ſub æſtimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere,& exigere,& expetere. Hoc porrò debitum beneuolentiæ, & amicitiæ, cuius meminit S. D. & quod *in ſolutione ad* 2. opponit debito Iuſtitiæ, & ait attendere potiùs affectum, quo beneficium collatum fuit, quàm ipſius beneficij quantitatem, quod facit Iuſtitia, eſſe debitum gratitudinis, de quo hactenùs diſputamus, ſatis conſtat ex hactenùs dictis. Notandum igitur eſt, quod dixit S. Thom. quod ex obligatione amicitiæ debetur, exigi poſſe abſque vſura, ſiue illud ſit munus ab obſequio, ſiue à lingua; eáque eſt quotidiana praxis, petimus enim à paupere,& Religioſo, quibus Eleemoſynā, aliúdve beneficium temporale conferimus, vt pro nobis orent, illíque vt gratum animum teſtentur, idem promittunt; neque in illa petitione aut promiſſione timetur vlla Simonia à ſapientibus, quia poſtulatur duntaxat, vt naturalem obligationem gratitudinis impleant, idque vnum promittitur. Denique valet ratio pro priori parte concluſionis allata, nimirum fas eſſe, petere ab alio, ad quod ipſe tenetur ex naturali obligatione, neque propterea ipſi noua obligatio iniicitur, neque pretium exigitur; quarè niſi aliquid aliud accedat, nulla fingi poterit aut Simonia, aut eius ſuſpicio, aut aliqua alia malitia.

Quarto denique dum quis ſuo bebenefactori rependit ex gratitudine beneficium ſpirituale pro temporali accepto, aut è contrario temporale pro ſpirituali, non modò poterit velle implere eo modo antidoralem obligationem, ad quam naturaliter ex honeſtate gratitudinis, ſiue vt loquitur S. Thom. ex amicitia, & beneuolentia tenebatur; ſed etiam exprimere poteſt, ſe hoc ſuo beneficio illi obligationi ſatisfacere, ac demum poſtulare, vt alter eam obligationem ſibi remittat, hoc eſt, ſciat ſe iam aliunde obligationem ex accepto priùs ab ipſo beneficio contractam, nouo iſto munere exhaurire. Ita Suar. *num.* 13. quia iam diximus quæſt. ſuperiori, diffic. 2. exprimere ea, quæ tacitè inſunt, de Iure, in collatione rei ſpiritualis nunquam facere Simoniam, quia nempe ex eiuſmodi expreſſione, nulla ſequitur noua obligatio. At verò in noſtro caſu non exprimitur aliud, quàm quod de Iure ineſt: diximus enim in notatis, ſicut ex ipſa receptione beneficij ſequitur connaturaliter obligatio antidoralis, ita eam per repenſionem alterius beneficij ſufficientis extingui: ſi igitur, quando quis poſtulat ab alio, cui benefecit, vt ſe obligatum ad antidora agnoſcat, nullam apponit nouam obligationem, ita nihil petet pretio æſtimabile, quando poſtulabit remiſſionem eius obligationis, quæ reipſa per acceptationem relati beneficij prorsùs, & connaturaliter extincta eſt: nam reuerà nihil aliud ab ipſo petitur, quàm vt fateatur effectum, quem reuerà poſuit acceptatio noui illius beneficij, & quem effectum ipſe impedire nequit.

Ex quibus vides, potiori multò iure licitum eſſe poſt traditum aliquid temporale, petere executionem, ſeu adimpletionem obligationis antidoralis, quam ex variis circumſtantiis certò ſcit, non poſſe fieri niſi in beneficiis Eccleſiaſticis, aut aliis rebus ſpiritualibus; quia nulla ibi

exiſtit commutatio temporalis pro ſpirituali, cùm iam abſolutè, & ſine pacto, atque omninò gratis temporale traditum fuerit, & liceat poſtulare id, ad quod alius tenetur, & ſicut poteſt peti donum ex liberalitate conferendum, ita & obligationis antidoralis executio. Denique ſi ante collatum beneficium ea obligatio exigi poſſit vti oſtendimus, multò magis id fas fuerit poſt iam collatum beneficium, & iam ſuſceptam eam obligationem; in hoc enim poſteriori caſu multò minus periculum eſſe Simoniæ conſentiunt DD. ideóque prudenter monent, ne facilè ante collationem doni, aut beneficij hæc obligatio exigatur.

5 Grauiſſima porrò difficultas eſt, vtrum liceat abſque Simonia paciſci de implenda iſta naturali ad antidora obligatione; maximè ſi de aliquo certo antidoro conueniatur, nam Couarru. Valent. Caietan. & alij quidam viri eruditi pactum eiuſmodi admittunt, quia in eo nulla apparet venditio ſpiritualis pro temporali, & licet paciſci de implenda ea obligatione, ad quam quis naturaliter tenetur, cum ea talis obligationis impletio, neque pretium ſit neque tanquam pretium exigatur, aut exigi poſſit; ſine pretio autem non exiſtat venditio. Quod autem illa obligationis impletio ad aliquod antidorum determinetur ex voluntate eius qui ad aliud ſe determinare poterat, non facit, vt eiuſmodi antidorum pretium ſit, alioquin quoties aliquod antidorum quis exhiberet, diceretur ſoluere pretium ſibi collati beneficij, atque ita omnis donatio antidoralis, eſſet ſolutio quædam, quod nemo affirmârit, & illicita proinde foret omnis donatio antidoralis, atque Simoniaca, quoties in ea daretur antidorum temporale pro aliquo ſpirituali accepto; cuius contrarium *con.* 1. *&* 2. hactenus euicimus.

Hanc tamen ſententiam cæteri paſſim reiiciunt, immò & aliqui grauiori nota configunt, & tanquam temerariam damnant, & reipſa Simoniacam, aut Simoniæ periculo proximam, quámque ſi ſequamur, miram rerum omnium confuſionem inducemus: omnes enim dicent ſe paciſci de aliquo temporali pro ſpirituali, tanquam de antidoro, & non de pretio, eáque ſimulatione tegent omnes conuentiones Simoniacas, magno animarum damno, vagabitúrque impunè Simonia, & omnia ſacra contaminabit. Huic & ego ſententiæ prorſus adhærendum eſſe in praxi cenſeo, neque priorem illam vnquam conſuluerim; vtrum tamen ſpeculatiuè loquendo, ſuam, & ipſa probabilitatem habeat; non ex ſola virorum eruditorum, qui ipſam docent, autoritate, ſed ex natura rei, ac proinde pactum eiuſmodi bona fide, & candido animo iam factum, excuſari aliqua ratione valeat, diſquirendum modò eſt, & an iure merito, temeritatis, vel erroris damnetur à viris eruditis, neque vllo caſu etiam poſt factum illi vnquam inſiſtendum ſit. Atque vt paucis controuerſiam iſtam abſoluam:

Mihi tam ingens, tantáque hactenus contentione agitatum diſſidium componi facilè poſſe videtur ex natura obligationis antidoralis hactenùs explicata, atque eius ab obligatione ex iuſtitia accurata diſtinctione. Prior enim illa, vti fuſiùs obſeruauimus ex natura accepti beneficij neceſſariò naſcitur; poſterior iſta imponitur ab ipſomet conferente beneficium, & ab acceptante illud ſuſcipitur ex nouo pacto, &

conuentione, diſtincta ab ipſa collatione, & acceptatione beneficij, à qua proinde ita differt, vt ab illa non fluat neceſſariò, aut naturaliter, ideóque paſſim noua obligatio nominatur, quia, vt dixi, nouam conuentionem præter collationem, & acceptationem beneficij, poſtulat. Vnde neceſſariò ſequitur, vt nouum titulum, & cauſam diſtinctam à beneficio collato, tanquam ſui fundamentum exigat, alioquin tota ea noua obligatio, iniuſta erit, cùm neque connaturaliter ex ipſo beneficio naſcatur, neque aliam nouam iuſtam cauſam, in qua fundetur, habeat, & tamen oneroſa ſit illi, cui imponitur, cui proinde facit iniuriam. Nunc enim obligatur ad id, ad quod acceptando beneficium nouum, neque ex natura ipſius beneficij, neque ex natura acceptationis, obligabatur. Cuius nouæ obligationis aliqua radix, & cauſa iuſta afferri debet; eáque diſtincta ab ipſa collatione, & acceptatione beneficij, alioquin tota ea noua obligatio iniuſta & illicita eſt, vti euicimus. Vides igitur duplicem obligationem hoc loco valdè diuerſam. Prima eſt gratitudinis ad antidora, quæ ſemper, & neceſſariò ineſt in eo, qui beneficium alterius accipit, eo ipſo quod illud accipit, neque vllo nouo pacto, aut conuentione indiget, vt naſcatur. Fuerit deinde huius beneficiati eligere modum, quo impleat eam obligationem, vel determinare ſe ad antidorum, quo beneficij accepti gratitudinem teſtetur, & beneficium, aut gratiam referat.

Altera obligatio non naſcitur neceſſariò ab accepto beneficio, ſed aliunde, imponitúrque à conferente beneficium, nouo aliquo titulo diſtincto ab ipſomet beneficio collato. Indiget itaque pacto, & conuentione, quæ non includitur præcisè in collatione, & acceptatione beneficij, vt prior illa antidoralis. Ex quibus omnibus colliges circa duplicem iſtam obligationem duplex quoque fieri pactum poſſe, ſed æquè diuerſum, atque diuerſa eſt obligatio circa quam fit; pactum enim circa obligationem antidoralem, eam iam poſitam ſupponit, & illam non producit, eſtque ſolùm de implenda obligatione per acceptationem beneficij iam parta. Quarè vi huius pacti non obligatur beneficiatus ad aliquid, ad quod priùs naturaliter non obligaretur, ſiue pactum illud fiat in vniuerſum de implenda obligatione antidorali, ſiue in particulari de exhibendo certo aliquo antidoro ad huius obligationis impletionem: Nam hoc poſteriori modo, de quo ſolo poſſet excitari difficultas, non obligatur de nouo beneficiatus, ſed promittit duntaxat ſe impleturum obligationẽ, ad quam antea tenebatur, & exprimit modum, quo illam implere decreuit, & antidorum, quod ad eam impletionem ſponte, & liberè eligit, quódque ſe exhibiturum promittit: quæ promiſſio non ita illum obligat, vt ſi mutet illud antidorum, & aliud deinde eligat, iniquus, aut infidelis haberi poſſit, modò reipſa obligationem naturalem antidoralem impleat. Quarè pactum illud nullum ius dat benefactori, & promiſſario exigendi certum illud antidorum, ſi promiſſor nolit dare, & aliud exhibeat, quia illa ſua promiſſione explicauerat tantùm ſuam voluntatem dandi certum antidorum, neque exuerat ſe poteſtate aliud, ſi vellet, exhibendi; Et quamuis ad illud, & non ad aliud præſtandum ſe obligaſſet, illa obligatio fuiſſet an-

tidorum

tidorum ipſum, quod ſemel præſtitum, deinde repeti nequit; Neque enim obligatio in communi hominum æſtimatione quæritur, aut æſtimatur, niſi propter rem ad quam tendit. Itaque promiſſio dandi aliquod certum, & determinatum antidorum, cùm non ſit loco pretij, neque erit ipſum antidorum, ad quod, & non ad aliud ſe iſte beneficiatus obligauit, cùm poſſet ad aliud ſe obligare, & exhibere, ſi libuiſſet; ſanè qui ſponte ſua, neque vlla alia de cauſa quàm amicitiæ, & beneuolentiæ quidpiam liberaliter promiſit, vbi ea promiſſio eſt acceptata, tenetur illam implere, non tamen aut vendere, aut non liberaliter donare dicitur. At verò altera illa obligatio, quæ ex pacto, & conuentione noua oritur, eſt actio Iuſtitiæ, & parit actionem ciuilem, & quamuis contractus non fiat niſi à volentibus contrahere, cùm tamen mutuam pariat obligationem, eámque ex Iuſtitia, non dicitur obligatio liberalis, quia vtrique contrahenti imponitur aliquod onus, quod excutere nequit, & ad quod ferendum compelli iure poterit. Ex hac duplicis obligationis diſtinctione explicabis propoſitam difficultatem. Quare

Dicendum eſt tertio licitum eſſe, conferre beneficium ſpirituale pro temporali ex pacto antidoralis obligationis, modò exprimatur, nullam aliam obligationem adiici, quàm quæ ex gratitudine exiſtit, & non ciuilem vllam, aut ex Iuſtitia: In foro tamen externo Simonia præſumetur, neque cenſerem hanc ſententiam vlli conſulendam ante factum, ſiue ante collationem rei ſpiritualis. Ita Couarr. & Valent. *locis citatis*. Caietan. *ver. Simonia* §. *circa ſecundum caput*. explicans enim contractum venditionis in Simonia requiſitum, qui exigit conuentionem implicitam, aut explicitam de pretio, vel traditionem; addit deinde, quomodo intelligenda ſit *formalis locutio de pretio*, cum dicimus, inquit, traditionem pretij includere pactionem; poteſt ſiquidem multis modis tradi aliquid temporale, ſcilicet, vel per modum liberalis doni, vel per modum ſuſtentationis, vel per modum reuerentiæ, vel per modum oblationis, vel per modum debiti ex lege, aut laudabili conſuetudine, vel per modum pretij; ſolam autem pactionem pretij, vt pretium eſt, dicit Simoniacam; illum autem, qui ante collationem ſpiritualium exigit, quod ex conſuetudine dari ſolet, alioquin negat, aut differt ſpiritualia, eximit omni Simonia reali, quia non vendit ſpirituale: Nec, inquit, eiuſmodi exactio inducit modum pretij, quoniam non mutat modum debiti; exactio igitur antidoralis obligationis non mutabit eius naturam, neque faciet Simoniam ex Caietan. & 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 3. negat duntaxat ex mente S. Thom. naturalem obligationem ad antidora, deduci poſſe in ciuilem obligationem. & *quæſt.* 100. *art.* 3. inde probat pactum de ſtipendio miniſtrorum Eccleſiæ licitum eſſe, quia velle ſtipendium ſuſtentationis non eſt velle ſpirituale pro temporali; ergo licebit idem velle ex pacto, quia pactum non mutat materiam actuum Nauarr. *cap.* 23. *num.* 106. *ver. ad quartum*; ibi enim oſtendit contra Innocent. eum, qui contulit beneficium, vt ſe liberaret obligatione ad antidora, non committere Simoniam etiam mentalem, niſi conferat pro pretio; realem autem nullo

modo committi, niſi in pactum deducatur illa remiſſio obligationis; tum ſic addit. Sed ſi res ſatis perpendatur, nec tunc (id eſt, quando deducitur in pactum) eſt Simonia, quia nullum debitum legale, ſed tantùm antidorale remittitur, quod non habet vim pretij, vt S. Thom. clariùs aperit. Si igitur ex Nauarr. pactum de antidorali debito remittendo non eſt Simoniacum, cur pactum de eodem debito contrahendo Simoniacum fuerit? Idem præterea ſentiunt, quotquot exiſtimant, non eſſe vſuram quoties mutuans paciſcitur cum mutuatario, vt aut remutuet, aut in ſuo molendino molat, aut ſuum agrum iuſto pretio colat, modò tamen ad id non obligetur mutuatarius obligatione ciuili, ſed ſolùm gratitudinis. Ita Angelus *ver. vſura*. 1. *num*. 4. contendit enim non eſſe vſuram, vbi naturalis obligatio ita deducitur in pactum, vt non magis teneatur, quàm ex ipſa naturali obligatione, ſiue non exurgat obligatio ciuilis: citátque Hoſtienſ. *in ſumma*. & Gregori. Arimin. idipſum ſentit Cardin. *in cap. conſuluit. de vſuris*. Anan. *ibid. in gloſſam. ver. ſperantes*, Laurent. de Rodolp. *in 2. parte ſui operis de vſuris, oppoſit*. 2. Cardin. *in Clem*. 1. *de vſuris. quæſt*. 20. Bald. *in Rub. C. de vſuris*. Iaſon *in l. ex hoc Iure. num*. 65. *ff. de Iuſtitia, & Iure*; aliique Iuriſtæ, quos affert Molin. *de contrac. & vſur. diſp*. 307. atque ex Theologis Gabr. *in* 4. *diſt*. 15. *quæſt*. 11. & Ioann. Maior. *ibid. quæſt*. 29. Adrian. *in* 4. *tract. de reſtit*. §. *dico igitur ad quæſitum*. Leſſi. *lib*. 2. *cap*. 20. *num*. 5. 6. Vgolin. *de vſuris. cap*. 8. §. 2. *num*. 3. Neque qui in contraria ſententia ſunt aliud contendunt, quàm non poſſe fieri pactum, ex quo ſequatur obligatio ciuilis, vti contendebat Adrian. *cit*. §. *ſed contra*. modò ea obligatio ciuilis ad aliud non obliget, quàm ad id, ad quod fuerat iam naturaliter obligatus. Idémque voluerat Antoni. 2. *par. tit*. 1. *cap*. 7. §. 10. Hanc igitur obligationem ciuilem nouam & ſupra naturalem imponi poſſe mutuatario ſine vſura, negant cæteri contra Adrian. quos dabit Binsfeld. *in cap. conſuluit. de vſuris. quæſt*. 2. quare hac diſtinctione diſſidentes ſententiæ componuntur, vti videbis in Gloſſa. *in cap. ſi fœneraueris*. 14. *quæſt*. 3. quare Layman. *lib*. 3. *tract*. 4. *cap*. 16. *num*. 3. & 4. hæc pacta de certo aliquo alio beneficio, quod exigitur præſtando à mutuatario ex obligatione naturali, & antidorali probat, ſi nullam obligationem nouam Iuſtitiæ imponam mutuatario, ſed ſit tantùm conditio ſine qua non, & cum qua mutuari vult mutuans, quod idem exiſtimat Petr. Nauarr. *lib*. 3. *de reſtitut. cap*. 2. *num*. 234. Molin. *tract*. 2. *diſp*. 305. *num*. 8. & *diſput*. 308. *num*. 7. qui idcircò pactum, vt quis ſtatim remutuet, probat, illud autem quod obligat ad remutuandum in futurum, reiicit; quia in priori putat reperiri ſolam conditionem; in poſteriori autem eſſe obligationem, eámque ciuilem, atque ex Iuſtitia; atque ita pacta quæ imponunt mutuatario obligationem ciuilem, tanquam iniqua, & vſuraria damnari à DD. contra Adrian. eò quod illa obligatio ſit aliquid pretio æſtimabile, quæ tamen obligatio cum cadat in id ipſum quod iam facere teneris, non tanti ſit ab Adrian. vt eius causâ conſtituenda ſit vſura, multáque adducit Leſſi. *cap*. 20. *cit. num*. 58. ad aſtruendam Adriani ſententiæ probabilitatem. Verùm eâ reiectâ, ſatis nobis in præſen

præſentiarum eſt, ex communiſſima ſententia, eáque veriſſima, illa pacta, quibus nulla noua ciuilis, & ex Iuſtitia obligatio producitur, ſed illa ipſa naturalis, que priùs inerat, tantùm explicatur, neque aut geminatur, aut creſcit, vſuraria non eſſe, etiamſi mutuò adiungantur: Inde enim ex eadem communiſſima ſententia infero, neque pactum illud Simoniacum eſſe, in quo quis conferret beneficium ſpirituale alteri cum pacto obligationis naturalis ad antidora, ita vt non maneat magis obligatus, quàm abſque illo pacto alias tenebatur, ita vt vel ex ipſis pactionis verbis, vel ex ipſo facto, vel ex paciſcentium mente colligatur, nihil per hanc conuentionem adiici antidorali obligationi, vt loquitur Couarr. Gloſſam, Cardin Abb. Anani. S. Thom. Gabriel. Maior. Felin. Bald. & denique Molin. *de vſur. num.* 27. vbi communem dicit eſſe eam ſententiam, allegans. Quarè ſapienter aduertit Felin. *in cap. ad audientiam.* 2. *num.* 10. *de reſcriptis.* generalem doctrinam, & regulàm exprimeſe, Quod ineſt, non inducit Simonam in ſpiritualibus, quam *num.* 8. probârat, fallere, quando aliquid deducitur in pactum alio modo, quàm ineſſet; putà ſi ex pactò quis deduceret in obligationem ciuilem id, ad quod eſt obligatus naturaliter tantùm. Itáque interpretatur Gloſſam, & DD. qui Simoniam agnoſcunt, quoties obligationem ad antidora deducimus in pactum, quod ipſe Felin. vocat obligatorium, quia nempe nouam, aliámque obligationem, quàm quæ priùs inerat, affert; ſecus verò, inquit, vbi ſola obligatio naturalis deducitur in pacto, eo modo, quo debitor eſt obligatus, quia non videtur illicitum. Et ſanè recentiores, qui hoc pactum ad antidora reiiciunt, addunt eam limitationem de noua obligatione onteroſa, in qua violetur aut Iuſtitia, aut fides, & non ſola gratitudo. Ita Laym. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num.* 9. & 10. Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 7. meminit ſpecialis, & ciuilis obligationis. Ferdinand. à Caſtro. *diſp.* 3. *tractat.* 17. *punct.* 4. *num.* 5. antidoralem obligationem modò ſola ſit, verbis, & ſcripto exprimi poſſe, non negat. Denique Suar. *lib. de Simon. cap.* 45. *num.* 9. & qui ipſum ſequuti ſunt, idcircò affirmant hoc pactum antidoralis obligationis Simoniacum eſſe, quia exiſtimant nouam obligationem neceſſariò contrahi; eam vocat Suar. poſitiuam ex voluntate contrahentium, vt diſtinguat à naturali, quæ oritur etiam nobis inuitis; illâ igitur nouâ obligatione remotâ, illud pactum profectò concederent aduerſarij. Quarè tota difficultas eſt, vt oſtendamus in hoc pacto non imponi aliam obligationem, quàm antidoralem, quæ naturaliter inerat abſque pacto: Inde enim confirmabitur noſtra aſſertio, quia licet paciſci de eo, ad quod naturaliter obligatus es, quódque à te exigere licet, modò non adiiciatur tibi noua, aut maior obligatio, aut alterius rationis: atqui in noſtro caſu, & pacto id fit, nam diſertè exprimunt paciſcentes ſe nolle aliam obligationem, quàm naturalē gratitudinis ad antidora, eodem prorsùs modo, quo abſque eo pacto aderat; quod in mutuo ſic explicat Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. Volo tibi mutuò dare pecunias, ſed oportet te gratum eſſe ob beneficium, & Scholas meas frequentare, vel ad molendinum meum frumenta afferre, merces ex mea ta-

berna pretio iuſto emere, aut vacans officium mihi conferre; non quidem vt ex Iuſtitia ad talia mihi præſtanda ratione mutui accepti, vel accipiendi obligatus ſis, ſed in tuo arbitrio ſit talia præſtare; tamen ſi non præſtes, mutuum non accipies, vel acceptum illicò repetetur. Quod pactum nullam obligationem ciuilem aut Iuſtitiæ, vel fidelitatis de nouo adiicit, ſed eſt tantùm quædam conditio, ſine qua, & cum qua mutuandi; quidni igitur & hoc pactum; conferam tibi beneficium, ſed volo mihi ex gratitudine tale quid præſtes, ità vt in tuo illud ſit arbitrio, neque ad illud obligeris vlla ratione de nouo, ſed ex ſola gratitudine, vti eras anteà obligatus; cur, inquam, hoc pactum erit Simoniacum? quænam hic noua obligatio potiùs, quàm in illo priori pacto, quod vſurà vacare omnes laudati DD. conſentiunt? an non in vtróque, *ἀντίδωρον*, quod petitur pro mutuo, & pro beneficio Eccleſiaſtico, eſt ſola conditio, ſine qua non, & cum qua datur mutuum, aut beneficium? quia tum mutuatarius, tum beneficij Eccleſiaſtici collatarius admonentur duntaxat de beneficio viciſſim præſtando, nullâque obligatio Iuſtitiæ ipſi iniicitur; quare vi huius pacti non magis debet repenſionem beneficij, quàm priùs deberet.

7 Obiicies primo obligationem antidoralem non obligare ad certum aliquod beneficij genus, quarè ſi poſtuletur promiſſio, aut certum aliquod beneficium, iam imponitur ex eo pacto obligatio noua, quia obligat ſe quis ad aliquod determinatum, ad quod anteà non determinabatur; quod obſeruat Medina. *C. de rebus per vſuram acquiſitis. quaſt.* 1.

Reſpond. non ita determinari obligationem antidoralem, ad beneficium, quod in certo rerum genere poſtulatur, vt non poſſit abſque iniuſtitia, immò & abſque ingratitudine in alio genere rerum ſatisfacere huic obligationi, quia tamen vix aliud antidoron ſperare licet ab illo, cui impenditur beneficium mutui, aut donationis rei ſpiritualis, quàm certum illud aliquod, ideò illud ab ipſo poſtulatur, & in obligatione antidorali huiùs meminimus, quia non poteſt attentis omnibus circumſtantiis aliter ſua iſta obligatione ſe liberare; atque ratione circumſtantiarum naturaliter obligatur ad hoc antidorum; Non igitur noua adiicitur obligatio, neque ad aliquid, ad quod quis non eſſet obligatus, quia vel ad illud ipſum erat obligatus propter rerum præſentium ſtatum, vel per illam certi beneficij expreſſionem non ita intenditur determinari obligatio antidoralis, vt non poſſit in alio genere rerum, ſi lubeat, & commodum, extingui naturalis obligatio gratitudinis.

Obiicies ſecundo omne pactum inducere nouam obligationem aut Iuſtitiæ, aut fidelitatis, quæ obligatio à viris generoſis magni omninò fit; eſt igitur tum vſura, tum Simonia in omni pacto, quod mutuo, aut collationi rei ſpiritualis accedet. 8

Reſpond. id verum eſſe de pacto rigoroſo, quale non eſt hoc loco, quoniam expreſsè ſecluditur omnis alia obligatio, quàm antidoralis, quæ priùs inerat; & quamuis ſit conditio ſine qua non daretur beneficium, aut mutuum; illa tamen conditio eis iure ineſt, niſi enim ſcirem, te ſatisfacturum obligationi naturali, quam

quam contrahis accipiendo beneficium quod impendo, illud non impenderem; volo igitur à te ſcire, an huic obligationi ſatisfacturus ſis, quod tu facturum te recipis, & promittis, ita tamen vt declares, te tua iſta noua promiſſione, non teneri noua vlla obligatione, quod & ego, cui promittis, volo, non enim cùm exigo vt ſatisfacias tuæ obligationi naturali, quam neceſſariò contrahis, volo te mihi eſſe magis, aliáve ratione obligatum, quàm eſſes abſque eiuſmodi promiſſione.

9 Obiicies tertio hoc pactum dandi aliquid ratione mutui, aut pro collatione rei ſpiritualis, eſſe verum, cùm ſit vera permutatio vnius rei pro alia; erit igitur vera vſura, & Simonia. Antecedens oſtenditur, quia tunc eſt pactum rigidum, quando nolumus dare aliquid, niſi alius viciſſim ſeſe obliget ad aliud dandum. v. gr. nolo tibi dare librum, quem petis, niſi tu mihi dones enſem; quis, amabo, neget illam donationem reciprocam eſſe veram permutationem, & fieri ex pacto oneroſo, atque propriè dicto, ratione cuius alter obligatur ad dandum mihi enſem, ad quem non obligabatur priùs? quodſi dicas, te donare liberaliter librum, modò ego tibi viciſſim donem liberaliter gladium. Hæc propoſitio, inquit, Suar. non faciam liberaliter, niſi tu facias liberaliter, ſeipſam falſificat; eo enim ipſo, quod ſic facis, & exigis, nec liberaliter facis, neque liberaliter exigis; quod idem omninò contingit quando quid donatur ex pacto donationis alicuius, ad quam nulla erat obligatio v. gr. donabo tibi librum, ſi promittas te daturum enſem, alioquin non donabo; neque enim tunc ego do liberaliter, neque tu promittis liberaliter, ſed donatio illa, & promiſſio ſunt oneroſæ, & reciprocæ, non verò gratuitæ, quare ſi pro donatione rei ſpiritualis, v. gr. beneficij collatione petitur promiſſio alicuius doni temporalis, eáque tantùm conditione fiat donatio, committitur Simonia contra Ius diuinum; ſi verò promittatur aliquid aliud ſpirituale, erit Simonia contra Ius Eccleſiaſticum, quod prohibet omnem veram, & propriè dictam pactionem circa ſpiritualia.

Reſpond. nihilominus, non eſſe pactum rigidum, ſed ſolùm promiſſionem implendi naturalem obligationem; nolumus enim dare liberaliter, niſi alius velit ſatisfacere obligationi, quàm naturaliter contrahit ex liberali noſtra donatione, volumúſque ſe illi obligationi ſatisfacturum promittat, ita tamen vt vi illius promiſſionis non contrahat nouam, & poſitiuam obligationem, vt loquitur Suar. ex ſola promittentis voluntate ortam. Itaque hæc promiſſio non eſt propria promiſſio, ſed declaratio obligationis iam contractæ, atque ſignificatio voluntatis, quam quis habet illam adimplendi: quod autem determinetur ad aliquod genus rerum ad quod non determinatur obligatio naturalis, id non affert vllam obligationem, vti iam ſæpiùs dixi; ſed ſolùm qui eſt obligatus, ſignificat ſe implere velle ſuam obligationem in eo genere rerum per tale antidorum, quanquam, ſi lubeat, poſſit mutare voluntatem, & ſuæ obligationi quopiam alio dono, abſque vlla iniuſtitia, infidelitate, aut quapiam alia culpa prætterquam ingratitudinis, quia diſertè expreſſit, ſe non alia obligatione ex ea promiſſione teneri, neque aliam vllam

vllam exegit, qui promiſſionem poſtulauit, vti explicuimus *in notatis*. Quarè fruſtrà obiicitur, ipſum teneri ex fidelitate, & ſuis verbis, quæ ſeruare ſolent accuratiſſimè generoſi, quia diſertis verbis expreſſit ſe non obligari aliter, neque ad aliud, quàm ad id, ad quod abſque illa promiſſione obligabatur, atque eodem prorsùs modo: ſi igitur non impleat hanc promiſſionem, non dando illud ipſum, quod daturum ſe dixerat, neque iniuſtus, neque infidelis eſt, neque ingratus, ſi aliquid aliud donet in antidorum; quod ſi nihil donet omninò, erit ingratus, ſicut fuiſſet, etiamſi nihil ſe daturum promiſiſſet; neque hæc propoſitio, Do liberaliter, ſi tu aliud dones liberaliter, falſificat ſe ipſam, quia vtrimque poteſt eſſe animus liberalis, ſi vtrimque nulla exigatur, neque ſuſcipiatur alia obligatio, quàm naturalis gratitudinis, & maximè ſi idipſum exprimatur; idque etiam verum erit, in exemplo allato, Do tibi liberaliter Codicem, ſi tu eadem liberalitate daturus ſis gladium; neque daturus ſum Codicem, ſi tu non es daturus gladium; quem tamen nolo mihi ex Iuſtitia, aut alio vllo titulo, quàm gratitudinis. Itaque hæc pactio cùm non ſit vera, & rigida pactio, neque Iure diuino, neque Eccleſiaſtico prohibetur.

10 Fateor nihilominus, vti iam initio monui, maximum eſſe periculum tum vſuræ, tum Simoniæ in his pactionibus, quæ vix vnquam ſunt abſque noua obligatione ciuili Iuſtitiæ, vel fidelitatis, & reciprocas permutationes, atque oneroſas donationes potiùs, quàm gratuitas includunt. Quarè nunquam hæc ſententia conſulenda erit, quæ potiùs probabilis eſt in ſpeculatione, quàm in praxi; & in foro externo ſemper iure merito damnabitur tanquam Simoniaca omnis eiuſmodi pactio, vti monui in aſſertione. Vſui igitur tantùm erit hæc opinio, vbi poſt factam pactionem pura quædam, & doli expers intentio, qualem deſcripſimus, appareret, quod rariſſimè profectò continget.

CONSECTARIVM IV.

An Simonia ſit, dare temporale pro ſpirituali ad redimendam vexationem iniuſtam.

Reſpond. & dico primo nunquam licitum eſſe, emere rem ſpiritualem ad impediendam iniuſtam vexationem. Hanc aſſertionem ſine dubio intendit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 1. atque alij, qui negant iniuſtæ vexationis in ſpiritualibus redemptionem per aliquid temporale eſſe licitam: pugnat verò cum Soto, qui *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 6. *art.* 1. *ad* 1. *&* 5. exiſtimauit, emptionem rei ſpiritualis v. gr. Sacramenti eſſe licitam in extrema neceſſitate, quia non eſt intrinſecè mala, quamuis venditio talis ſit: ſicut in vſura non licet vendere mutuum, cùm tamen illud emere liceat in extrema neceſſitate, qui enim tunc dat vſuras, non peccat, vſuratius tamen, qui illas capit, peccat. Verùm nullus hactenùs diſtinxit inter emptionem, & venditionem rei ſpiritualis quoad intrinſecam malitiam, vti patet ex ipſa definitione Simoniæ, quæ æquè emptionem, atque venditionem includit: Neque Simon, qui primus huic crimini nomen indidit, damnatur, niſi quia voluit emere, & exiſtimauit ſe poſſe 1

donum

donum Dei pecunia poſſidere, quod enim fingit Soto, Simonem voluiſſe emere ad vendendum aliis, id neque ex ſcriptura, neque ex PP. expoſitione euidenter colligitur, cùm potuerit emere velle, vt ea poteſtate hominum animos ſibi conciliaret, & diuinos honores, quos ambiebat, obtineret, & PP. quos *quæſt.* 1. dedimus, æquè damnant emptionem rei ſpiritualis, atque ipſius venditionem, cùm æqualis vtrobique fiat iniuria Deo, & rebus ſacris per illam adæquationem cum vili pretio, vti oſtendimus *quæſt.* 2. *conſect.* 1. & monet Bonauent. *in* 4. *diſt.* 25. *dub.* 3. *circa litteram.* dum ait in vtraque illa actione eſſe *peccati vniformitatem*, & tam ab emente, quàm à vendente fieri Spiritus Sancti gratiæ iniuriam. Quare diſcrimē eſt inter Simoniam, & vſuram, quod in vſura ſit malitia iniuſtitiæ ex venditione rei eiuſdem duplici pretio, vti alibi oſtendimus, ideóque vendens iniuſtus eſt, emens autem, qui cedit Iuri ſuo, non poteſt eſſe iniuſtus, neque vſurarius; ipſe enim iniuriam ab alio patitur, ſibi autem non facit: at verò Simonia Irreligioſitas eſt, aduersùs res ſacras commiſſa, eò quòd, vt dixi, adæquantur cum pretio temporali, quod æquè fit ab emente, atque à vendente; quarè aut emptio rei ſpiritualis eſt intrinſecè mala, aut venditio non eſt, & non tantùm in extrema neceſſitate licita erit, ſed etiam quando grauis aliqua ratio vrgebit, quæ enim non ſunt intrinſecè mala, indifferenter ſe habent ad bonitatem, & malitiam, & facilè variis ex cauſis honeſtari poſſunt; nam quod vnum obiici poſſet de cooperatione ad peccatum vendentis, ex dictis euaneſcit, cùm ne quidem vendens, vt dixi, neceſſariò peccet. Deinde cùm quis poſſit dare rem ſpiritualem, quæ petitur, abſque venditione, ſi lubeat, vbicũque aderit grauis, & iuſta ratio petendi eiuſmodi, quam ille ſine peccato exhibere poteſt, non imputabitur petenti peccatum, ſi tradens quod petitur, in ea traditione peccet. Maneat igitur, emptionem rei ſpiritualis eſſe intrinſecè malam, vti probauimus *quæſt.* 2. *Regula* 1. ac proinde in nulla quamuis extrema neceſſitate licitam eſſe, & nunquam per eiuſmodi emptionem remoueri poſſe iniuſtam vexationem, quam patimur, vti habet noſtra aſſertio.

Dices, hoc caſu extremæ neceſſitatis mutari conditiones neceſſarias ad illam Simoniæ malitiam, cùm enim Devs dare poſſit alicui facultatem vendendi gratiam, quando præſumetur iure merito factam eſſe eam veniam à Deo, iam ceſſabit tota illa malitia, non quòd ea deſinat eſſe intrinſeca, & eſſentialis Simoniæ, ſed quia mutatur materia, vti in aliis pluribus iure naturali prohibitis contingere diximus aliàs.

Reſpond. non licere vnquam præſumere Devm eiuſmodi gratiæ, & rerum ſpiritualium venditionem permiſiſſe, eò quòd collatio illa Sacramenti, alteriuſve rei ſpiritualis ſemper pendeat ex libera dantis voluntate, qui idcircò nunquam cogi poterit ad vendendum, cùm ſemper gratuitò dare poſſit, & ſi cogatur eam in rem accipere, id facere poſſit aliis titulis, quàm venditionis Sacramenti: Cùm itaque nunquam vrgeatur neceſſitate vendendi, nunquam etiam Iure ſuſpicari poſſumus, factam illi eſſe à Deo facultatem eiuſmodi venditionis.

Reſpond. nullam in hoc negotio fieri poſſe mutationem materiæ,

& conditionis ad impediendam intrinſecam malitiam huiuſce emptionis Sacramenti, quod in aliis quoque multis eſſentialiter malis reperiri diximus aliàs, idque fit euidens hoc loco, quia emptio cùm dicat neceſſariò & eſſentialiter æqualitatem pretij cum re empta, & in adæquatione, quæ fit inter Spiritum Sanctum, & rem quampiam temporalem, ſit eſſentialis iniuria, DEVS nunquam illam permittere poterit. Quarè neque permittetur emptio rei ſpiritualis, ſi in ea includatur neceſſario emptio gratiæ, & Spiritus Sancti, vt fit in emptione Sacramenti. Deinde nunquam quis conſtitui poteſt in neceſſitate emendi, quia pecuniam, quam ad illud obtinendum largitur, alio titulo quàm pretij, & emptionis dare poterit, vti dicam ſtatim; Igitur nunquam iure præſumendum eſt, DEVM potiùs permiſiſſe emere, quam vendere Sacramentum.

2 DICO ſecundo licitum eſſe redimere iniuſtam vexationem, quam quis patitur in conſecutione rei ſpiritualis. Ita DD. in ſingularibus caſibus *conſectario VI.* referendis, atque omnes ferè recentiores.

Ratio eſt, quia iſta redemptio neque ex natura ſua Simoniaca eſt, neque ex aliis circumſtantiis illicita; non primum, ſiue Ius naturale, ſiue Ius Eccleſiaſticum conſulamus, ſi enim iure naturali iſta redemptio Simoniaca eſſet, id oriretur, quia in illa redemptione includeretur emptio rei ſpiritualis, cuius acquiſitio per eam vexationem iniuſtam impeditur: atqui hoc non contingit, quia ea redemptio eſt tantum emptio ceſſationis à violentia, & iniuria, cuius ceſſationis pretium datur, non autem rei ſpiritualis, quam ceſſante iniuria obtinebimus; quæ duo cùm longè diuerſa ſint, non neceſſariò coniunguntur intentione, ita vt qui intendit redimere vexationem, ſiue pretium dare pro ceſſatione violentiæ, aut pro tollenda radice, & cauſa illius violentiæ, quæ eſt aut auaritia, aut odium, aut aliud quid ſimile, velit ſimul, & neceſſariò rem ſpiritualem, quam acquirere conatur, emere. Quis enim non videt duas iſtas intentiones ſeparabiles eſſe, cùm earum obiecta diſtinctiſſima ſint, & vnum non includatur per ſe in alio? quod enim ea tota ceſſatio iniuriæ, quam redimo, referatur deinde ad aſſequendam rem ſpiritualem, id non ſufficit, vt ea ceſſatione empta, dicamur emiſſe rem ſpiritualem, ſaltem interpretatiuè, atque intendiſſe mediatè Sacramentum per pecuniam; alioquin qui dat aut eleemoſynam, aut ſtipendium Sacerdoti, vt faciat ſacrum, diceretur emere ſacrum, quia licet intendat immediatè ſuſtentationem miniſtri, id tamen totum facit ad habendum ſacrum; ergo mediante pecunia intendit ſacrum, ergo illud emit ex aduerſariis, neque inter iſtud ſtipendium, & redemptionem vexationis poteſt ea in parte afferri diſcrimen, æquè enim per vtrumque intendetur, mediatè per pecuniam ſacrum, atque emetur, aut per neutrum id fiet. Ad emptionem igitur non ſufficit dare pecuniam, niſi detur tanquam pretium eius, quod emi dicitur, etiamſi ad ipſius acquiſitionem ordinetur, niſi per ſe ordinetur, & vt pretium. At verò in ſtipendio, & redemptione vexationis, pecunia ordinatur tantùm per accidens ad rem ſacram, cùm per ſe ordinetur ad ſuſtentationem miniſtri, aut ſatiandam auaritiam miniſtri, repellendámque iniuriam;

riam; non ordinatur etiam vt pretium, Sacramenti v.gr. ſed ceſſationis ab iniuria; falſúmque omninò eſt, vexationem hoc loco conſiſtere in ſola negatione rei ſacræ, ſic enim fatemur eam carentiam non poſſe redimi, quia emeretur collatio rei ſacræ; idque vnum probant S.Thom. & veterum, qui in contraria ſententia eſſe videntur, argumenta; ſed conſiſtit in iniuria, quæ pluribus aliis modis fit, quàm per negationem rei ſacræ, cùm opponātur iniuſtè ea, quæ ab aſſecutione rei ſpiritualis prohibent: & quāuis aliquando tota vexatio videretur conſiſtere in illa negatione rei ſacræ, nihilominus ea negatio non redimeretur, neque ipſa formalis, & actualis, vt ita dicam, vexatio, ſed radix illius negationis iniuſtæ, & vexationis, nimirum ira, odium, auaritia, & infamis cupiditas turpis lucri, quam datâ pecuniâ abolere conamur, vt ea ceſſante, ceſſet quoque vexatio, & negatio rei ſacræ, in qua actione ceſſatio quidem vexationis, & negationis rei ſacræ eſt finis tollendi pecunia, alióque temporali prauum negantis animum, & cauſam eiuſmodi iniuſtæ negationis, non tamen pecunia eſt pretium illius ceſſationis, negationiſve rei ſacræ, vel collationis illius: neque dici vlla ratione poteſt, collationem rei ſacræ, & ceſſationem negationis eius, commutari cum pecunia, quæ data fuit ad tollendam cauſam illius negationis, nempe prauum animum, & cupiditatem dantis. Hæc igitur redemptio iniuſtæ vexationis in obtinenda re ſacra, neque ex natura operis, neque ex neceſſaria intentione operantis Simoniaca eſt. Quod ex eo confirmatur primo quia operans non intendit nouam aliquam obligationem conferendi rem ſacram imponere, ſed duntaxat impiæ voluntatis impedimentum tollere, vt deinde ex naturali, & diuino Iure poſſit miniſter moueri ad ſatisfaciendum obligationi, quam habet miniſtrandi Sacramentum petenti illud, maximè in ea graui neceſſitate. Secundo diximus alibi, poſſe alterius animum precibus, ac minis expugnari, vt actum aliquem ſpiritualem faciat etiam nobis vtilem; quidni etiam muneribus æquè prouocari poterit, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat, & ponat actum, quem de iure ponere tenetur, & quem negare nequit, niſi Iuſtitiam, aut Charitatem violet?

Quod ſi Ius Canonicum conſulamus, illud ſæpiùs iſtam redemptionem in beneficialibus probat, vt cap. *dilectus.* 1. *de Simonia.* & cap. *Quæſitum.* 1. *quæſt.* 5. aliiſque locis *conſectario ſequenti* afferendis: quoſi alicubi eam redemptionem damnare videatur, id facit in peculiaribus quibuſdam caſibus, in quibus non tam vexatio iniuſta redimi, quàm res aliqua ſpiritualis videtur, aut præſumitur, vt iterum monebo inferiùs. Habemus igitur hanc redemptionem, de qua diſputamus, non eſſe Simoniacam, quod vnum intendimus hoc loco. 3

Addo, neque eſſe illicitam aliunde, tum quia redemptio talis ex natura rei licita eſt. *l.* 1. *ff. de condic. ob turpem cauſam.* & *l.*4. *C. eod.* in hoc autem caſu noſtro illicita reddi nequit aliunde, quàm quia cooperamur peccato accipientis pecuniam, vt ceſſet ab iniuſta vexatione circa rem ſpiritualem, aut illam eandem rem conferat, ſiue ſacrilegium, ſiue Simoniam, ſiue quodlibet aliud peccatum committat. Verùm cùm poſtulemus ab alio, quod ipſe licitè facere.

re poteſt, ſi velit, aut pecunia oblata ſuademus, vt faciat minus peccatum, omiſſo maiori, aut maiori noſtræ obligationi ſuccurrimus, toties non cooperamur alterius peccato in redimenda iniuſta vexatione circa ſpiritualia; quam Regulam fuſiùs confirmat Ponti. *lib.5. de matrimon. cap.*18. §.6. & ex iis, quæ diximus *in opere de vſuris lib.* 1. *cap.* 9. de acceptione mutui ſub vſuris, & de peccato ſcandali, ſiue cooperatione ad peccatum alterius, manifeſta fit: atqui iſte, à quo petitur res ſpiritualis, aut qui circa illam nos vexat iniuſtè, poteſt deſiſtere à vexatione, & gratis conferre rem ſpiritualem, aut alio titulo, quàm pretij rei ſpiritualis pecuniam accipere, aut ſi id nolit, ſibi imputet, præterquam quod illi ſum occaſio minoris mali, quia minus malum eſt, vendere Sacramentum, quàm illud extremè indigenti negare, propter maius incommodum, quod ex ea negatione ſequitur; & denique magis obligor, meam ſalutem, aut alterius curare, quàm peccatum ſponte peccantis alterius vitare. Quod confirmatur ex eo, quod liceat Sacramentum petere à miniſtro, qui illud licitè conferre poteſt, etiamſi cum peccato miniſtraturus ſit, vti loco citato diximus.

4 Dicendum eſt tertio aliquando in foro externo præſumi Simoniam in redemptione iniuſtæ vexationis, quando ea fit circa Ius aliquod ſpirituale acquirendum, & datur pecunia illi, qui non tantùm obeſſe, ſed prodeſſe quoque poteſt circa eam acquiſitionem. Ita interpretor S. Thom. 2. 2. *quæſt.*100. *art.* 2. *ad* 5. dum ait, Simoniacum eſſe, pecuniâ redimere aduerſantia obſtacula, antequam quis acquiſierit Ius in Epiſcopatu, aut alio beneficio; quam diſtinctionem de Iure acquiſito, & eo acquirendo cæteri paſſim Theologi tradiderunt. Verùm ſi loquantur de Simonia præſumpta à foro externo, id fatemur vltrò, neque aliud probant ipſorum rationes, aut quæ afferunt ex Iure, vti videbimus conſectario ſequenti, quia præſumitur acquiri per eam pecuniam ius ipſum ſpirituale, quod nondum habetur, quandoquidem datur pecunia illi ipſi, qui tale Ius ſpirituale conferre poteſt: electori v.gr. aut inſtitutori. Verùm in foro conſcientiæ, quod veritate, non præſumptione ducitur; ſi reuerà redimitur tantùm vexatio iniuſta, nulla eſt Simonia, cùm res ſpiritualis non dicatur, vti oſtendimus; cur enim, amabo, Simonia erit, dare pecuniam electori iniuſtè vexanti, & non erit, eandem pecuniam dare miniſtro neganti Sacramentum, & ex infami cupiditate me iniuſtè vexanti? cum vtrobique detur pecunia non tanquam pretium rei ſpiritualis obtinendæ, ſed ad ſatiandam infamem cupiditatem, quæ impedit tum Iuris ſpiritualis acquiſitionem, tum Sacramenti receptionem. Quarè qui in iſta redemptione iniuſtæ vexationis factæ à miniſtris Sacramentorum, Simoniam eſſe negant, illam quoque negare debent, quoties redimitur vexatio circa Ius ſpirituale beneficij acquirendum, etiamſi qui vexat, poſſit illud Ius conferre, aut ad illud obtinendum plurimùm prodeſſe, cum par omninò ſit vtrobique ratio.

5 Dico quarto quando ipſamet iniuſta vexatio eſt materia ſpiritualis, non licet illam redimere. Ita DD. *in cap. Dilectus, de Simonia*, v. gr. impedit quis alium ab obtinendo beneficio, quia iniuſtè illi negat ab-

ſolutionem à cenſura; aut quia negat illi ordines, quos tamen intra definitum tempus ſuſcipere debet, alioquin excidit beneficio obtento: vel negat confirmationem, inſtitutionémve, vt intereà ipſi alius litem moueat, & fortaſſis à Iure acquiſito exturbet; non licebit tunc directè redimere vexationem iſtam, ita vt ematur abſolutio à cenſuris, collatio ordinum, inſtitutio, aut confirmatio ad beneficium; erit enim manifeſta Simonia, & emptio rei ſpiritualis; idque vnum volunt DD. communiter; licebit tamen odium, aut auaritiam, qua iſte incitatur ad eiuſmodi iniquam vexationem aliquo munere temporali tollere abſque Simonia, vti diximus aſſertione ſecunda.

CONSECTARIVM V.

Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

1 Ex doctrina ſuperiori plurima colliguntur. primo nunquam licitum eſſe redimere iuſtam vexationem, quam quis patitur in ſpiritualibus. Ita omnes, quia ſi iuſta ſit vexatio, non poteſt dari pecunia, niſi vt quis acquirat ſpirituale, & alter deſiſtat à Iure, quod in illud habet, quod eſt aliquid ſpirituale, idque euidens fit in beneficiis, qui enim iu Iure, quod habet ad beneficium iniuſtè vexatur, habet tantùm Ius infirmum, & iuſtè auferibile; comparat igitur pecunia firmitatem ſui Iuris, eiúſque conſeruationem; atque ita redemptio vexationis eſt emptio firmioris Iuris, quod ab initio debile, vel irritabile erat, vel aliquo caſu tale euaſit, quod non contingit, quando vexatio fuerit iniuſta.

Secundo licitum eſt redimere iniuſtam vexationem, etiamſi adeundo ſuperiorem, vel alio quopiam modo eiuſmodi vexatio poſſit impediri. Contra Ioan. Stud. *in cap. Ad aures. de Simonia.* Panormit. *in cap. Dilectus.* 1. *eod. tit. num.* 4. Felin. *ibid. num.* 3. Redoan. 3. *par. de Simon. cap.* 2. *num.* 17. & Rebuff. *de Simon. in Renunti. num.* 20. 21. qui omnes dicunt, tunc licitam eſſe iſtam redemptionem, quando ea eſt potentia vexantis, vt ſine magno diſcrimine non poſſit quis aliter, quàm datâ pecuniâ, ea ſe iniuſta moleſtia liberare: verum ſiue alio modo quis poſſit ſe eximere iniuſta vexatione, ſiue non poſſit, eius tamen redemptio Simoniaca non erit, quandoquidem, vti oſtendimus ſuperiori conſect. aſſertione 2. per illam non emitur aliquid ſpirituale, ſed tollitur impedimmentum, eſto alio modo tolli quoque potuerit: neque etiam ex aliquo alio capite peccatur, cùm ita redimens neque iniuſtus ſit, patitur enim iniuriam, non facit, neque inducit alium ad malum, ſed ad minus tantùm, vt occurrat maiori: neque etiam ea conditio ad licitam redemptionem vexationis requiritur in Iure, cùm in cap. *Ad aures,* quod allegaui, nihil eiuſmodi habeatur. 2

Loquitur enim de non redimendo beneficio abſolutionis, pro quo decem libræ exigebantur, in quo maniſeſtiſſima erat Simonia, ideoque Gloſſa ait. *ver. Abſolutionis.* nihil directè Iudici pro abſolutione, quæ Eccleſiaſticum, & ſpirituale miniſterium eſt, dari debere; ſi tamen Iudex feciſſet aliquos ſumptus propter contumaciam Excommunicati, refundendos eſſe ante abſolutionem, quia non darentur intuitu abſolutio-

nis; cùm igitur pecunia data intuitu vexationis iniuſtæ, non detur vt pretium rei ſpiritualis, etiam quando aliter vexatio impediri potuit, non prohibetur à Iure ea redemptio, ex eo tantum, quod aliâ viâ tolli potuerit, quod vnum modò contendimus. Denique ſola difficultas adeundi ſuperiorem non faceret licitam hanc redemptionem, ſi ex ſe Simoniaca foret. Ita Suar. *lib.4.de Simon. cap.50 num.6.& 32.*

3. Tertio licebit in extrema neceſſitate iniuſtè neganti baptiſmum ſiue infanti, ſiue adulto, dare pecuniam, non vt pretium baptiſmi, ſed ad eius auaritiam & cupiditatem ſatiandam, & ad redimendam vexationem; & quidem quoad infantis neceſſitatem id concedit Gloſſa. *in cap. baptiſandis.*1. *quæſt.* 1. Archidiac. & Domin. *ibid.* aliique permulti. Quoad adultum quoque idem ſentiunt. Suar. *de Simon. cap.* 12. *num.* 13. Leſſi. *lib.*2. *cap.*35. *dub.*7. Heriq *lib.*2. *cap.*13. § 3. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 21. Azor. 3. *par. cap.* 3. *quæſt.* 3. *lib.* 12. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 6. *num.*7. quia non emitur Sacramentum, vti oſtendimus, ſed tantùm tollitur prauus animus vexantis, eiúſque auaritia ſatiatur. Id autem æquè valet ſiue pro adulto, ſiue pro infante petatur baptiſmus.

4. Quarto licebit alia quoque Sacramenta præter baptiſmum in eadem extrema neceſſitate poſtulare, iniuſtámque vexationem hac in parte redimere, vt Euchariſtiam, Extremam vnctionem, & Pænitentiam in articulo mortis. Ita Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 4. § 1. *num.*4. Suar. *lib.de Simon. cap.*12. *num.*18. Ratio eſt, quia non magis hæc Sacramenta emuntur, quàm baptiſmus, ſed ſola iniuſta vexatio redimitur, vti fuit explicatum, & par omninò exiſtimatur eſſe neceſſitas; ergo eodem modo licita tunc erit redemptio vexationis iniuſtæ, circa iſta Sacramenta, atque circa baptiſmum.

5. Quinto non modò licita erit hæc redemptio iniuſtæ vexationis circa Sacramenta in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui quacunque. Ita Valent. *tom.* 3. *diſput.*6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. 5. *ſecunda concluſio.* Vaſq. *de ſcandalo. quæſt.*43. *art* 8. *dub.vlt. num.*64 relatus à Ferdinand. qui eum ſequitur, *diſp.*3. *tract.*17. *punct.* 7. *num.*4. Suar. *lib.*4. *de Simon. cap.*19. *num.*7. cum Gloſſa *in cap. Dilectus.* 1. & *in cap. Ad aures. de Simon.* & *in cap. Quæſitum* 1. *quæſt.* 3. Redoan. 3. *par.de Simon. cap.*21. *num.*6. quia nulla inibi Simonia eſt, cùm non ematur Sacramentum, ſed aliquid merè temporale, nimirum ceſſatio iniuſtæ vexationis, neque grauis, aut extrema neceſſitas quidquā facit ad conſtituendam, aut impediendam Simoniam, vti oſtendimus contra Sotum: quod verò non cooperemur peccato alterius, ſufficienter excuſamur non modò ab extrema, ſed etiam à graui neceſſitate, in quo vtimur noſtro Iure, & poſtulamus actionem ab alio, quam legitimè ponere poteſt, ſi velit; quod ſi non faciat, ſibi ipſi imputet; vnde neque grauem neceſſitatem expectandam eſſe cenſuerim, ſufficit enim ingens aliqua vtilitas, propter quam poſſem à malo miniſtro petere Sacramentum, quod ſcirem indignè miniſtraturum, quamuis poſſet, ſi lubeter, dignè miniſtrare; tunc enim licebit quoque redimere iniuſtam vexationem circa Sacramenta, cùm in neutro caſu cooperer peccato miniſtrantis.

tis indignè, aut iniuſtè vexantis. Confirmatur ex eo, quod liceat redimere ſimilem vexationem in beneficiis, vti ſtatim oſtendam; tunc enim non poteſt eſſe niſi ingens vtilitas, non autem ſalutis neceſſitas extrema, quam proinde aduerſarij immeritò poſtulant in re Sacramentali. Denique diximus ſuperius, etiam quando iniuſta vexatio tolli poſſet adeundo Superiorem, aut alio quopiam modo, quàm redemptione, licitam nihilominùs eſſe; atqui tunc non eſt extrema neceſſitas, quandoquidem tolli poteſt.

6 Sexto licita eſt iniuſtæ vexationis redemptio, quando negans Sacramentum id facit tantùm ex odio, alióve prauo affectu, & non ex auaritia, & ſordida cupiditate, & neque expreſsè, neque tacitè petit pecuniam, quam tamen ego ad deliniendum eius animum, & odium ſedandum offero. Ita Suar. *cap.* 12. *lib. de Simon. num.* 17. allegans Adrian. ſequitur Bonacin. citatus.eſtque manifeſta ratio, quia hic nulla ratione emit Sacramentum, aut Simoniam committit, dat enim pecuniam non vt pretium Sacramenti, ſed vt odium, vindictam, aliumue prauum affectum, quo remouetur à miniſtrando Sacramento, deponat, neque inducit illum ad malum, ſed potiùs eo munere auertit à malo, quodſi ille capiat pecuniam in pretium Sacramenti, ſibi ipſi imputet, non pecuniam offerenti; & ſanè ſi minis, ac terroribus licet illum ab iniuſta vexatione adducere, vt miniſtret Sacramentum, quidni etiam blanditiis, & muneribus eum incitare licebit?

7 Septimo quoties gens aliqua indiget ſacerdotibus, à quibus ſibi Sacramenta præbeantur, aut diuini verbi præconibus, poteſt Epiſcopus munere temporali impelli ad eos mittendos. Ita Leſſi. *cap.* 35. *dub.* 7. *num.* 44. quia non emitur adminiſtratio Sacramentorum, ſed tollitur impedimentum tranſmiſſionis eorum ſacerdotum.

Octauo Euchariſtia captiua à Tyranno, Reliquiæ SS. indignè tractatæ ab hereticis pecunia redimi poſsũt. Suar. *cap.* 12. *citato. num.* 10. Laym. *lib.* 4 *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 21 Ferdin. *punct.* 7. *cit* & alij, quia redimitur vexatio, quæ fit Eccleſiæ, & malitia Tyranni. 8

Nono ſi miniſter petat pecuniam tanquam pretium Sacramenti, dicátque ſe velle illud omninò vendere, quin immò ſi exigat Iuramentum, quo alter affirmet ſe dare pecuniam illam in pretium, poterit nihilominus dari pecunia, alia tamen intentione, quàm petitur, atque etiam iurare licebit, verbis tamen amphibologicis, aut cum aliqua reſtrictione mentali, ita vt fiat verus aliquis, & legitimus ſenſus; quia & redimit vexationem iniquam, & non tenetur dare pecuniam ex praua intentione, qua petitur, neque ad mentem iniquum Iuramentum petentis iurare: modò tamen id non fiat in contemptum, & iniuriam Chriſtianæ Religionis, aut ne ſuboriatur graue ſcandalum. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 42. Suar. *lib. de Simo. cap.* 12. *num.* 16. Filluc. *tract.* 45. *cap.* 3. *num.* 14. Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 4. §. 1. *num.* 4. Valent. *diſput.* 6. *quæſt.* 16 *punct.* 3. *art.* 3. 9

Decimo qui recipit pecuniam, vt ceſſet ab iniuſta vexatione circa ſpiritualia, non eſt Simoniacus præciſè ex eo, quod vendat vexationis ceſſationem, quia vt ſic nihil ſpirituale vendit; ſicut neque qui dat pecuniam. 10

niam, nihil ſpirituale emit, vti oſtendimus *Conſectario ſuperiori*: ſi tamen vexatio eſſet in aliqua materia ſpirituali, vexat quis v. gr. retinendo ius ſpirituale alterius, aut non abſoluendo à cenſura, & inhabilem reddendo ad obtinendum beneficium, ſi ceſſat à vexatione conferendo illud ius ſpirituale, aut eam abſolutionem, reuerà committitur Simonia tum à recipiente pecuniam, tum à dante præcisè ad illud ſpirituale, in quo conſiſtit vexatio, habendum, quod monuimus conſectario ſuperiori.

Iniuſtus nihilominus eſt, qui ita per iniuriam extorquet pecuniam, quam alter iniuſtè coactus dat, quare illam repetere poteſt, vt ait Gloſſa *in cap. dilectus.* 1. *de Simon.* quam Gloſſam ſequuntur alij communiter apud Felin. *ibid. num.*7. Quanquam vt verum fatear, hic textus non id euincit, cùm Pontifex iubeat tantùm eum, qui acceperat pecuniam, reſtituere illam, ſi contra conſcientiam ſuam fecerit. Omiſſis verò variis huius capitis expoſitionibus, quas dabit Barboſ. *in collectan.* ſapienter aduertit Suar. Pontificem ad caſum ſibi propoſitum duntaxat reſpondiſſe; Præpoſitus enim Eboracenſis promiſit certam pecuniæ ſummã Archidiacono, ne ab eo moleſtiam pateretur, quod Archidiaconus promiſit quidem, ſed deinde accepta pecunia fidem violauit, & grauis eſſe perrexit Archidiacono; ad cuius querelam reſpondet Pontifex Archidiaconum damnandum eſſe ad pecuniæ acceptæ reſtitutionem, ſi promiſſis non ſtetit; non examinat autem, an vexatio illa fuiſſet iuſta, nec ne, & an propter vexationem iniquam retinere ſibi poſſit pecuniam illam; id enim non quærebatur, ſed non fuiſſe impletam promiſſionem, ad quam ſe obligauerat, & ideò Pontifex compelli iubet ad reſtituendam pecuniam acceptam.

11 Vndecimo qui dat aliquid ſpirituale ad redimendam iniuſtam vexationem, Simoniacus eſt, v.gr. offert quis ſe vexanti in pinguiori beneficio aliud tenuius, aut ei, vt à moleſtia ſe liberet, ſuas vices committit, aut quodpiam beneficium procurat: cùm enim vexatio ſit aliquid temporale, vti oſtendimus, non poteſt redimi aliquo ſpirituali; quarè qui dat illud ſpirituale in pretium talis temporalis, Simoniam committit, ſicut & ille, qui ſpirituale eiuſmodi accipit, quia illud eſt pretium rei temporalis, quam donat. Et denique ſit inibi pactum aliquod circa beneficium Eccleſiaſticum, quod non purè confertur; Simonia igitur eſt ex dictis.

12 Duodecimo habens ius acquiſitum in beneficio, poteſt tollere pecuniâ vexationem ſibi iniuſtè factam in eo iure, & beneficio. Ita S. Tho. 2.2.*quæſt.*100.*art.*2.*ad* 5. Gloſſa variis locis, atque omnes communiter quos dabit Suar. *cap.* 50. *lib. de Simon.* neque vllus diſſentit, qui in aliquo caſu hanc redemptionem licitam eſſe exiſtimet. Ratio ſæpiùs reddita fuit, quia nihil ſpirituale emitur, quandoquidem datur tantùm pecunia pro ceſſatione ab iniuria, & cùm iam totum Ius ſpirituale fuerit acquiſitum, nihil ſpirituale de nouo acquiritur. Et in cap. *Dilectus.* 1. *de Simon.* Præpoſitus dat Archidiacono Eboracenſi pecuniam, ne in ſuo beneficio grauetur, neque propterea cenſetur eſſe Simoniacus. Vbi vide Gloſſam, *ver. reſtituere.*

Dices in cap. *Matthæus. de Simonia*, electus à maiori parte capituli

tuli cenſetur Simoniacus, eò quòd dederit pecuniam neſcio cui contradicenti, *& qui magiſter diſcordiæ fuerat*, vt tota contradictio ceſſaret. Hic autem habebat ius ſibi electione quæſitum, & iniuſtè vexabatur à paucis, & tamen Simoniam commiſit redimendo illam iniuſtam vexationem. De hoc textu latiſſimè diſputat Suar. *lib. de Simon. cap.* 50. & Barboſ. *in collectaneis*, quibus omiſſis, Reſpond. primo ex Suar. Innocent. Panormit. & aliis, contradictionem non fuiſſe circa electionem, ſed circa confirmationem, cui iuſtè ſe opponere poterant. ſecundo ſuſpicabatur non malè Gloſſa, paucos eos potuiſſe infirmare factam electionem, ſiue quia ipſi contempti fuerant, ſiue quapiam alia de cauſa. tertio verius mihi videtur, iſtum electum non redemiſſe duntaxat vexationem, quam ex verbo *Diſcordiæ* aliqui ſuſpicantur fuiſſe iniuſtam, ex leui omninò coniectura; ſed conſenſum, atque ſuffragium iſtorum contradicentium, vbi enim magiſtro diſcordiæ data fuit pecunia *contradictio quieuit*, ille enim adduxit alios, vt electioni iam factæ conſentirent. Itaque ſuffragium illud, & conſenſus emptus fuit, ac proinde commiſſa Simonia.

13 Decimotertio qui pecuniam dat ſuis competitoribus, vt à iuſta prætentione ceſſent, aut ne exceptionem opponant, quam ex Iure opponere poſſent, Simoniacus eſt, quia ea vexatio iniuſta non eſt, & quia ſic emit reuerà ius aliquod ſpirituale. Atque hic, niſi fallor, eſt caſus *cap. Mattham.* vti iam monui, eſtque communis ſententia DD. quos dabit Barboſ. *de poteſtat. Epiſcop.* 3. *par. allegat.* 60. *num.* 54. quibus adde Baſili. Pont. *lib.* 5. *de matrimon. capit.* 13. §. 6. *numer.* 40. & alios recentiores.

Decimoquarto qui nondum habet Ius plenè quæſitum in beneficio, ſiue illud Ius dubium ſit, ſiue inchoatum tantùm, ſiue nondum vllum ſit, ſed acquirendum duntaxat, poteſt redimere iniuſtam vexationem omnium illorum, qui obeſſe tantùm, vel non prodeſſe poſſunt, ſiue qui nihil ad electionem, præſentationem, inſtitutionem, confirmationem & collationem conferre poſſunt; & qui ad iſtas actiones, quibus Ius ad beneficium, aut in beneficio obtinetur, concurrunt. Ratio eſt manifeſta, hac enim redemptione remouentur tantùm iniuſta impedimenta; neque ea remotione maius acquiritur Ius, quàm anteà eſſet, vnde ne quidem mediatè dici poteſt parari via ad aliquid ſpirituale per temporale, & quiſque Ius habet, ne per iniuriam detineatur ab aliquo bono cōſequendo, etiamſi illud ſpirituale ſit; Et ſi qui textus videantur contrarij, loquuntur de vexatione eorum, qui impediunt à Iure, quod dare poſſunt, & deberent. 14

Decimoquinto licitum eſt redimere vexationem iniuſtam in aſſecutione beneficij etiam ab iis, qui illud beneficium, aut ius ad ipſum conferre poſſunt, cuiuſmodi ſunt patroni, electores, collatores, aliique; quanquam in foro externo præſumenda ſit Simonia. 15

Priorem huius conſectarij partem negant Suar. *cap.* 50. *num.* 27. Leſſi. *cap.* 35. *num.* 108. & alij communiter Theologi, quos ipſi dabunt, ſequunturque paſſim recentiores. Adhæremus tamen Nauarr. *capit.* 23. *num.* 102. *ver. octauo.* etiamſi enim dicat, licitam eſſe redemptionem modò quis habeat ius quæſitum, in

eámque rem laudet S. Thom. ait tamen, licitam eſſe circa ius poſſeſſionis, & non ſolam poſſeſſionem, atque etiam abſolutè circa ius acquirendum, ſi vi impediatur, aut ſollicitata indigni electione. Adria. *quodlib.* 9. idem inſinuat, & omninò Valent. *tom.* 3. *diſput.* 3. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *quæſt.* 3. probabiléque exiſtimat Ferdin. à Caſtro. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 10. *num.* 4. Laym. verò *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 22. Simoniam tantùm agnoſcit iuris Eccleſiaſtici, & conſentit Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 6. *punct.* 5. *num.* 4. & tandem Suar. *num.* 28. videtur ſe reſtringere ad Ius poſitiuum; nos neutram Simoniam eſſe dicimus, ſed ſolùm præſumptam; & quidem quod attinet ad Ius naturale, quis neget, poſſe dari pecuniam electori, aut collatori iniuſtè vexanti, non vt ipſe inſtituat in beneficio, aut illud conferat, ſed ad malum eius animum, & prauum affectum odij, vel auaritiæ tollendum, vti in redemptione circa Sacramenta dicebamus? Non quæritur igitur oblatione pecuniæ, vt iſti proſint, & iuuent ad beneficium acquirendum, quamuis iuuare, & prodeſſe poſſint, ſed ne obeſſe, & iniuſtè vexare pergant. Et ſanè ipſi tandem Suar. & Leſſi. fatentur, vti videbimus, poſſe te electoribus dare pecuniam, ne te prætermiſſo indignum eligant: quidni igitur, vbi quæcunque alia vexatio fuerit æquè iniuſta commiſſa ab electoribus, aut collatoribus, poterit eodem modo redimi, atque ea quæ fit in eo peculiari caſu aſſignato, eligendo indignum, quamuis iſti, qui prodeſſe poſſunt acquirendo beneficium vexent vt tales, id eſt, iniuſtè negando electionem, collationem, &c. non autem eadem ratione, qua vexant, qui nihil prodeſſe poſſunt, ſed tantùm obeſſe v. gr. infamando, detinendo ne adeat collatorem, intercipiendo litteras, ſubornando electores, aliiſque fraudibus, & iniuſtis rationibus; (nam in his caſibus non negat Suar. redimendam vexationem,) ſed etiam ſi vexet quatenus habet poteſtatem promouendi aliquid quoad comparationem iuris, & beneficij: idque probat ratio à nobis allata, quæ confirmatur ex eo, quod obſequia, dona gratuita, preces, & commendationes factæ collatori ad molliendum eius animum, ſecluſo omni pacto, non conſtituunt Simoniam vti ex quæſt. ſuperiori conſtat. Cur igitur eadem munera, eò quod donentur eidem ad prauum affectum erga nos ſuſceptum tollendum, & amoliendam iniuriam, Simoniaca cenſebuntur, ſpectato iure naturali?

Quod autem attinet ad Ius Eccleſiaſticum, illud quidem omnia pacta circa ſpiritualia & beneficia prohibet tanquam Simoniaca: ſed id intelligendum eſt de pactis, quibus ſpirituale, aut beneficium emitur, quod non fit in iſta redemptione, vti ſæpiùs dictum fuit. 16

Qui verò textus improbant redemptionem, de qua agimus, ij procedunt ex præſumptione, quæ locum habet in foro externo, non in interno, vbi veritas contraria eſt; neque dicimus propterea vanam eſſe hanc ſuſpicionem, videtur enim dari pecunia formaliter, vt non negetur inſtitutio, electio, confirmatio, præſentatio, & collatio, atque adeo vt concedatur; & parari via poſſit directè, & immediatè ad ius ſpirituale per temporale: neque aliud probant, quam eiuſmodi præſumptionem textus, qui allegantur à communi

muni ſententia, quam veram exiſtimo quoad forum externum.

Affertur primo cap. *ſicut tuis*, vbi pecunia data Epiſcopo Leodicenſi, vt Abbatem Iemblacenſem canonicè electum confirmaret, Simoniaca cenſetur.

Reſpond. nihil eſſe in toto illo cap. vnde colligatur hæc regula generalis, nimirum non poſſe redimi vexationem ab eo, qui prodeſſe poteſt in beneficio, cùm neque in caſu propoſito, neque in reſponſione Pontificia id innuatur, neque Gloſſa, aliique DD. in illud cap. eam colligant, aut tradant: manifeſta quidem fuit Simonia, cùm enim Epiſcopus Leodicenſis nollet niſi acceptâ pecuniâ confirmare hunc Abbatem, aliqui Abbate inſcio, & contra prohibitionem ab ipſo factam, vetuerat enim ne quis ſub interminatione Anathematis pecuniam eam daret, eiuſmodi confirmationem emerunt; cùm enim non conſtaret, quo alio animo data fuerit pecunia, quàm quia ad obtinendam confirmationem poſtulabatur ab Epiſcopo, non potuit niſi Simoniaca præſumi.

Secundo affertur cap. *Matthæus*. Verùm illud alium ſenſum habere iam diximus, in eóque fuiſſe emptum ſuffragium ab electoribus contradicentibus, & veram Simoniam commiſſam.

Tertio affertur cap. *De hoc*. Sed mirum omninò eſt, aduerſarios hoc abuti loco; Ibi enim accuſatur Epiſcopus Oxomenſis, quod Clerico cuidam & Archidiacono beneficia promiſiſſet, vt ſuæ electioni conſentirent; vbi eſt manifeſtiſſima Simonia ſaltem Iuris Eccleſiaſtici, quam nos non negamus: De redemptione autem iniuſtæ vexationis ne vmbra quidem.

Denique affertur ſtylus Curiæ à Suarez. Sed neque ſtylus ille facit Ius, neque aliud probare videtur, quàm præſumptionem quandam Simoniæ in caſu noſtri conſectarij.

Decimoſexto licitè datur pecunia 17
iniuſtè impedienti poſſeſſionem beneficij iam obtenti. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. Caietan. *de Simon. quæſt.* 3. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 102 Leſſi. *cap.* 35. *num.* 110. *lib.* 2. Suar. *cap.* 50. *num.* 31. Layman, Bonacin. Ferdinand. *locis citat.* Reginald. *lib.* 23. *cap.* 11. *num.* 130. & DD. communiter *in cap. Matthæus. cap. Dilectus.* 1. *cap. Ad aures. de Simonia.* Ex quibus non malè colligitur hæc doctrina contra Garc. 1. *par. de beneficiis. cap.* 2. *num.* 53. & plurimos ab ipſo relatos. Ratio eſt, quia poſſeſſio eſt res facti, & non iuris, ideóque non eſt aliquid ſpirituale niſi ratione iuris, & tituli, cui annexa eſt, vti fatentur ipſimet aduerſarij; adquiſito igitur iure ac titulo, iam quod remanet eſt merè temporale, niſi ſimul ematur titulus aut ius; quomodo interpretor deciſionem Rotæ relatam à Garc. *num.* 54. damnantem pacta inita circa beneficij poſſeſſionem tanquam Simoniaca, non enim erant de ſola, & pura poſſeſſione, ſed implicabant ſimul ius eius aliquo modo. Et ſanè ſi quis me per iniuriā à capta poſſeſſione beneficij deturbaret, poſſem illam expulſionem redimere pecunia, quod malè negat Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 9. § 8. *num.* 5. At verò eadem ratio eſt in occupanda primùm poſſeſſione, atque in ea retinenda: Idem dicendum eſt de fructibus beneficij, quos iniuſtè retentos poſſum pecuniâ redimere,

 etiamſi

etiamſi quatenus beneficiales ſunt,& debiti ex iure ſpirituali,dicantur ſpirituales ; ſecluſo tamen eo iure,quod iam partum ſupponitur , emuntur, & redimuntur abſque Simonia. Atque hæc ſententia noſtri Conſectarij vera , & tuta eſt , etiam in praxi, quod poſtremum malè negauit Bonacin. *punct. 5. citato. num.* 8.

18 Decimoſeptimo ſubornanti electores, alióſve à quibus beneficium expecto aduersùm me , fas erit dare pecuniam,vti ſubornare deſinat, non verò vt mihi apud ipſos faucat, aut mihi ab illis beneficium impetret: quia in priori caſu redimitur ſubornatio , & vexatio ; in poſteriori ipſa etiam electio, aut collatio. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *numer.* 108. Valent. *punct.* 3. *cit. quaſt.* 16. *diſp.* 6. *tom.* 3. Suar. *lib. de Simon. cap.* 50. *num.* 25. Ferdinand. *punct.* 20. *cit. num.* 5. qui rectè addit , poſſe dari pecuniam electoribus iam ſubornatis , non ea intentione, vt nobis faueant ſuo ſuffragio , ſed vt deponant prauam mentem , quam ex alterius iniqua ſubornatione concepere , & animum propenſiorem aduerſus competitorem mutent ; quanquam periculum non exiguum erit Simoniæ , quæ etiam in foro externo præſumetur : ſubornatio autem licet non pugnet cum Iuſtitia , pugnat tamen cum Charitate.

19 Decimooctauo qui per fraudem, aut vim me detinet,ne concurrã cum aliis ad beneficium , qui me infamat apud Epiſcopum, qui muneribus,aut precibus obeſt , licet non iniuriam fortaſſis aduersùm me admittat , poteſt tamen data pecunia ab eo nocumento inferendo impediri. patet ex ſuperiori.

20 Decimonono pecunia traditur abſque Simonia teſti , qui aliter non vult aperire veritatem , atque ita me impedit ab aſſecutione alicuius boni, aut iuris ſpiritualis ; quia redimitur impia teſtis obſtinatio , & vexatio. Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 53. §. 1. *num.* 9. Suarez *de Simonia. cap.* 53. *num.* 11.

Vigeſimo licet electoribus , qui hæreticum , ſchiſmaticum , aliumve indignum eligere in Pontificem, aut ad aliam dignitatem euehere volunt , pecuniam dare , vt ab eo ſcelere abducantur , atque dignum eligant. Ita Caietan. *tom.* 1. *opuſc.* 9. *quaſt.* 3. Soto. *lib.* 9. *quaſt.* 6. *art.* 1. *ad* 3. Maior. *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 5. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quaſt.* 16. *punct.* 3. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 90. *num.* 5. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 113. Suar. *lib. de Simon. cap.* 50. *num.* 42. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim.* §. 2. *num.* 23. Bonacin. & Ferdinand. locis ſæpiùs citatis. quia reuerà non emitur electio , ſed vexatio , quam patitur Eccleſia , & ſatiatur electorum infamis cupiditas ; idcircò ſi electores non eſſent ad iniquam eiuſmodi electionem parati, non liceret eos præuenire muneribus cum onere,& conditione eligendi dignum , quia tunc ipſa electio eſſet proxima materia illius pacti , & pecunia daretur in eius commutationem , cùm nondum ſit vlla vexatio , quæ redimatur. Quod verò addunt Suar. Layman. Bonacin. & alij , quoties mala electio poterit aliter impediri , quàm dando pecuniam electoribus v. gr. adeundo ſuperiorem , nefas eſſe , tentare hanc viam , id non oritur ex eo , quod Simoniam committat, qui vexationem iniuſtam tunc redimeret, ſed quia cùm electores tunc ſint Simoniaci, ac proinde tota illa electio inualida ſit , vtpote Simoniaca , nefas erit ad electio

electionem inualidam cooperari. Verùm & electores alia intentione, quàm vendendi electionem, pecuniam accipere poſſunt, vt diximus; & melius ſæpiùs erit electioné digni inualidam eſſe, quàm ſi indignus validè fuiſſet electus; immò addit ſapienter Suar. hanc redemptionem fieri poſſe ita vt intendamus eligi dignum, aut digniorem, idque exprimamus, & per modum conditionis apponamus, ſiue plures digniores ſint, ſiue vnus tantùm, quia etiam illo caſu non emitur electio, neque pecunia datur in eius pretium; ſed tantùm impeditur, ne fiat iniuria Eccleſiæ, neque determinatur voluntas electorum per nouam obligationem. Quod ſi vnus tantùm dignus ſit, idque omnibus notum, ac manifeſtum habeatur, poterit etiam dari pecunia, vt redimatur vexatio, quam Eccleſia pateretur in eius ſolius digni præteritione, atque ita intendi eius electio poterit à dante pecuniam, qui non dabit tanquam pretium, vti iam ſæpiùs dixi, ſed vt motiuum tollens prauam electionem, & affectum electorum, quod aduertit Ferdin. à Caſtro.

22 Vigeſimo primo licebit dare pecuniam, ne quis mihi litem iniuſtam moueat circa meum beneficium, ex Gloſſa *in C. cum pridem. de pactis*, & communi DD. quia eſt redemptio iniuſtæ vexationis; ſecus verò, ſi lis iuſta eſt, quia tunc redimitur aliquod ius, ſicut etiam ſi dubium ſit de Iuſtitia litis, dubium enim pariter eſt de iure, quod proinde ea ratione firmatur, neque tunc locus eſt iniuſtæ vexationi, neque eius redemptioni.

23 Vigeſimoſecundo idcircò qui concurrenti ad beneficium pecuniam tribuit, aut penſionem promittit, ne ſe opponat, v.g. illegitimus, irregularis, aut quocunque modo inhabilis ad beneficium pecuniam alteri donat, ne eiuſmodi defectus aperiat, aut, ſi corrumpat teſtes, vt cõtrarium teſtentur, Simoniam committit, quia redimit iuſtam vexationem, & omninò pecuniâ ſibi comparat beneficium.

Vigeſimotertio falsò dixit Baſili. Ponti. *lib. 5. de matrimon. cap.* 18. *num.* 44. *ſub fin.* quando duo æquè digni proponuntur, qui ad cathedram eligantur, quia vel reipſa æquè digni ſunt, vel de exceſſu difficillimè iudicatur, non licere quidem offerre pecuniam ſcholaſtico, vt alterum ex illis eligat, poſſe tamen dari, ſi poſtulauerit, vel indicauerit ſe accepturum. Quæ doctrina, vti ſapienter aduertit Ferdin. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 10. *num.* 6. *ſub fin.* pluribus iniuſtitiis, & peccatis viam aperit, idcircò enim non licet pecuniam offerre ſcholaſtico, quia nullam iniuriam facit, quod paratus ſit alterum ex his eligere, neque in ea electione peccabit; quarè nulla omninò cauſa eſt illi offerendi pecuniam, vt ab ea electione abducatur. Cur igitur poſtulanti dare fas fuerit? & quo, amabo, iure poſtulabit ille ſcholaſticus? an eius petitio Simoniam impedit, aut eam actionem honeſtabit? Itaque quamdiu non eligetur indignus, aut non præteribitur dignior, neque offerre, neque dare pecuniam licebit ſcholaſticis eligentibus ad cathedram, ſi eiuſmodi electio ſit aliquid ſpirituale; nam *queſt.* 5. *conſ.* 5. & 6. neque ſcientiam Theologicam, neque magiſterium, & doctoratum eſſe materiam ſimoniæ oſtendimus, & idcircò electio ad eiuſmodi cathedras non poterit eſſe Simoniaca. 24

CONSECTARIVM VI.

An poſſit dari temporale pro ſpirituali in ſtipendium, & ſuſtentationem.

1 Reſpond. & dico primo licitum eſſe dare, & accipere ſtipendium miniſtrantibus ſpiritualia. Hanc aſſertionem tradit S. Thom. 2. 2. *quaeſt.* 100. *art.* 2. & omnes Canoniſtæ, & Theologi, quos recenſere inutile foret, quando conſtans, perpetuúſque Eccleſiæ vſus in dandis primitiis, oblationibus, decimis, & prouentibus aliis cum obligatione miniſterij ſpiritualis, ſatis ſupérque hanc doctrinam confirmauit hactenus. Laborant tamen DD. in reddenda ratione huiuſce rei, cùm aut Simonia, aut turpe lucrum committi videatur, quod aliquis ſeſe obliget ad dandum ſpirituale pro temporali ſtipendio. Verùm omiſſis variis DD. explicationibus quas fuſiùs expendit de Lugo. *diſp.* 21 *de Euchar. ſect.* 1. *num.* 2. dicendum eſt cum communiſſima ſententia, ſtipendium non dari in pretium rei ſpiritualis, quæ exhibetur, ſed in miniſtri ſuſtentationem totalem, aut partialem, ac proinde nullam eſſe aut Simoniam aut turpem auaritiam; quæ conſequentia quoad Simoniam probata manet ex noſtra propoſitione vniuerſali initio huius quæſtionis; nunquam enim committitur Simonia, niſi temporale detur in pretium ſpiritualis; ſordidam quoque auaritiam abeſſe ab his ſtipendiis manifeſtum manet, neque enim turpe eſt miniſtrum, & operarium ſuo miniſterio ſe ſuſtentare, immò ea ſuſtentatio debetur ex naturali Iuſtitia, operario, quem ad ſuas operas tibi exhibendas obſtringis. *Dignus eſt*, inquit Chriſtus *Matth.* 10. *operarius cibo ſuo.* & Paul. 1. *ad Cor. cap.* 9. pluribus oſtendit, ſe ſubſidia temporalia à Corinthiis, quibus Euangelium annuntiat, iure ſuo accipere potuiſſe, quibus tamen carere voluerit, ſtatuítque Apoſtolis, omnibúſque verbi Dei præconibus conceſſum eſſe, vt ex Euangelio viuant *ver.* 14. *ver.* autem 4. ſingillatim affirmarat, permiſſum eſſe cibum, & potum, & mulieris ſororis circumductionem, quod Apoſtoli, fratres Domini, & Cephas ipſe vſurparunt ſine cuiuſquam iniuria, aut ſordido quæſtu, quia iure naturali nemo militat ſuis ſtipendiis; & qui vineam plantat, eius fructu gaudere, ſicut & paſtor ſui gregis lacte nutriri debet *ver.* 7. Deinde quia ſcriptura idipſum iubet *ver.* 8. *nunquid ſecundum hominem hæc dico, an & lex hæc non dicit?* nimirum *Deut.* 25. *ver.* 4. de boue trituranti cui minimè alligari os voluit Moſes. De bobus autem non eſt principalis cura Deo, ſed de hominibus, qui & arant, & triturant in ſpe fructûs percipiendi. *ver.* 10. Hæc omnia confirmat, quia qui ſpiritualia ſeminant digni ſunt, qui temporalia metant, & victum ac veſtitum ab iis, quibus ſpiritualia impertiuntur, capiant; quod dixit etiam *ad Rom.* 15. *ver.* 27. His addit *ver.* 13. antiquum, & conſtantem vſum, *qui enim in ſacrario operabantur, & altari deſeruiebant, ex altari, & ſacrario viuebant*, id eſt, ex decimis, oblationibus, primitiis, & ſacrificiis, diuidebant enim ea, quæ immolabantur; partem vnam abſumebat ignis ſacer, alteram ſibi Leuitæ ſumebant. *Deut.* 18. Denique accedit Chriſti præceptum. *ver.* 14. *Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Ex iis concludit

cludit Paulus potuiſſe ſe eadem poteſtate vti, hoc eſt, eodem iure temporalia capiendi; nam & poteſtatem pro iure in alios, aut facultate aliquid faciendi, ſæpiùs vſurpant ſcripturæ, vt *Matth.* 10. *ver.* 1. *Marc.* 6. *ver.* 7. Cùm igitur Paulus eſſet Apoſtolus, vt ait *ver.* 1. ipſíque Corinthij forent opus eius, & quaſi ſigillum eius Apoſtolatus, cur non ea poteſtate & iure, quo in eos alij fuerant vſi, ipſe quoq; potuerit eadem libertate? quod ait *ver.* 1. Neque ego aliam hic libertatem ſiue à præceptis, ſiue à ſumptu alieno, vti Caietan. & alij exponunt, accipio, quàm eam, qua liberum integrúmque ipſi erat facere quod alij Apoſtoli, fratres Domini, ipſéque Cephas fecerant, à quibus tamen abſtinere placuit. primo ne quod impedimentum, ſiue, vt græca lectio fert, ne quam interruptionem Euangelio poneret, aliqui enim malunt aliquando carere Euangelio, quàm eius miniſtris ſumptus neceſſarios ſuppeditare. vel interprete Auguſt. *lib. de opere Monac. cap.* 10. *vt non ſit credentibus ſumptuoſum Euangelium, ne putent ſibi ad hoc euangelizari, vt Euangeliſtæ illud vendere videantur.* Deinde quia, vt ait *ibid.* Auguſt. *cap.* 12. *per hoc quod iure dominico debebatur bonis Euangeliſtis, non propter hoc Euangelizantibus, ſed quærentibus regnum* Dei, *vt hæc omnia apponerentur eis, inueniebant alij occaſionem, de quibus idem dicit; neque enim iſti* Deo *ſeruiunt, ſed ſuo ventri, quibus hanc occaſionem amputare volebat Apoſtolus, vt etiam quod ſibi iuſtè debebatur, omitteret.* ſecundo ne ſuam gloriam euacuaret, quia vt ait Auguſt. *eod. lib. de opere Monacho. cap.* 10. glorìa Pauli erat, *quod nulla vita ſuſtentandæ neceſſitate compulſus euangelizaret, ob hoc enim habiturus erat mercedem apud* Deum *gloriæ ſempiternam, qua careret, ſi neceſſitate huius vitæ tranſigendæ inuitus cogeretur euangelizare; alij quidem proficerent, ipſe autem mercedem illam glorioſam ſempiternámque non haberet.* Quanquam & ſublimius aliquid hîc ſuſpicatur Chryſoſt. *hom.* 21. quatuor enim obſeruanda ſunt hoc loco. primum eſt ipſa Euangelij prędicatio, ſiue Euangelizatio. ſecundum euangelizandi modus quoad receptionem ſumptuum, qui vel accipiuntur ab iis, quibus euangelizatur, & eſt communis euangelizandi modus, vel non accipiuntur, qui modus multò excellentior eſt. tertium eſt principium huius euangelizationis, nam aliqui ſponte, & nullo compulſi præcepto euangelizant; alij quodammodo coacti, & inuiti id faciunt vrgente nimirum obligatione præcepti. quartum denique eſt merces, quam communem habet, & gloriam communem apud Deum, qui communi illo modo euangelizat; qui verò illo excellentiori modo ſuis ſtipendiis, & non alienis euangelizat, excellentem habet mercedem, & gloriam, quam perpetuò Paulus ſuam appellat mercedem. & gloriam, ſiue gloriationem, quia nimirum cùm habeat aliquid eximium, in eo ſolidè gloriari poteſt: communis autem illa ratio euangelizandi pertinet ad omnes, quorum ea vocatio, & officium eſt, illíſque præcipitur, ideóque vel ab inuitis, id eſt, præcepto coactis præſtanda. Poſterior euangelizandi modus nulli præcipitur, ſed ſponte ſuſcipitur, tantáque eſt gloria, & merces, quam ex eo ſperat Paulus, vt potiùs mortem, quàm eius iacturam ſibi optandam eſſe dicat: qua de re vide S. Ambroſ. *in pſal.* 118. *ſerm.* 14. tertio denique noluit

noluit Paulus mercedem, & ſumptus laboris accipere, ne ſua abuteretur poteſtate: quod malè interpretatur Beza, ne peccaret minuendo diuinam gloriam, & proximum offendendo: nam falsò dixiſſet Paulus ſibi idem licere, quod cæteris Apoſtolis hac in parte, ſibíque eandem eſſe poteſtatem, ſi in vſu illius peccaturus fuerat; neque quod fit cum minore DEI gloria, continuò peccatum eſt, alioquin ad maiorem DEI gloriam in omnibus perpetuò quærendam obligaremur, & minùs excellentes virtutum actus, abuſus, & peccata forent. Dico igitur cum Caietan. Paulum timuiſſe, ne ſenſim in abuſum deduceretur ea facultas capiendi temporalia ad miniſteria ſpiritualia, vti ſæpiùs contingit; aut abuſum vocaſſe eum vſum, qui excellentioris gloriæ detrimentum aliquod afferret. Tantùm verò abeſt, vt Paulus à Corinthiis, aliiſve, quibus prędicabat, acciperet vitæ neceſſaria, vti potuiſſet, vt vltrò ſe omnium ſeruum fecerit, & omnibus omnia factus fuerit. *ver.* 19. quod fuſiùs Auguſt. *lib. citat. cap.* 11. aliíque exponunt in rem noſtram. *Quam enim dicit infirmitatem ſuam erga infirmos fuiſſe, quam compatiendi eis in tantum, vt ne videretur venditor Euangelij & verbi* DEI *curſum apud imperitos in malam ſuſpicionem decidens impediret, nollet accipere, quod iure Dominico debebatur, quod ſi vellet, non vtique mentiretur, quia verè debebatur, & quia noluit, non vtique mentitus eſt; neque enim dixit non ſibi deberi, ſed deberi oſtendit, & debito ſe vſum non eſſe, nec debito vti velle profeſſus eſt, eo ipſo factus infirmus, quod poteſtate ſua vti noluit: Tam miſericordi ſcilicet inductus affectu, vt cogitaret, quemadmodum ſecum agi vellet, ſi & ipſe ita infirmaretur, vt poſſet de illis, per quos Euangelium ſibi prædicaretur, ſi eos videret ſumptus accipere, quaſi mercimoniorum nundinas ſuſpicari.* Cæterum ſæpiùs commendat Paulus fidelibus, vt ſe liberales erga miniſtros Euangelij exhibeant, neque aliquid ipſis deeſſe patiantur; quod fuſiùs oſtendit Auguſt. *in eo libro. cap.* 16. ex variis Pauli verbis.

Habemus igitur tum Iure naturali, tum Iure diuino, & Euangelico deberi ſtipendia miniſtrantibus ſpiritualia, quod non impedit gratuitam Euangelij prædicationem, & ſpiritualium Sacramentorum adminiſtrationem, cùm Chriſtus illo ipſo *cap.* 10. *Matth.* quo iubet hæc omnia accepta gratis danda eſſe, dicat operarium dignum eſſe cibo ſuo. & idcircò *Luc.* 10. prohibet Apoſtolis, aliiſve diſcipulis pecuniam, duas tunicas, aliáque eiuſmodi in commeatum Euangelij deferre, *vt vbi opus eſſet, ab eis acciperent, quibus annuntiabant regnum* DEI. inquit, *cap.* 5. *& cap.* 6. *libri citati* Auguſt. qui & perpetuò debitam mercedem nominat; quæ tamen, quia non eſt pretium operis ſpiritualis, aut verbi DEI, ſed ſuſtentatio neceſſaria perſonæ operantis, non dicitur dari temporale pro ſpirituali. Quod explicat de Lugo. *diſp.* 21. *de Euchar. ſect.* 1. *num.* 13. exemplo pictoris, qui vouiſſet gratis in obſequium Eccleſiæ tabulam pingere, ille enim non violaret votum, ſi colores, aliáque ad tabulam depingendam neceſſaria caperet, aut etiam poſtularet ab Eccleſia, in iiſque neceſſariis cenſeri etiam poſſet cibus aliquis ſingularis, quo ipſe ad pingendũ indigeret; gratis tamen pingere diceretur. Cùm S. Franciſ. à Paula à

Ludoui

Ludouico XI. Rege Chriſtianiſſimo in Galliam accerſitus eſt, vt illum morbo, quo laborabat, leuaret, potuit ſine dubio recuſatis muneribus dicere, ſe gratis operam, quam liceret, impendere velle, quamuis Principis impenſis iter illud egiſſet, & in Curia aleretur: quod verum etiam fuiſſet, ſi ipſe poſtulaſſet à Rege ſumptus illos ad viam neceſſarios. Non igitur miniſter, & diſpenſator myſteriorum Dei illa myſteria vendit, ſi ab illis, quibus miniſtrat, accipiat neceſſaria ad miniſtrandum, vt panem, vinum, aquam, cereos, oleum, balſamum ad Sacramenta conficienda; inter ea autem neceſſaria eſt ipſemet ſacerdos, qui non poteſt ſine ſe ipſo ſuſtentato, & benè diſpoſito miniſtrare; ſi itaque iure poteſt exigere neceſſaria ad miniſtrandum, poterit quoque neceſſaria ad ſui ſuſtentationem eadem ratione poſtulare.

2 Dico ſecundo ſtipendium pro miniſteriis ſpiritualibus in pactum deduci poſſe abſque Simonia. Ita Gloſſa *in cap. ſignificatum. de prebend.* & *in cap. ſuam. de Simon.* quamuis aliquid de ſacerdotibus diuitibus excipiat Panormit. *in cap. ſignificatum. num.* 8. & *in cap. ſuam. cit. num.* 12. Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 1. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 102. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. §. *ad euidentiam*, & *in ſum. ver. Simon. Regu.* 4. Gutierres. *lib.* 1. *qq. Canonic. cap.* 29. *num.* 10. alios adducens. Suar. *in* 3. *part. tom.* 3. *diſput.* 76. *ſect.* 1. & *lib. de Simon. cap.* 46. *num.* 4. & omnes deinceps recentiores, quos dabit Anell. *lib.* 2. *de præcip. ſacerdot. officio. cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 3. & 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 13. Binsfeld. *in tit. de Simon. cap.* 42. *quæſt.* 1. *con.* 6. & alij contra Alenſ. 2. *parte. quæſt.* 189. *mem.* 4. *art.* 1. §. 2. Richard. *diſt.* 25. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 3. & alios veteres, qui omnia eiuſmodi pacta, eò quod exiſtiment eſſe circa ſpiritualia, reiiciunt. Ratio porrò noſtræ aſſertionis manifeſta eſt, quia vt argumentatur Caietan. pactum non mutat materiam actuum; ſi igitur ſtipendium non eſt pretium miniſterij ſpiritualis, ſed ſuſtentatio miniſtrantis, non fiet pretium rei ſpiritualis accedente pacto, quod cadit in illud formaliter, vt ſtipendium eſt, & vt ad miniſtri ſuſtentationem pertinet, & quamuis per pactum inducatur obligatio, eáque ciuilis, ea tamen cùm ſit tantùm de exhibendo ſtipendio aliàs debito, non de pretio ſpiritualis miniſterij, non pugnabit cum miniſtratione gratuita, quam imperat Chriſtus, ſicut ipſummet ſtipendium ex natura rei, atque ex Iuſtitia debitum, reuerà non pugnare ſuperiùs oſtendimus. Confirmatur, quia nullum pactum, aut conditio appoſita, per quam exprimitur id tantum, quod de iure ineſt, facit Simoniam, vti fuſiùs oſtendimus tota quæſt. ſuperiori, in propoſitione vniuerſali; atqui in hoc pacto exprimitur obligatio Iuſtitiæ dandi ſtipendij, quæ obligatio iam inerat in ipſa natura rei, vti probauimus aſſertione proxima.

Quarè per hoc pactum non adducitur noua obligatio, ſi propriè loquamur, ſed vel determinatur quoad quantitatem, quæ indefinita erat, vel exteriùs exprimitur, quod tacitè inerat, vti ſi quando intentanda eſſet actio neganti ſtipendium, aut miniſterium poſt acceptum ſtipendium; id facilius fieri poſſet; immo ſapienter obſeruauit Suar. vix humano modo dari poſſe aliquid in ſtipendium,

& ſuſtentationem miniſtrantis ſpiritualia, quin pactum aliquod tacitum, vel expreſſum intercedat, qui enim v. gr. in ſtipendium Miſſarum, quæ ſingulis menſibus dicendæ ſunt 20. aut 30. aureos exhibet, ita ſuam mentem explicare debet, vt ſacerdos maneat obligatus ex Iuſtitia ad eum Miſſarũ numerũ dicendum, alioquin ſi exiſtimet eſſe abſolutam donationem, eas Miſſas pro arbitrio dicet, aut omittet; quod idem dicendum de eo qui poſtulat à ſacerdote 20. Miſſas, & ſe daturum deinde illarum ſtipendium affirmat, niſi enim ſignificet ſe obligatum manere ex Iuſtitia ad dandum illud ſtipendium, non tenebitur ſacerdos ad eas Miſſas faciendas. In omni igitur ſtipendio includitur virtualis aliqua, & tacita pactio, quæ ſi deinde exprimatur, non mutat naturam diſpoſitionis, & actionis, nec eam ex eo capite vitioſam reddere poteſt. Quarè neque ſtipendium de quo agimus, accedente expreſſo aliquo pacto Simoniacum fiet, neque malum, niſi ex aliquibus aliis adiunctis turpitudo, & malitia deriuetur. Iura porrò, quæ in vniuerſum pactiones circa res ſpirituales prohibent tanquam Simoniacas, de quibus ſæpiùs egimus, loquuntur de pactis, quæ cum gratuita donatione rerum ſpiritualium pugnant, & nouas obligationes, atque onera, quæ de iure non inſunt, afferunt, & denique continent venditionem, aut emptionem miniſterij ſpiritualis, vt ſi quis dicat, Volo decem pro meo miniſterio, mea Miſſa, mea abſolutione. Quamuis enim ea verba commodum intellectum capere poſſint, vti exponunt Nauarr. *cap.* 23. *num.* 110. *ver. quarto.* Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 5. & Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 44. §. 11. *num.* 9. ſecundùm corticem tamen malè ſonant, pactum enim videtur eſſe de pretio Miſſæ, non autem de ſuſtentatione, & ſtipendio miniſtri, de quo nos loquimur hoc loco. Neque opus eſt dicere cum Soto. *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 6. *art.* 1. *con.* 2. & Leſſi. *cap.* 35. *num.* 49. & Ferdinand. *de obligat. ſacerdot. ſect.* 3. *prænoti.* 1. §. 5. *num.* 1. Iure veteri Eccleſiaſtico hæc pacta de ſtipendiis fuiſſe Simoniaca (quod videntur ſibi ex S. Thom. ea reprobante 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 2. ſumere) ſed illis Iuribus contraria conſuetudine derogatũ fuiſſe, quam conſuetudinem antiquari optaret Leſſi. nam hæc conſuetudo antiquiſſima eſt, & nunquam ea pacta fuère prohibita vt Simoniaca, cùm nunquam aliam obligationem, quàm quæ ex naturali Iuſtitia ineſt, impoſuerint. Concedimus quidem aliquando pactum facere aliquid illicitum, quod abſque eo licitum foret, quia tunc vel violat ſpecialem prohibitionem, vel eſt de re aliqua, quæ in pactum deduci nequit eò quod gratis dari debeat, vt dicitur *cap. Cum eſſem. de Simon.* & *cap. Tua nos. ibid.* Quod verò nonnunquam dicant Iura ſponte oblata accipi poſſe, non autem exigenda, loquuntur de exactione improba, & contra Iuſtitiam, ſiue quia cùm aliunde miniſtri ſint ratione beneficij obligati ad ea miniſteria exhibenda, petunt nihilominus ſtipendium; ſiue quia maius, quàm aut definitum fuerit, aut quàm ferant facultates eorum, à quibus exigunt; aut denique quia in modo exigendi, vel extorquendi potiùs, ſcandalum creant; vbi enim nimia eſt contentio, res ſpiritualis mercationi exponi videtur.

Dico tertio iuſtum ſtipendium miniſtrantium ſpiritualia, lege, aut

aut conſuetudine definiri poſſe.

Hæc aſſertio vniuerſalis negari nequit, ſi quæ enim circa hanc iuſti ſtipendij æſtimationem excitentur controuerſiæ, de modo huius definitionis, & variis legibus circa illam latis, atque iis quibus hæc facultas conuenit, diſputant,quas omnes difficultates ſingillatim in conſectariis ſingularibus magnam partem explicabimus; contendo duntaxat in præſentiarum, quantitatem iuſti ſtipendij lege Eccleſiaſtica definiri poſſe, & ita vt illud ſtipendium iuſtum eſſe cenſeatur, quod lege, aut communi hominum æſtimatione tale exiſtimatum fuerit. Et ſanè iam olim hæc ſtipendia ſancita fuiſſe docet *can.36.* Concil. Agathenſ. *Clerici omnes, qui Eccleſia vigilanter deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundum ſeruitij ſui meritum ſecundum ordinationem Canonum à ſacerdotibus conſequantur.* Deinde idipſum confirmat inſtitutio beneficiorum Eccleſiaſticorum, in qua certa pars redditutuum Eccleſiaſticorum certis miniſteriis ſpiritualibus aſſignata eſt, non in pretium eorundem miniſteriorum vt patet, foret enim Simonia: ſed in ſtipendia, & ſuſtentationem miniſtrorum. Denique capellaniæ, anniuerſaria, aliaque ſimilia, quibus ad certum numerum Miſſarum, aliaque diuina officia pro quantitate redditutuum obligantur, probante Eccleſia, capellani, & ſacerdotes idipſum oſtendunt. Accedit manifeſta ratio, cùm enim ex hac ſtipendij aſſignatione oriatur obligatio Iuſtitiæ, vti ex communi ſententia, atque ex ipſa natura ſtipendij diximus *concl.* 1. debet eſſe aliqua æqualitas inter ſtipendium, & ſuſtentationem, ad quam datur; ſiue inter id quod datur, in ſtipendium, & id ad quod datur; ea ferè ratione qua datur æqualitas inter pretium, & mercem, cum ſine proportione æqualitatis neque ratio Iuſtitiæ, neque medium ipſius inueniri queat. Atqui hoc medium non eſt ex natura rei definitum; ergò à publica poteſtate, aut communi hominum æſtimatione præſcribi iure poterit; neque ſanè negari poterit exiſtere in Eccleſia poteſtatem hæc ſtipendia definiendi, generalem quidem pro tota Eccleſia in ſummo Pontifice, & Conciliis œcumenicis; particularem autem pro ſingulis prouinciis in Epiſcopis, & ſynodis; quæ leges vbi defuerint, communis hominum æſtimatio, & conſuetudo idipſum præſcribet, vti in aliis omnibus contingit, & latè diximus *in opere de negotiatione*, & *in ſcientia canonica*, diſputantes de poteſtate ferendi leges Eccleſiaſticas. Quodſi neque lex, neque conſuetudo quidquam certi ſtatuiſſet circa hæc ſtipendia, tunc priuato pacto, attentis omnibus circumſtantiis, & expenſis æquitatis momentis, eadem quantitas ſtipendij definienda foret. Quæ omnia perſpicua ſunt.

Tota itaque difficultas eſt in aſſignanda ratione, ex qua æqualitas & Iuſtitia ſtipendij iſtius capienda eſt. Quarè

4. Dico quarto æqualitatem ſtipendij miniſtrorum ſpiritualium non eſſe commenſurandam cum miniſteriis ſpiritualibus exhibendis, putà recitatione diuinorum officiorum, Miſſæ ſacrificio, adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque eiuſmodi, ſed cum honeſta ſuſtentatione miniſtri, quæ pro diuerſa eius dignitate, & qualitate diuerſa eſſe debet.

Prima pars de non attēdenda commenſuratione miniſterij ſpiritualis

cum ſtipendio ad eius æqualitatem definiendam, certiſſima eſt, cùm enim ſtipendium non detur in pretium talis miniſterij, non requirit proportionem ſecundum quam illud miniſterium compenſari diceretur, quandoquidem pro ratione & dignitate miniſterij creſceret ſtipendium, & temporale, quod daretur: non diffiteor quidem maiorem dignitatem miniſtrorum, ex qua creſcit eorum honeſta ſuſtentatio, ex dignitate miniſteriorum Eccleſiaſticorum, quibus deputantur, oriri; ideóque plura ad Epiſcopi, Præpoſiti, & Decani, quàm ad ſimplicis ſacerdotis, Canonici, aut Clerici ſuſtentationem requirimus; non idcircò tamen ſtipendium propriè commenſuratur cum opere ſpirituali faciendo, quod ferè ſemper leuius eſt, ſed cum dignitate ex illo miniſterio reſultante, & cum apparatu, quo à ſuis miniſtris ipſum exhiberi vult Eccleſia; vnde facta fuit diuerſa illa bonorum, & redditũum Eccleſiaſticorum partirio inæqualis pro dignitatum, & officiorum inæqualitate. In qua tamen nunquam ſeruata fuit proportio, & commenſuratio, ſiue æqualitas pretij inter ſtipendium temporale, & opus ſpirituale, vti diximus alibi de varia inſtitutione beneficiorum diſputantes: quo etiam loco, quænam eſſet ſuſtentatio honeſta, & in quibus conſiſteret, quæſiuimus cum Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Anell. *lib.* 2. *de precipuo ſacerdotis officio. cap.* 7. *num.* 51. & aliis.

Ex quibus probata relinquitur prima pars noſtræ concluſionis, nimirum quantitatem iuſti ſtipendij commenſurandam eſſe cum honeſta ſuſtentatione miniſtri, à quo miniſterium ſpirituale exigitur; ſi enim illud miniſterium aut totum diem illum detineat, aut totum ipſum occupet, aut certo loco detineat, aut magnum apparatum, aut certam in miniſtro dignitatem requirat, creſcere debebit pro variis eiuſmodi circumſtantiis, quas omnes tum Prælatus, tum prudens vir, cum eius arbitrium quæretur, diligenter expendet, vt certum aliquid definiat, pro varietate quoque regionum, ac conſuetudinis. Atque ita facilè componentur variæ ſententiæ, quas adducit loco citato Anell. qui maximè diſputat de ſtipendio ſacerdotis obligati ad Miſſam faciendam, qua de re dicam iterum aliquid inferiùs.

Dico quinto poſſe miniſtros Eccleſiaſticos exigere etiam in foro ex- 5
terno, & via iudiciaria, ſtipendia ſibi aut lege, aut conſuetudine, aut priuato pacto conſtituta, poſt exhibita miniſteria ſpiritualia. Ita Alenſ. 2. *par. quæſt.* 167. *mem.* 4. *artic.* 1. Aluar. Pelag. *de planctu Eccleſ. part.* 2. *art.* 27. *num.* 19. Caietan. *in ſum. ver. Simon. Reg.* 4. Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Sebaſt. Med. *in ſum. peccato. tit.* 6. *de Auarit. quæſt.* 110. Bellet. *diſquiſit. Clerica. part.* 1. *de bonis Clerico.* §. 3. *num.* 18. Suar. *lib. de Simon. cap.* 47. Fraxinell. *de ſacerdot. obligat. ſect.* 3. *prænota.* 1. §. 2. atque alij omnes, qui obligationem naturalem ex Iuſtitia dandi ſtipendium miniſtranti, & viciſſim miniſtrandi ratione ſtipendij agnoſcunt, quos dabit *ibid.* Fraxinell. §. 1. *num.* 3. Bonacin. *diſput.* 4. *de Sacrament. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 2.

Ratio eſt, quia cùm hæc ſtipendia debita ſint tum ex Iuſtitia, tum ex lege Eccleſiaſtica, tum aliquando ex priuato pacto, meritò exiguntur; niſi peculiaris aliqua Eccleſiæ prohibitio,

hibitio, vti nonnunquam contingit, ſecus faciendum eſſe ſuadeat. Quo caſu committetur iniuſtitia, quia exigetur aliquid vt debitum, quod tamen reuerà debitum non eſt, & ideò ad reſtitutionem ita temporalia exigentes pro ſpiritualibus obligat Suar. *lib. de Simon.* 47. *num.* 6. non erit tamen Simonia ſaltem vera, quia reuerà nihil datur, aut exigitur in pretium ſpiritualis, ſed aut ratione conſuetudinis, quæ ſtipendia augere potuit, aut laboris extraordinarij, aut ad amicam communionem, aut ad pium opus, vt fabricam Eccleſiæ, vel ſupellectilem ſacram, aliúdve eiuſmodi; in foro tamen externo cùm eæ exactiones ſint prohibitæ, & aliunde ſint ſufficientes redditus, præſumetur Simonia: quid verò poſſit ea in parte conſuetudo, & quid ferant iſtæ prohitiones, quæ in iure reperiuntur, dicam inferiùs *conſect.* 11. ſingillatiùs.

CONSECTARIVM VII.

Quæſtiones ſingulares maximè circa ſtipendia Miſſarum explicantur ex ſuperiori conſectario

Ex doctrina hactenùs ſtabilita, & ex firmiſſimis deducta principiis plurimas quæſtiones, quæ quotidie circa iſta ſtipendia, aut eleemoſynas, quæ à fidelibus dari ſolent ſacerdotibus, vt pro ipſis celebrent, aliáve diuina officia faciant, & propter annuos redditus in Capellaniis, & beneficiis cum eadem obligatione relictos, excitantur, explicabimus.

Quarto quæritur, an quando Miſſarum ſtipendia lege, aut conſuetudine definita ſunt, poſſint maiora exigi?

1 Reſpond. & dico primo ſtipendia lege Eccleſiaſtica taxata iuſta eſſe, neque ſine iniuſtitia, & obligatione ad reſtitutionem, aliquid amplius exigi poſſe, quamuis ſi gratis, & nomine eleemoſynæ donetur, accipi poſſit, quod poſtremum nemo negabit. Primum autem illud affirmant Corduba. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 4. *dub.* 1. Aragon. 2.2. *quæſt.* 85. *art.* 3. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 4. *litt.* T. Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 1. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſput.* 86. *ſect.* 2. *con.* 1. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 232. Fagund. 1. *precep. Eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. qui alios dabit. Bonacin. *diſput.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 11. Ratio eſt, quia cum ſtipendium ex natura rei definitum non ſit, & Eccleſia poteſtatem habeat illud præſcribendi, quod ipſa ſuis legibus ſanciuerit hac in re, iuſtum eſſe cenſebitur, ac proinde ſi ſacerdos aliquid amplius exigat, nullo profectò iure exiget, niſi antiquatæ eſſent illæ leges, aut propter inſignem rerum mutationem factam communi hominum ſenſu, & æſtimatione, ſtipendium illis præſcriptum, quod quondam iuſtum, & ſufficiens cenſebatur, nunc minus haberetur; donec enim Eccleſia noua lege quidpiam ſtatuiſſet, exiſtimarem aliquid amplius exigi poſſe, quia licet nondum videatur antiquata ea lex, obligare tamen deſiit propter materiæ ipſius publicam mutationem; túncque ſtandum erit communi hominum æſtimationi, quamuis nondum fuerit inducta conſuetudo, quæ ad derogandum legi ſufficiat.

2 Dico ſecundo quando ſtipendia Miſſarum, aliorúmve diuinorum officiorum ſola conſuetudine, & communi fidelium æſtimatione, non au-

tem lege aliqua definita ſunt, habent latitudinem. Quod non modò verum exiſtimo reſpectu diuerſarum regionum, & temporum, vti concedunt Caietan. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. *ad* 2. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 78. Soto. *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *dubio*, *de valore Miſſæ. con.* 2. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 85. *artic.* 3. *dub.* 1. *de ſtipendiis.* & Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 4. ſed etiam reſpectu eiuſdem regionis, & temporis, ita vt poſſit aſſignari ſtipendium quoddam ſupremum, infimum, & medium. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 86. *ſect.* 2. *con.* 2. neque multùm abnuit Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 28. quia cùm æſtimatio hominum non ſit ſemper fixa & certa, quæ ab illa vna pendent, non poſſunt in indiuiſibili conſiſtere, quod videmus in pretiis rerum, quoties communi tantùm hominum æſtimatione præſcribuntur; eorum enim æqualitas, & Iuſtitia latitudinem ſuam habet, & ſupremum, infimum, atque medium conſtituit. Monendi tamen ſunt ſacerdotes, ne more tenerum venalium iſta tractent, & contentiosè ſummum ſtipendium exigant, id enim ſcandalo foret, & contra Religionem, licet non contra iuſtitiam.

3 Secundo quæritur. An qui initio fuit contentus infimo, aut mediocri ſtipendio, poſſit illud deinde pro arbitrio ad ſummum reducere, atque ita numerum Miſſarum, quas dicendas ſuſceperat proportione illius ſtipendij minuere.

Reſpond. non poſſe, & peccari in hac diminutione Miſſarum contra Iuſtitiam. Ita Suar. *diſp.* 86. *cit. ſect.* 2. *con.* 2. Anell. *cap.* 7. *cit. num.* 30. quia facit contra iuſtam dantis voluntatem, ac proinde rem alienam accipit inuito Domino: ſicut qui infimo pretio merces ſuas diſtraxiſſet, non poſſet deinde illud pretium ad ſummum reducere; eaque de cauſa vel partem mercium ſibi retinere, vel cariùs deinde illi vendere, aut aliqua alia occulta compenſatione vti. Idcirco ſapienter Congregatio Concil. Tridentin. *in decretis de celebratione Miſſarum editis authoritate vrbani VIII. an.* 1625. grauioris peccati damnauit, & ad reſtitutionem obligauit eos, qui numerum Miſſarum dicendarum imminuerint, neque tot dixerint, quot præſcriptæ fuerint ex attributis ſtipendiis, & eleemoſynis. De quo decreto plura inferiùs. quod valet etiamſi ſacerdos acciperet minus ſtipendium, quàm fuerit lege taxatum. Multò igitur magis vrgebit, dum iuſtum ſtipendium acceptum fuerit etiam infimum.

Tertio quæritur. Quodnam ſit iuſtum ſtipendium Miſſæ. 4

Reſpond. & dico, hoc ſtipendium non eſſe totam congruam ſuſtentationem diurnam ſacerdotis, vt v. gr. qui ſingulis diebus Miſſam facere tenebitur, debeat habere integram totius anni ſuſtentationem: quia actio celebrandi integrum diem non requirit, neque impedit, quominus honeſtas alias actiones ſacerdos exercere poſſit, ad quærendam ſui ſuſtentationem: Et ſanè praxis ipſa id euidenter docet, nullibi enim ea ſtipendia Miſſarum taxantur, quæ ad integram diei ſuſtentationem ſufficiant; præterquam quod aliud ſtipendium honorabiliori ſacerdoti, aliud alteri deberetur, & fruſtrà Trident. *ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 2. prohiberet ad ordines promoueri abſque ſufficienti beneficio, aut patrimonio, ne cogatur mendicare, quia ſolo ſacrificij ſtipendio commodè ſuſtentari poſſet: non debet tamen ita exiguum eſſe

hoc

hoc ſtipendium, vt tantùm contineat, quod neceſſarium erit ad ſuſtentationem pro portione temporis, quod in faciendo ſacro impenditur, ita vt ſi verb. gr. ſit duodecima diei pars, ſit quoque duodecima pars diurnæ ſuſtentationis, ſed vt ſaltem ſit mediæ diei ſuſtentatio, eò quod actio Miſſæ ad alias obliget, & prouidere debeat Eccleſia, vt honeſta ſit, & decens ſuſtentatio ſuorum miniſtrorum. Ita Suar. *tom. 3. in 3. par. diſput.* 86. *ſect.* 1. *con.* 3. Corduba. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 4. *dub.* 2. Vaſq. *diſput.* 234. *in 3. part. cap.* 3. *num.* 19. *&* 20. Azor 3. *par. lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 3. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 234. Fagund. *prec.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. Anell. *cap.* 7. *lib.* 2. *num.* 33. & alij contra Caietan. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *dub.* 1. De Graffis. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 96. *num.* 31. quibus cōſentiunt recentiores quidam Thomiſtæ apud Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 4. *litt. X.* & Petr. Nau. *de reſtitut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 325. qui omnia neceſſaria ad ſui, ſuorúmque, ſiue totius ſuæ familiæ ſuſtentationem diurnam pro ſtipendio vnius Miſſæ capi volunt; quibus proximè accedunt, qui hoc idem ſtipendium definiunt victu, veſtitu, & habitatione, quæ omnia ſignificant nomine ſuſtentationis honeſtæ, quam etiam integræ diei eſſe volunt. Ita Sotus. *lib.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 1. *dub.* 3. Aragoni. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3. *dubio. de ſtipendiis ad* 1. Henriq. *lib.* 9. *capit.* 22. *num.* 1. *& littera F.* Honcala. *tract. de valore Miſſæ. art.* 11. *&* 16. Can. *lib.* 12. *de loc. cap.* 13. & Angles *in ſentent. tit. de valore Miſſæ. art.* 2. *con.* 2.

Quarto quæritur, An poſſint Epiſcopi ita definire ſtipendia diuinorum officiorum, & Miſſæ, vt præcipiant, ne minus detur, aut accipiatur.

Reſpond. poſſe Epiſcopos ita definire eiuſmodi ſtipendia, vt fideles obligentur dare tantam ſummam, & non maiorē, & Clerici non teneantur pro minori ſumma ſacrum, aut aliud diuinum officium celebrare, neque poſſint exigere aliquid amplius, quàm quod præſcriptum fuit; non poteſt tamen ſtatuere, aut præcipere Epiſcopus, ne aut laici dent maiōra ſtipendia, aut Clerici minora accipiant, ſi velint. Hæc ſententia diſſidium authorum componit, eámque tradunt Cordub. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 4. *dub.* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3. *ſub fin.* Rodriq. 1. *par. ſum. cap.* 251. *conc.* 4. Suar. *tom.* 3. *in* 3 *part. diſp.* 86. *ſect.* 2. *con.* 1. & *lib. de Simon. cap.* 46. *num.* 14. Vaſq. *in* 3. *part. diſput.* 234. *num.* 6. Reginald. *lib.* 23. *num.* 241. Fagund. 1. *prec. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. alios allegans. Anell. *lib.* 2. *de offic. ſacerdot. cap.* 7. *num.* 26. Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vlt. punct.* 89. & alij.

Prima pars, nimirum præſcribi poſſe ſtipendium, ita vt illud, & non minus obligentur laici, & fideles dare, neque minus acceptare teneantur Clerici, quamuis maius præſcripto exigere minimè valeant. Eſt contra Nau. *cap.* 23. *num.* 106. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 44. §. 1. *num.* 7. Sylu. *ver. Simon. quæſt.* 11. *ver. quinto.* Tabien. *ver.* 17. Angel. *ver. Simonia.* 3. *num.* 10. quibus præiuit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 2. qui tamen omnes non videntur aliud velle, quàm quod fert ſecunda pars noſtræ aſſertionis; nam prior iſta cùm definiat medium, & æqualitatem Iuſtitiæ in hac materia, non poteſt non eſſe licita, cùm etiam per eiuſmodi legem præcludatur via iniquis exactionibus, & ponatur modus auaritiæ miniſtrorum, quibus nihilominus prouidetur

uidetur de ſufficienti ſtipendio, & congrua ſuſtentatione; & ſicut præfigitur terminus, vltra quem Clerici nihil amplius poſtulent, ratio, & æquitas exigit, vt fidelibus quoque terminus aliquis præfigatur, ne quolibet vili ſtipendio velint Clericos ſibi miniſtrare; & ſanè ſi per pactum priuatum conuenire licet de certo ſtipendio, quod deinde neque augeri, neque minui poterit, niſi ex mutuo, & libero conſenſu paciſcentium, cur idem per legem præſcribi nequibit, cùm aut decentia ſtatus Clericalis, aut fidelium ſordes, aut ſimile quidpiã id exiget? Neque alia de cauſa, quotam, vti nominant, decimarum definiuit, ita vt neque minorem dare, neque maiorem exigere liceat in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ; procurationes quoque dandæ viſitantibus taxantur, ita vt cogi poſſint ſubditi ad eam quantitatem. Vicariis tum conductitiis, tũ perpetuis certa fructuum portio aſſignatur à Trident. *ſeſſ.6.cap.2. de Reformat.* & *ſeſſ. 7. cap. 5. & 7.* Denique Iudex poteſt arbitrari poſt exhibitum miniſterium de debito ſtipendio, & cogere ſua ſententia ad ſoluendam certam quantitatem; quidni idem ad lites, & plurima alia incommoda vitanda, lex ſtatuet?

Secunda pars, nimirum ſtatutum, quod cogeret Clericos ad non celebranda diuina officia, & exhibenda ſacra miniſteria pro minori ſtipendio, quàm definito, aut prohiberet fidelibus, ne maiora ſtipendia donarent vltrò, illicitum fore, rectè dixit S. Thom. & DD. tum in aſſertione adducti, tum tanquam D. Thomæ ſectarij relati, qui non improbant niſi ſtatutum negatiuum, vt aduertit Fagund. quia lex poſitiua definiens ſtipendium, non prohibet actum fieri pro minori ſtipendio, ſicuti prohibet ſtatutum negatiuum, v. gr. ne fiat ſacrum niſi dentur decem aſſes, quia vt ait S.Thom. hæc ſanctio ſpeciem habet exactionis cuiuſdam, & ſacrum miniſterium videtur fieri venale, & præcluditur via charitati, atque impediuntur clerici, ne faciant non modò quod illis à iure conceditur, ſed quod cum eximia quadam laude præſtarent, nimirum exhibere gratis ſua miniſteria, quæ erat Pauli gloriatio; cur enim nequibit Clericus cedere iuri, quod habet exigendi ſtipendium, aut exigendi integrum? cur non poterit fidelis maius ſtipendium vltrò, & liberaliter dare? quæ enim cauſa eſſe poteſt cur opera miſericordiæ, & liberalitatis prohibeantur?

Quare ſi quod daretur eiuſmodi ſtatutum, nullum foret, neque obligaret; & qui illud violarent, neque peccarent, neque pænas excommunicationis, aliáſve ab eo impoſitas incurrerent, vti aduertit Anell. *cap. 7. citat. num. 27.* 6

Quinto quæritur, quid ſentiendum ſit de ſtatuto, quo cauetur, ne vlli Clerici, niſi talis Parrochiæ, aut Cathedralis, funeribus adſiſtant, & non niſi eo ſtipendio, non autem minori; ita vt neque liceat alios ad funus vocare, neque qui vocantur, poſſint aliquid minus accipere.

Reſpond. hoc ſtatutum, quod attinet ad poſteriorem eius partem, nimirum de certo ſtipendio, iam improbatum fuiſſe, ſi non relinquat Clericis libertatem cedendi ſtipendio, eiúſque parti: ſi autem obliget duntaxat fideles ad certam ſummam dandam, quoties talem Eccleſiam, & cætum conuenire voluerint, licitum eſſe. Itaque tota difficultas eſt de priori parte, & facultate conuocandi

di quoſcunque Clericos, modò ex ea conuocatione iura, & ſtipendia parrochialis, aut alterius Eccleſiæ non minuatur.

Hoc igitur ſtatutum damnant ſapienter Anton. Genuenſ. *in praxi Archiepiſc. cap.* 48. *num.* 5. Sylueſt. *ver. immunitas.* 2. *num.* 7. *& ver. Simonia, num.* 11. Soto. *lib.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 2. & Fagund. *cap.* 7. *cit. num.* 9. primo quia præcluditur via aliis celebrandi gratis, aut faciendi diuina officia, ſi velint. ſecundo quia ſtatutum quod reſpicit vtilitatem paucorum illud ſancientium, & non vtilitatem publicam, non valet tanquam ambitioſum. *l. ambitioſa ff. de decretis ab ordine.* tertio poſſe vocari ad ſepeliendos mortuos, & funeralia officia, eſt priuilegium totius ordinis clericalis, quod neque ab Epiſcopo, neque à conſuetudine ſine iniuria Eccleſiæ reſtringi, aut abrogari poteſt, quarto quia per illud ſtatutum impediuntur Clerici facere ea, quæ ſunt ipſis iure communi conceſſa. Quale ſtatutum violare libertatem Eccleſiaſticam dixit Felin. *in ca. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ. de conſtitutio.* quinto quia illud ſtatutum, ne poſſint alij clerici vocari ad dicendas Miſſas, & officia funeralia, redolet quoddam monopolium, & reſpicit tantùm priuatam paucorum quorundam vtilitatem, vt dixi, non publicam, & grauantur fideles, ne poſſint diſponere de ſuo, prout libuerit in vſum pium, & funus curare numeroſius, atque etiam ex multitudine pſallentium vtilius.

7 Sexto quæritur, an poſſint Epiſcopi, & Generales ordinum, minuere numerum Miſſarum, quando redditus ad eas relicti olim à fundatoribus beneficiorum, capellaniarum, anniuerſariorum, aliiſque, non ſunt modò ſufficientes.

Reſpond. eſſe hac de re decretum Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de reformat.* quod facit hanc facultatem, quod nos explicuimus *in opere de beneficiis* agentes de oneribus ex fundatione annexis beneficiis, vbi omnia, quæ hoc loco dubitari poterant, [illegible]uimus; quod etiam accuratè p[illegible]tit Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *ſoto d*[illegible] 7.

Septimo quæritur, an poſſit [illegible]cerdos pauper plura iuſta ſtipendia lege, aut conſuetudine definita, pro vna Miſſa ſimul ſuſcipere, ratione paupertatis; quod addo, quia non diſputo modò, an vnico ſacro ſatisfieri poſſit duplici ſtipendio, id enim inferiùs inquiram, ſed ſolùm an ratione paupertatis liceat aut maius ſtipendium, aut duplicatum accipere. 8

Reſpond. negando id licitum eſſe. Ita Nauarr. *cap.* 25. *num.* 92. *& cap.* 20. *de orat. num.* 48. *ſub fin.* Corduba. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 3. *opini.* 5. *con.* 5. *ſub initium. & §. tum ſecundo, & quæſt.* 4. *dub.* 2. *opini.* 2. Medin. *C. de oratione. quæſt.* 30. Rodriq. *qq. Regula. tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 17. *conc.* 2. Miranda. *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 41. *art.* 13. *cor.* 5. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 8. §. *vltimo.* Azor. *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Vaſq. *in* 3. *part. diſput.* 234. *num.* 15. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 232. *&* 234. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 86. *ſect.* 2. *con.* 4. *& ſect.* 4. Fagund. 1. *præce. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 7. Couarru. *in cap. Alma mater.* 1. *part.* §. 1. *num.* 5. Gutierres. *lib.* 1. *qq. Canonic. cap.* 29. *num.* 10. Poſſeuin. *de officio Curati. cap.* 2. *num.* 24. Fraxinell. *de obligatio. ſect.* 4. *con.* 1. §. 3. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 5. Bonacin. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 14. Anell. *cap.* 7. *lib.* 2. *de officio ſacerdo. num.* 38. Angles *in* 4. 1. *par. quæſt. de valore Miſſæ.*

artic. 2. *con.* 1. *append.* 3. Molan. *in Theologia prac. tract.* 4. *cap* 9. *conc.* 4. *num.* 8. Dias *monito. Curat. lib.* 2. *cap.* 17. Mazol. *Regul. ſacerdot. part.* 3. *de ſtatu. ſacerd. numer.* 16. Molfeſius *tom.* 1. *promptua. Int. tract.* 3. *cap.* 16. *num.* 17. Ioann. de la Cruz. *in Directori. conſc. de ſacrificio Miſſæ. dub.* 7. *con.* 4. Villalob. *tom.* 1. *tract* 8. *diffic.* 16. Diana *tract.* 24. 1. *par. de celebrat. Miſſarum. reſolut.* 8. Pitignian. *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 6. Nald. *ver. Capellania. num.* 11. contra Soto. *lib.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 1. & *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. Honcala. *opuſ. de Miſſa valore. à num.* 11. & 16. Tabien. *ver. reſtitutio. num.* 16. Can. *lib.* 12. *de locis, cap.* 13. Petr. Soto. *lect.* 7. *de Euch.* Nungri. *in* 3. *part. tom.* 1. *quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. Fernand. *in Examin. Theolog. par.* 3. *capit.* 5. §. 8. *numer.* 3. Ledeſm. *in ſumm. part.* 1. *de Sacram. Euchar. cap.* 18. *con.* 8. Rodriq. *tom.* 1. *ſumm. cap.* 251. *num.* 4. qui tamen loco ſuperiùs allegato ſibi contrarius eſt.

Probatur verò noſtrum conſectarium primo, quia vti iam diximus, ſacrificium non fuit inſtitutum ad ſuſtentandum, alendúmve ſacerdotem, ita vt ex illo ſolo ſibi ſuum diurnum victum, & honeſtam ſuſtentationem quærere debeat, quod malè ſupponunt aduerſarij, cùm idcircò prohibeat Trident. alioquem promoueri ad ordines, cui non ſit vnde viuat; & qui poſt ordines incidit in paupertatem, ſibi agricultura, aliàve arte victum quærere permittat *cap. clericus. diſt.* 91. Deinde iuſtum ſtipendium definitum tam tenue non eſt, vt non ſufficiat ad panem, & vinum emendum, quibus ſolis plures laici vitam ſuſtentant, vti obſeruauit Nauarr. Denique paupertas non dat ius accipiendi rem alienam inuito Domino, ſecluſa extremâ neceſſitate, & vendendi rem cariùs quàm valeat, cùm non augeat pretium rei ex parte vendentis. His omnibus accedit decretum S. Congreg. Conc. an. 1625. editum, quod omnibus plura ſtipendia iuſta pro vna Miſſa capi prohibet, quódque ad omnes ſiue pauperes, ſiue diuites, ſiue ſæculares, ſiue Regulares extenditur, quod annotat Fraxinell. *con.* 1. *citat.* §. 5. illud autem ſeueriſſimè mandat, tot dici Miſſas, quot ſtipendia collecta fuerint.

Octauo quæritur, an quando ſtipendia exigua ſunt, & iniuſta, poſſit ſacerdos ab vno, vel diuerſis tot ſtipendia accipere, quot neceſſaria ſunt ad vnum iuſtum, & integrum ſtipendium conflandum, atque pro illis omnibus vno ſacrificio ſatisfacere. 9

Reſpond. & dico, id fieri poſſe, modò ſacerdos non promiſerit pro ſingulis illis ſtipendiis diminutis ſingulas Miſſas. Ita Corduba. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 4. *dub.* 1. Rodriq. *tom* 1. *qq. Regula. quæſt.* 43. *art.* 17. *con.* 1. Miranda. *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 41. *art.* 23. *con.* 3. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 4. *ſub fin.* & *litt. T.* Suar. *tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 4. §. *vnde conſequenter.* Vaſq. *diſp.* 234. *in* 3. *part. num.* 18. Nungri. *de Sacram. tom.* 1. *part.* 3. *tract. de ſacrific. dub.* 9. *con.* 2. Honcala. *de valore Miſſæ. art.* 11. & 16. Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 39. Scortia. *lib.* 2. *de ſacrific. Miſſæ. cap.* 10. *numer.* 4. Dian. *tract.* 14. 1. *part. de celebratione Miſſ. reſolut.* 7. Ratio perſpicua videtur, non enim excedit Iuſtitiæ æqualitatem ſacerdos, neque iniuriam facit, ſed ſe ſeruat indemnem, quia ſibi ex lege, aut conſuetudine debitum ſtipendium capit; neque ille capiendo eiuſmodi exiguum

ſtipen

ſtipendium aut cedit iuri ſuo, aut ſe ad dicendam pro eo Miſſam ex pacto tacito obligauit, vti ſupponunt Fraxin. & aduerſarij; ſed ſolùm ſibi oblatam eleemoſynam acceptauit conſentaneè legi, neque decepit dantem. Idcircò quoties conſuetudo ea viguit, vt dicatur tantùm collecta pro iis, qui tenuem eleemoſynam dant, poterit vnica Miſſa omnibus ſatisfieri, vti conſuluit Nauarr. *conſil.* 8 *de celebratio. Miſſa. num.* 3. & Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Neque inter ſacerdotem pauperem, & diuitem hac in parte diſtinguendum quidquam eſt, vti faciunt Henriq. & alij, quod ſtatim confutabitur amplius.

Addidi nihilominus ſacerdotem tot Miſſas celebrare debere quot accipit ſtipendia etiam diminuta, ſi id promiſerit expreſsè, vel tacitè, quod Cord. Rodriq. Azor. & Vaſq. dicunt, quibus accedit Kon. *quæſt.* 83. *in* 3. *part. dub.* 10. *num.* 193. Fraxinell. *de obligatio. ſect.* 4 *con.* 1. §. 2. id enim vnum eius argumenta probant; eſtque euidentiſſima ratio, cùm enim quiſque poſſit cedere iuri ſuo, & teneatur promiſſis æquis, & iſte ſacerdos acceptando tenue ſtipendium pro Miſſa, ad eam faciendam pro dante, qui ea tantùm conditione dedit, ſeſe vltrò obligauerit, facit illi iniuriam, ſi non ſeruet datam fidem. Aduertẽdúmque diligenter eſt, quod ſæpiùs monui, pactum implicitum ad hanc obligationem ſufficere; illud autem ſæpiùs interuenit, quia cùm dans tenue ſtipendium ſacrum ſibi ſoli poſtulet, idque intelligat ſacerdos, qui illud fingit ſe acceptare eadem conditione, & ſub eodem onere, quo datur, reuerà, aut tacitè paciſcitur cum dante, aut id fingit, atque ita illum decipit; quare ſi deinde Miſſam non faciat, illi iniuriam facit, vt patet. Immò neque licitam eſſe ea in re amphibologiam, ita vt dans ſtipem, exiſtimet te illi promittere Miſſam, cùm tamen tantùm orationem, aut commemorationem ſpondeas, rectè aduertunt Azor, & Alphonſ. Leo infrà adducendi. Eáque de cauſa S. Congregatio. *in illo decreto an.* 1625. ſub interminatione diuini iudicij mandat, vt quæcunque ſtipendia etiam incongrua, & exigua data fuerint, tot Miſſæ celebrentur: loquitur enim de ſtipendiis quamuis tenuibus, quæ cum ea obligatione relicta ſunt à fundatoribus, atque acceptata; quia, inquit, alioquin non ſatisfaciunt obligationi contractæ, & ad reſtitutionem tenentur: Quæ, vt vides; obligatio contrahi non potuit niſi ex pacto ſaltem implicito. Quare qui capellaniam diminuti ſtipendij acceptauit, obligatur ad celebrandas omnes Miſſas ſecundùm inſtitutionem, donec illarum numerus ab Epiſcopo legitimè fuerit imminutus, vt Azor. *cap.* 6. *cit. quæſt.* 4. & Henriq. aduertunt, quia nimirum ad id ſeſe ſponte obligauit. Idem probat pluribus Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 96. Idcircò Fraxinell. §. 2. *cit. num.* 7. concedit, ſacerdotem, qui plures Miſſas promiſit pro ſtipendio, quod iuſtum eſſe exiſtimauit, vbi comperit eſſe inſufficiens, poſſe reducere Miſſas ad iuſtum iſtud ſtipendium, modò moneat alium, ſe tot tantùm Miſſas celebraſſe, vt ſibi prouideat; quia ſacerdos ille fuerat læſus inuitus, & irrationabiliter; itaque iuri ſuo conſulit, infertúrq; damnũ animabus ab illo, qui tenue ſtipendium in charta v.gr. occultauerat tanquam ſufficiens pro numero Miſſarum, quem irrationabiliter popoſcit. Idémque in eo caſu

 ſentiunt

ſentiunt Azor. *cap.6.cit. quæſt.3.* qui vult tunc ſacerdotem implorare iudicis officium, & Alphonſ. Leo. *de offic. & poteſtat. confeſſa.tempore I. bilei. par. 3. num.23. ver. expenditur.* Moneo denique cum Suar. *loc.cit.* quoties ſacerdos ratione paupertatis cogitur illud tenue ſtipendium acceptare, non teneri illo ſuo pacto, & in rigore Iuſtitiæ ſeruare, ſe indemnem præſtare poſſe, vt videmus in famulo, qui coactus fuit paciſci de iniuſto ſtipendio, aut alio, qui mercem, vt triticum, iniuſto pretio emere compulſus fuit. Neque Fraxin. & Homobon. 1. *part. Exam. Eccleſ. tract. 4. cap. 13. quæſt. 118.* & alij, qui ex hac promiſſione argumentãtur, diſſentiunt opinor; loquuntur enim de ſpontanea, & libera omninò promiſſione.

10 Nono quæritur, an ſacerdotes diuites ſtipendia pro Miſſis celebrandis accipere, aut poſtulare, & demum de illis paciſci valeant?

Reſpond. hæc omnia licita eſſe. Ita S Thom. *quodlib.6. art.10.* Sotus. *lib.9. de Iuſtitia. quæſt. 3. art.1. ante ſolutionem 1. argum.* & *quæſt. 6. art. 4.* Nau. *cap.23. num.102. ver. ſexto.* Anton. Cord. *lib. 1. qq. Theologic. quæſt.4. dub.2.* Aragon. *2.2. quæſt.85. art.3. dub. de ſtipend.* Fagund. *1. præc. Eccleſ. lib.4. cap.8. num. 2.* Vaſq. *in 3. part. diſp.234. num.2. & num. 8.* Henriq. *lib.9. cap.22. num.1. & litt. G.* Suar. *tom. 3. in 3. part. diſp.86. ſect. 3.* Azor. *lib. 2. cap. 6. quæſt. 2. 3. parte.* Petr. Nau. *lib.2. de reſtitut. cap.2. num. 305.* Fraxinell. *de obligat. ſect. 3. prænot.1. §. 4.* Molfeſi. *in promptuario iuris tom.2. tract.3. cap. 10. num. 14.* Poſſeuin. *de officio Curati capit.2. numer.20.* Kon. *3. part. quæſt. 83. art. 1. dub.11. con. 2.* Bonacin. *diſput. 4. de Sacram. quæſt. vltim. punct.8. num.7.* de Lugo. *diſput. 21. de Euchar. ſect.1. num.18.* Anell. *lib.2. de offic. ſacerd. cap.7. num. 58.* contra Antoni. *2. part. tit. 1. cap. 5. §.16.* Sylueſt. *ver. Simonia, quæſt. 3. Regula. 3.* Iacob. Graffiis. *part.1. deciſ. lib.2. cap.96. num.32.* qui damnant auaritiæ. Caietan. verò. *2. 2. quæſt.100. art.2. dub.1. fin.* mendacij, immò & cuiuſdam Simoniæ. *ver. Simonia. Regula 4.* cui fauet S. Thom. *in 4. diſt.25. quæſt.3. art.2. quæſt.1. ad 4.* Verùm Simoniam omnem abeſſe cum ſtipendium non detur in pretium Miſſæ, ſed in ſuſtentationem miniſtri iam diu conſtat; iniuſticiam quoque nullam reperiri, ex eo probatur, quod quiſque dignus ſit ſuis ſtipendiis, ſiue diues, ſiue pauper ſit; hæc enim extrinſeca ſunt ſtipendiis, quæ non definiuntur præcisè ex paupertate, & diuitiis laborantium; neque tenetur miles diues ſuis ſtipendiis militare, aut ſacerdos aliunde ſe, quàm ex ſuo miniſterio ſuſtentare. Vnde etiam ſequitur, non eſſe auaritiam, quod quis debita ſibi ſtipendia poſtulet.

Ineptè verò obiiciunt aliqui *C. Clericos. C. paſtor. C. ſi quis. 1. quæſt. 2. cap. illa autem. cap. ſi priuatim. 12. quæſt.1.* & *cap. vltim. 16. quæſt. 1.* quæ negant Clerico habenti vnde ſuſtentetur, licere ſtipendia Eccleſiaſtica accipere; nam præterquam quod hæc capita ex variis Hieron. Auguſt. & Proſperi locis malè collecta ſunt à Gratiano, neque proinde vim vllam legis Eccleſiaſticæ habent, vti monuimus *in ſcientia canonica*, & obſeruauit quoque Suar. *lib. de Simon. cap.46. num.7.* agunt potùs hi PP. de iis, quæ decerent, aut quorundam Clericorum inhiantium Eccleſiaſticis bonis cupiditatem arguunt, indicántque antiquum morem, in quo

dum

dum allegebantur in Clericos viri diuites, non veniebant in communionem bonorum Eccleſiaſticorum, quæ communia erant, & pro ſingulorum indigentia diuidi ſolebant.

11 Decimo quæritur, an liceat beneficiatis Miſſarum ſtipendia accipere.

Reſpond. quoties beneficiati, vel capellani tenentur ſacrificia pro certis quibuſdam ratione ſui beneficij, vel capellaniæ, applicare, nequeunt pro aliis ea facere, neque ea de cauſa ſtipendia quærere; alioquin quamuis eodem die teneantur celebrare, ſi libera ſit illis intentio, ſiue applicatio ſacrificij, pro eo ſtipendium iure capient. Ita Fraxin. *de obligat. ſect.* 4. *con.* 4. §. 8. *num.* 1. Homob. 1. *part. Exam. Eccleſ. tractat.* 4. *quæſt.* 121. Alphonſus de Leon. *tract. de Iubil. part.* 3. *num.* 32. Bartholom. à S Fauſto. *tract. de Iubil. lib.* 1. *quæſt.* 81. à Cruce *in Bullam cruc. diſp.* 3. *dub.* 19. *num.* 22. Turrian. 2. *par. diſput. ſelecta. diſp.* 31. *dub.* 16. Suar. *diſp.* 86. *cit. ſect.* 1. *&* 3. Vaſq. *diſp.* 234. *cap.* 6. Anell. *lib.* 2. *de offic. ſacerdot. cap.* 7. *num.* 60. de Lugo. *diſput.* 21. *de Euchar. ſect.* 1. *num.* 21. contra Gauant. *in Rubric. Miſſal. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 5. Bonacin. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 3. Barboſ. *de officio Parroch. cap.* 11. *num.* 11. Dian. *tract.* 14. *de celebrat. Miſſarum. Reſolut.* 80. Ratio communis noſtræ ſententiæ eſt, quia licet hic beneficiatus habeat ex ſuo beneficio congruam ſuſtentationem, teneatúrque Miſſam illo die facere, non prohibetur tamen ſtipendium pro Miſſa, quam alteri applicat, accipere; ſicur neque tenetur ſacerdos diues carere ſuo ſtipendio, & eleemoſyna iſta manuali, maximè cùm dantes ſciant eiuſmodi ſacerdotes beneficiatos eſſe, atque etiã ad ſacrificium obligatos. Redditus autem capellaniæ, & beneficij dantur pro onere obligationis antecedentis, qua tenetur tali loco, & tempore paratus eſſe ad ſacrificandum, quod onus æſtimabile eſt, vt aduertit Lugo. Decretum autem Congreg. ann. 1626. ad dub. 4. ſup. decret. *de celebrat.* quod in contrariam ſententiam traxit aduerſarios, agit de iis, qui obligantur applicare pro certis perſonis ſuum ſacrificium, nam illud idem aliis applicare nequeunt, alioquin per vnum ſacrum pluribus ſatisfacerent, quod non licere dicemus inferiùs. Quando igitur in fundatione capellæ, aut beneficij imperatur ſacrum non pro applicatione ſacrificij certæ perſonæ, ſed ad cultum alicuius Eccleſiæ, altaris, vel ſancti, aut commoditatem populi, poterit pro eo ſacro capi ſtipendium ab alio, qui ſibi applicari popoſcerit, vt aiunt Alphonſ. de Leon. & DD. laudati. In dubio autem præſumitur imperatum ſacrum pro applicatione ſacrificij, & niſi clara verba fundationis aliud exprimant, quia præſumitur fundator ſibi meliori modo quo licuit conſuliſſe; itáque fert communis fidelium vſus, vt ſacrificium, pro quo ſtipem dant, ſibi, aut alicui alteri, quem deſignant, applicari velint. Additque Fraxinell cum eod. Alphonſ. in confraternitatibus, quæ feſtis diebus poſt decantatum officium, Miſſam à Capellano ſibi dici curant, ex communiſſima praxi recepta non imponi obligationem capellano eam Miſſam confraternitati applicandi. Sufficit quoque tacitus conſenſus eius, qui, vti iam monui, dat illi, quem ſcit obligatum ad dicendam Miſſam pro alio, ſtipendium, vt pro ſe oret, aut vt collectam dicat, qui conſenſus

tacitus non facilè præſumendus eſt, cùm non ſit admodùm frequens, quod monuit Nauar. *conſil.*1. *de celebrat. Miſſar.*

Quare quoties ad aliquam Eccleſiam ingens eſt quotidiè populi concurſus, qui ſtipendia ad Miſſas dicendas largitur, cùm tamen pauci inibi ſint ſacerdotes, qui illi Miſſarum multitudini, quæ poſtulatur non ſufficiant, negat ſapienter Fraxinell. præſumendum eſſe tacitum conſenſum dantium hæc ſtipendia, quaſi velint ſolùm pro ſe orari, aut collectam in Miſſa recitari à ſacerdote, atque ita paucis Miſſis omnibus illis, & ſingulis obligationibus ſatisfiat, quia Ruſtici, & ſimplices Miſſam poſtulant; neque aliud cogitant de ſacerdotum obligatione, aut eorum numero. Viri autem ſapientes exiſtimant, ipſos per ſeſe, aut per alios tandem ſatisfacturos.

12 Vndecimo quæritur, an Parrochis liceat accipere Miſſarum ſtipendia.

Reſpond. dubium iſtud ex ſuperiori ſolutum manere, eadem enim diſtinctione vtendum eſt, nimirum iis diebus, quibus non obligabitur Parrochus ſacrificium offerre pro ſuis ouibus, etiamſi teneatur Miſſam facere, poterit pro aliis offerre, & ab illis ſtipendia capere: quando autem offerre pro ſuis ouibus debebit, tunc neque à ſuis paræcianis, neque ab extraneis accipere ſtipendia poterit, niſi ipſi tacitè, aut expreſsè conſenſerint, vt ſimul pro ipſis offerat, quia nolunt ab alio, quàm ab eo fieri illa ſacra, atque illis ipſis diebus, quibus ſciunt offerre ex obligatione pro ouibus. Hæc doctrina probatur eadem ratione, qua ſuperius conſectarium, traditurque ab iiſdem DD.

Difficultas ſolùm modò reſtat, an vi ſui beneficij teneatur Parrochus quotidiè pro ſuis ouibus offerre, aut ſaltem quoties ex munere ſuo celebrare debet.

Et mihi quidem certum eſt, neque ad quotidianam celebrationem illum teneri, ſed ſolùm illis diebus, quibus populus tenetur ſacro intereſſe, neque etiam tunc ſemper pro ſuis ouibus offerre debere. 13

Primum de celebratione facienda, quoties populus intereſſe debebit ſacro, traditur ab omnibus, & ſignificatur à Trident. *ſeſſ.*23.*cap.*14. *de reformat.* ex munere enim obligatur ad ea omnia præſtanda quæ in regimine ſpirituali ouibus eius ſunt neceſſaria; quarè ſi ipſe nequiret celebrare, deberet per alium id procurare: quotidianam tamen celebrationem non eſſe impoſitam præcisè ex vi huius muneris, niſi aut peculiari fundatione, aut conſuetudine, aut lege Epiſcopi propter ſufficientes redditus, & frequentis populi deuotionem præſcripta fuerit, vti ex cauſis enumeratis iuſte quoque præſcribi poſſet, ex eo probant DD. quod cùm oues non teneantur ad Miſſæ auditionem, non dicetur Parrochus defuiſſe in neceſſariis, quando eo die non celebrauerit ſacrificiũ.

Alterum erat, non obligari etiam illis diebus, quibus celebrare tenetur, pro ouibus ſuis ſacrum offerre, quod docent Maior. *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. §. *contra hanc concluſionem.* Nauarr. *cap.*25. *num.*134. *ver. vigeſimotertio peccat.* Cordub. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.*4. *dub.*5. Nald. *ver. Parrochus. num.*19. Henriq. *lib.* 9. *cap.*22. *num.*6. Vaſq. *in* 3. *part. diſput.*134.*num.*27. Suarez. *tom.*3. *diſput.* 86. *ſect.*1. Fraxinell. *ſect.*3.*prænotat.* 2. §. 2. Molfeſi. *tom.*1. *promptua. tract.*3.*cap.*15. *num.*42. Ioann.

de

de la Cruz. *in directorio conſcientiæ. quæſt. de ſacrificio Miſſæ. dub.* 8. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 14. *num.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *ſum. cap.* 251. *con.* 1. Riccius. *in deciſio. Curiæ Neapolita. par.* 4. *deciſ.* 201. Anell. *lib.* 2. *cap. de offic. ſacerdot. cap.* 7. *num.* 66. Barboſa. *de officio Parrochi. cap.* 11. *num.* 10. Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Qui omnes dicunt, attendendam eſſe conſuetudinem, legem ſynodalem, aut Epiſcopalem, & denique arbitrium boni viri, vt definiatur, quoties, & quando teneatur pro ſuis ouibus offerre, cùm ad id præcisè non obligetur ex munere Parrochi, aut iure primitiarum, decimarum, aliarúmve prouentuum beneficialium. Contra Sot. *lib.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 1. & *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *propoſit.* 2. & Sà. *ver. Miſſa. num.* 4. Et quidem hanc obligationem non licet colligere ex ipſa natura rei, ſiue ex inſtitutione beneficij curati, finis enim illius eſt, animas doctrina, & Sacramentorum adminiſtratione paſcere, non pro illis ſacrificium offerre, valdéque diuerſa ſunt, teneri ad faciendam Miſſam, cui populus adeſſe poſſit, & teneri ad offerendam eam Miſſam pro populo. Ad primum obligatur quidem Parrochus, & ad eius idcircò ſuſtentationem dantur ipſi certi prouentus; non verò ad ſecundum illud aſtringitur, neque id munus paſtoris ex natura ſua poſtulat, alioquin quãdo morbo impeditus per aliũ curat fieri ſacrum, non ſatisfaceret ſuo muneri, niſi illud quoque ſacrum ſuis ouibus applicari curaret. Ipſi quoque Epiſcopi pro ſua diæceſi, Prælati Regulares pro ſuis ſubditis, & Pontifex pro vniuerſali Eccleſia tenerentur ſacrificare, quod nullus dixerit: nulla etiam eiuſmodi eſt conſuetudo ſaltem vniuerſalis, quæ etiam non obligaret ſub mortali, vti aduertit Fraxinell. ex Poſſeuino. *de officio Curati. cap.* 2. *num.* 4. ius denique poſitiuum, quod hanc obligationem indicat Parrochis, nullum omninò affertur; quod enim dixit Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* diuino præcepto mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa fuit, oues ſuas cognoſcere, & pro his ſacrificium offerre, intelligendum eſt ex Fraxinell. de obligatione offerendi ſacrificium, cui illi poſſint intereſſe, non autem de obligatione cum applicatione pro ipſis; aut ſi de obligatione applicationis accipere velis, Concil. non ſignificat, niſi indefinitam quandam obligationem, ita vt aliquando ad eam oblationem ſacrificij, pro ſuis teneatur, quod nos minimè diffitemur, ſed eam definiri volumus conſuetudine, aut lege, aut prudentis arbitrio, quod iam monnimus cum Barboſa, Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 5. & Alphonſ. de Leon. *tract. de Iubilæo. par.* 3. *num.* 21.

Vidimus hactenùs, quænam ſint iuſta ſtipendia, & quomodo definiantur, & quinam illa capere queant. Inquirendum itaque reſtat, an augeri, vel geminari poſſint, & quamnam obligationem imponant miniſtro, vel ſacerdoti illa percipienti; quod verò de ſtipendiis Miſſarum ſtatuimus, idem de ſtipendiis cæterorum diuinorum officiorum, ſeruata proportione, dicendum fuerit.

Duodecimo itaque quæritur, an 14
pro vna Miſſa plura ſtipendia adæquata accipi poſſint.

Reſpond. non poſſe; quam doctrinam ita communem eſſe dixit Suar. *tom.* 3. *in* 3 *part. diſp.* 86. *ſect.* 2. *con.* 4. vt nullus contrarium ſenſerit; nam

nam neque Caietan. qui in contrarium afferri ſolet, formaliter, & directè, ſiue practicè id docuit, quod Suar. & Ledeſma *in ſum. de Euchar. cap.* 18. *con.* 10. aduertunt, licet aliquam aliam doctrinam, ex qua iſtud ſequi videatur, fuerit amplexus Nauarr. noſtram hanc ſententiam iure merito vſu Eccleſiæ receptam eſſe monuit *cap.* 25. *num.* 92. & *conſil.* 8. *de celebrat. Miſſar.* contrariam verò iniquam, & impiam, & eorum, qui quæſtum putant eſſe pietatem, ſcripſit Honcala. *opuſc. de valore Miſſæ. art.* 11. *ſub fin.* non minimum inter populares ſcandalum excitaſſe queritur Angles. *in* 4. *quæſt. de valore Miſſæ. art.* 2. *circa initium.* nec modicam ſordidæ cupiditatis & auaritiæ ſuſpicionem ingeſſiſſe hominum animis, dixit Barboſa. *de offic. Epiſco. allegat.* 24. *num.* 5. Denique falſiſſimam, & dignam, quæ cenſurâ à ſummo Pontifice configatur, quam mirum ſit à viris Chriſtianis tradi, maximè vulgari idiomate; vnde factum, vt aliqui pluribus animo difficultatibus inſtante morte angerentur, ſcribit Villalob. *tom.* 1. *tract.* 8. *difficult.* 16. *num.* 1. Et ſanè cùm iuſtum ſtipendium iam definitum ſit, non poterit abſque iuſtitia terminus ille excedi, modo ſuperiùs explicato, *quæſito* 1. Deinde ſtipendium datur titulo ſuſtentationis miniſtri pro toto miniſterio, vbi itaque illam accepit, non poteſt denuò eodem titulo, & pro eodem opere ſuam ſuſtentationem exigere. Committit prætereà manifeſtam inæqualitatem, & iniuſtitiam hic ſacerdos, quandoquidem pro Miſſa, quam iam vni debet ex Iuſtitia, ſtipendium aliud accipit, nam ſic duplicem obligationem, Iuſtitiæ vna actione implere vult vt dicam *quæſt. ſequenti*; neque duo tantum aut tria, ſed etiam mille ſtipendia pro vno ſacro liceret accipere, ſi enim ex valore infinito ſacrificij velim omnibus ſatisfieri, ſatisfiet infinitis, quod iterum vrgebimus ſtatim. Denique acceptis pluribus ſtipendiis pro vna Miſſa facile poſſet ſacerdos vitam etiam ſplendidè ſuſtentare; neque eſſet, quod Tridentinum vſque adeò ſollicitum eſſet de non promouendis iis, quibus non fuerit ex patrimonio, aut beneficio, vnde viuant; non enim verendum erit, ne mendicato viuant, cum ita geminatis ſtipendiis Miſſarum, & diuinorum officiorum, non exiguas opes colligere facilè valeant.

Decimotertio quæritur, an vna Miſſa ſatisfieri poſſit pluribus ſtipendiis iuſtis, & adæquatis, quæ pro pluribus Miſſis dicendis data ſunt, maximè quando Miſſæ ſunt eiuſdem rationis, & æqualitatis. 15

Huius quæſtionis explicationem vulgò petunt DD. ex alia, nimirum ex finito, aut infinito valore ſacrificij, qui enim infinitum valorem actualem agnoſcunt, illi concedunt vnicam Miſſam æquè cunctis prodeſſe, atque ſi pro vno tantùm offerretur: atque adeò abſque vlla iniuſtitia poſſe plura ſtipendia, & *pitantias* à pluribus ſingulas Miſſas poſcentibus capi, illiſque omnibus deinde vnica Miſſa ſatisfieri. Ita Caietan. aliique relati à Fagund. 1. *præc. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. & *cap.* 8. *num.* 9. Alij verò, qui ex communiori ſententia contendunt effectum ſacrificij ex Chriſti determinatione eſſe finitum, quos dabit idem Fagund. *numer.* 8. *capit.* 6. negant quoque vnum ſacrificium æquè prodeſſe pluribus, atque vni ſoli pro quo offerretur, & vna Miſſa pluribus ſtipendiis ſatisfieri. eos enumerat

rat Fagund. *capit.* 8 *citat. num.* 10.

Mihi verò ab hac quæſtione abſtinendum videtur hoc loco, vt quæ nihil faciat ad difficultatem propoſitam; non enim idcircò poterit duplex ſtipendium ſuſcipi pro vna Miſſa, & pluribus, qui totidem Miſſas popoſcerant, ſatisfieri, quia valor, & effectus Miſſæ eſt infinitus, & ſingulis æque illa profuit, atque ſi plures dictæ fuiſſent; quia ſtipendium non comparatur cum valore, & effectu Miſſæ, neque pro eius maiori, aut minori parte creſcere, aut minui debebit, capi, aut retineri, vel reſtitui, ſic enim venderetur Miſſa, & cætera diuina officia, vti diximus *Conſectar.6.* ſed pro ſola ſuſtentatione Miniſtri datur, cum qua etiam comparari debet; ſiue igitur miniſterium ſacrum mihi ſoli proſit, ſiue aliis ſimul, ſiue mihi ſit vtile, ſiue inutile, debeo ſtipendium illud exercenti, quia dignus eſt operarius cibo ſuo, vt inquiebat Chriſtus; tenetur quidem ex Iuſtitia mihi laborare, & miniſterium ſacrum mihi applicare, ſiue mei cauſa exercere ille, quem ea de cauſa dono ſuo ſtipendio, non idcircò tamen eius miniſterij aut applicationem aut effectum emo, aut cum ſtipendio ita compono, vt cum ipſo adæquem, ſed cum ſuſtentatione neceſſaria ad tale miniſterium exercendum; aliunde igitur quam ex infinito, vel finito effectu ſacrificij æſtimanda erit controuerſia propoſita. Quarè

Dico, neminem, qui cepit plura ſtipendia pro dicendis pluribus Miſſis, ſatisfacere diuerſis illis obligationibus vnica Miſſa. Quæ doctrina ex tribus proximis *qq.* colligitur, & latiſſimè probatur à Fraxinell. *ſect.* 4. *con.* 2. *& tota ſect.* 6. vbi plurima aduerſariorum argumenta confutat. Ratio verò euidens eſt, quia iniuſtitiam committit, quandoquidem iuſtum ſtipendium ad ſui ſuſtentationem definitum excedit, vt tandem fatetur nobis alioquin aduerſarius Petr. Nau. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *n.* 330. *& ſeq.* accipitque plura ſtipendia à rationabiliter inuitis, qui ad ſingulare miniſterium illud, ſuſtentationem ſuppeditarunt. Secundo egit cum pluribus iſte Sacerdos, & cum ſingulis de ſingulis Miſſis pactus eſt, atque eam in rem ſingula ſumpſit ſtipendia; ergo plures obligationes diſtinctas eiuſdem generis contraxit, quas non implet reuerà, dum vni dat illud ipſum, quod debetur alteri, & ſaltem fidem datam violat, & fraudat intentionem illorum, quibuſcum egit, quilibet enim vult habere Miſſam totam pro ſe, quanta quanta eſt. Accedunt omnia illa incommoda, quæ *in quæſtione ſuperiori* DD. afferebant ex duplici ſtipendio pro vna Miſſa, nam non modo plura eiuſmodi ſtipendia accipiuntur in iſto caſu, ſed etiam vna actione pluribus obligationibus, ſingulas actiones poſcentibus ſatisfit. Vſus profectò Eccleſiæ, & communis fidelium ſenſus contrarius eſt, neque enim tibi darent ſtipendium, ſi ſcirent iam te eſſe obligatum ad dicendam pro alio Miſſam, niſi ſcirent te plures Miſſas dicturum: Immò cum Trident. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 4. concedit Epiſcopis in Synodo diœceſana, & Generalibus Regularium in capitulis generalibus numerum Miſſarum ex fundationibus relictum, dum illi ſatisfieri nequit, ex parte minuere, ſatis indicat, non licere cuilibet ſacerdoti pluribus eiuſmodi obligationibus, vnico ſacrificio ſatisfacere; adde quod infinitis obligationibus & ſtipendiis vnicum ſacrificium corref-

ſponderet, quæ omnia abſurda ſunt. Denique decretum Congregationis an.1625 ad reſtitutionem obſtringit eos omnes, qui vnica Miſſa pluribus ſtipendiis ſatisfecerint.

Hinc reiicitur, quod Petr. Nau. *lib.*2. *de reſtitut. cap.* 2. *n.*247. Philiarch. *part.*1. *lib.*2. *cap.*14. Molfeſi. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*15. *n.*40. Naldus. *ver. Miſſa. n.*12. & alij, quos dabit Diana *tract.*14. *de celebrat. Miſſa. Reſolut.*14. exiſtimarunt poſſe plura ſtipendia pro vna Miſſa ſumi, ſi ſacerdos vni applicet partem fructus ſibi obtingentem, alteri verò partem ſolitam; nam neque certum eſt, an illa pars, quæ obtingit offerenti ſit applicabilis alteri, & quiſque ſibi poſtulat totum ſacrificij fructum, quem percipere poteſt, ſibi applicari, & non datur ſtipendium pro ratione partis ſacrificij, aut fructus eius, alioquin committeretur ſimonia, & idcircò inde peti non debet iuſtitia, & æqualitas plurium ſtipendiorum, quorum ſingulis pars fructus ſacrificij reſpondeat. Quare noſtram hanc ſententiam tradunt Corduba. *lib.* 1. *qq.q.*3. *notat.*3. Angel. *ver. Miſſa n.*52. Suar. *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*79. *ſect.*9. *dub. vlt.* Mirand. *tom.*1. *Manual. q.*41. *a.* 17. *ſub fin.* Anell. *lib.*2. *cap.*7. *n.*102 Vbi contrarium ſententiam negat eſſe in praxi tutam, cùm ſit contra communem Eccleſiæ vſum, & videatur damnata in decreto Congregat. anno 1625. §. 3.

16. Decimoquarto quæritur, an ex diſpenſatione Pontificis plura adæquata ſtipendia pro vna Miſſa capere liceat.

Reſpond. negatiuè, quamuis poſſit tum Pontifex, tum Epiſcopi, atque Generales Regulares numerum Miſſarum debitarum minuere iuſtis ex cauſis. prima pars Pontificem non poſſe permittere, vt plura ſtipendia adæquata pro vna Miſſa accipiantur inuitis dantibus, traditur à Sylu. *ver. Papa. q.*12. & 13. Cordub. *lib.*1. *qq.q.*4. *dub.*3. Aragon. 2.2. *q.*85. *art.*3. *dub. de iuſto Miſſæ ſtipendio poſt ſolution.*4. *argum.* Roderiq. *q.*43. *art.*17. *con.*3. Suar. *tom.*3. *diſp.*86. *ſect.*4. Qui omnes, aliique paſſim negant hanc diſpenſandi facultatem Pontifici niſi ſit rationabilis aliqua cauſa, quia nequit diſponere de alienis bonis inuito Domino; neque in lege diuina, & naturali diſpenſator eſt, neque habet dominiũ contractuum humanorum, ſed tantùm Iuriſdictionem ad debitam eorum gubernationem, quatenus ad finem ſupernaturalem neceſſarium eſt. Vt igitur in diuino, aut naturali iure aliqua ratione diſpenſet eo modo, quo diximus *in ſcientia canonica*; neceſſaria eſt aliqua cauſa, quę diuinum cultum reſpiciat, qualis erit ingens aliqua Eccleſiæ vtilitas, aut neceſſitas, propter quam teneantur contrahentes de ſtipendio, quod dant, cedere ſuo iuri. Quæ doctrina communis omninò eſt; at verò nunquam talis cauſa contingere poteſt, vt aliqua Eccleſia poſſit plura ſtipendia adæquata in præiudicium tertij accipere, quod ſapienter annotauit Anell. *lib.*2. *cap.*7. *n.*94. quia cùm poſſit ſtipendium iuſtum definire; ſi ſuſtentatio debita miniſtris Eccleſiæ requirat maius ſtipendium, illud augere quidem poterit, non tamen diſpenſare, vt plura ſtipendia iuſta capiantur: ſed vt ſtipendium, quod aliis iuſtum cenſebatur, nunc reuerà inſufficiens exiſtimetur, atque ita reiici poſſit; neque aliud probant, quæ DD. ſuperiùs laudati, aliiue afferunt, vt oſtendant hanc diſpenſandi poteſtatem in Pontifice ex rationabili cauſa, idque ipſum demonſtrant.

Secunda

Secunda pars, de poteſtate minuendi numerum Miſſarum ex fundatione, aliáue ratione debitarum, cuius imminutionis meminit Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de reformat.* & nos alibi fuſiùs de ipſa egimus; id verò non eſt diſpenſare, vt plura adæquata ſtipendia capiantur pro vna Miſſa; ſed vel quia redditus relicti, ſunt inſufficientes, illos adæquare cum iuſtis ſtipendiis, vel defunctorum voluntates commutare, illiſque derogare, quod à ſupremo Principe iuſtis de cauſis fieri poſſe oſtendimus alio loco. Quare ex ea poteſtate malè argumentantur ad poteſtatem diſpenſandi in pluribus ſtipendiis adæquatis capiendis, cùm pro ea commutatione, aut derogatione voluntatis fundatorum, & imminutione numeri Miſſarum poſſit rationabilis cauſa occurrere, non verò pro adæquatis pluribus ſtipendiis capiendis, ſicuti hactenùs monſtrauimus.

Hinc intelliges, quid ferant Priuilegia nonnullis Regularibus conceſſa. Leo enim X. conceſſit Minoribus, vt pluribus eleemoſynis ſatisfaciant dicẽdo vnam Miſſam, modò meminerint in vniuerſum omnium, qui eleemoſynam contulerunt. Quod priuilegium tum Collator, tum Roderiq. *tom.* 1. *qq. Regula. q.* 43. *art.* 17. ſubreptitium exiſtimant; ſed ſiue illud verum ſiue ſuppoſititium exiſtat, definit ſolùm ſtipendium adæquatum, quod non vult eſſe minus Iulio, vnde pro pluribus eleemoſynis, quæ Iulium tantùm adæquabunt, non obligat niſi ad dicendam vnam Miſſam; neque aliud conceditur in alio ſimili priuilegio Iulij II. Refert Graffi. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 23. priuilegium conceſſum à Xiſto IV. Benedictinis, vt quibuſcumque verbis vtantur legantes, vel teſtantes, & imponentes Miſſas, intelligantur tantùm ad participationem Miſſæ admiſſi, & non ad totum effectum. Verùm dubium eſt illud priuilegium, cum nulli Collectores eius meminerint: Deinde ipſemet Graffi. monet, petendam eſſe declarationem à legãtibus & reſtantibus ad ſecuritatẽ. Demum reperitur quidem in noua collectione priuileg. Roderici, aliquid ſimile, quod Nicolaus Franeus Sixti VI. Nũtius in Hiſpania an. 1478. indulſit Benedictinis Valliſoletanis, vt quæcumque legata, & eleemoſynas accipere poſſint ſine onere Miſſarum certarum, modò dantes fiant participes *Benefactorum communium in Monaſterio fiendorum.* Contra hoc priuilegium diſputat fuſiſſimè Fraxinell. *ſect.* 6. *de obligat. argum.* 22. *à num.* 3. ſanè non eſt aliter intelligendum, quàm vt moneantur fundatores, ſe non aliquid accipere in ſtipendium, aut in onus dicendarum Miſſarum, ſed titulo ſolius eleemoſynæ, ſed tamen hos benefactores in communionem bonorum operum Monaſterij vocari; atque ita nulla fit iniuria dantibus eleemoſynas, cùm aliis precibus, atque orationibus ſatisfiat pro illis, vt ex pluribus docet Anell. *cap.* 7. *cit. num.* 91.

Decimoquinto, an quando vnus poſtulat Miſſam ad aliquid impetrandum, alter verò ad ſatisfaciendum, poſſit vtique vna Miſſa ſatisfieri, atque ita accipi gemina ſtipendia adæquata. Ratio difficultatis eſt, quia effectus impetrationis eſt diſtinctus à ſatisfactione, & primus ille infinitus eſt, quare neutri videtur fieri iniuria, quandoquidem quiſque habet, quod poſtulabat, neque mirum eſt pluribus obligationibus diuerſæ rationis nos eodem opere ſatisfacere poſſe: 17

atque ita cenſent docti aliqui recentiores.

Reſpond. nihilominus, id non licere cum Rodriq. *tom.*1.*ſumm.c.*251. *num.*6.Bonac.*diſp.*4. *de ſacram.q.vlt. punc.*8. *num.*15.& aliis ab eo relaris; quia ſtipendium non datur pro fructu Miſſæ ſiue totali, ſiue partiali, ſed in ſuſtentationem laborantis Miniſtri; præterea qui petunt Miſſam, omnem illius fructum ſibi depoſcunt, neque ſubtili iſta diſtinctione vtuntur, quare niſi moneantur de eiuſmodi partitione facienda, fraudantur à ſacerdote.

Decimoſexto quæritur, an qui vnum, vel plura ſtipendia accipit ad dicendas Miſſas, poſſit aliquid ſibi retinere, ſi illas Miſſas per alios ſacerdotes minori ſtipe offerri curet.

18 Reſpond. quoties dantur ita iſta ſtipendia ſacerdoti, vt dominium ipſorum acquirat, & non ſit ſimplex ipſorum diſpenſator, poterit ſibi, poſt data ſtipendia iuſta aliis ſacerdotibus, quibus eas Miſſas dicendas committit, quod ſupererit retinere, niſi vbi decretum Congregat. Conc. ann. 1625. editum vim habuerit.

Prima pars traditur à Dian.*de celebrat. Miſſ.Reſolut.*10.Bonac.*diſp.*4. *de ſacram.punc.*8.*queſt.vlt.difficult.*6. & aliis, quos iſti dabunt. Quia tunc nulli fit iniuria, cùm enim ſacerdos ille acquiſierit dominium illorum ſtipendiorum cum onere, ſiue obligatione Miſſarum dicendarum, ſatisfacit illi obligationi, cum eas dici curat; quare non facit iniuriam dantibus ſtipendia, & cùm aliis ſacerdotibus det ſtipendium iuſtum, quamuis mediocre, iniuriam quoque nullam ipſis irrogat, ſi reliquum, cuius ipſe Dominus eſt, ſibi retineat. Si verò ſolùm diſpenſator ſtipendiorum ſit, neque eorum acquirat dominium, nihil planè ſibi ſeruare iure poterit, quia totum illud datur diſtribuendum dicenti Miſſam, niſi ex conſuetudine, aut lege pro onere colligendi ſtipendia, & curandi Miſſas aliquid fuerit præſcriptum.

Ex quibus facilè fuerit ſtatuere, quid de Parrochis, Sacriſtis, alliiſue quibus ſolitum eſt dare eiuſmodi ſtipendia ad curandas Miſſas in Eccleſia, aut altari, vel confraternitate, aut quibus id incumbit ex officio, eadem enim perpetuò diſtinctione vtendum erit, ſi enim dominium collectarum eleemoſynarum acquirant, eas diſtribuere ad arbitrium poterunt, modò ſeruent æquitatem ſufficientis ſtipendij; ſi autem ſolùm diſtribuenda ſtipendia acceperint, totum acceptum dare debent, & nihil ſibi retinere, niſi ex lege, aut conſuetudine.

Secunda pars, id prohiberi à Congregatione Trident. patet ex decreto citato, quod æquiſſimum eſt ad vitandam turpem omnem negotiationem, & ſordidæ auaritiæ cauſas omnes amputandas, tollendaſque ſuſpiciones. Quod tamen decretum non extenditur ad Capellanias, & beneficia, poſſunt enim Capellani, qui dato iuſto ſtipendio curant fieri ſacra, ad quæ obligabantur, retinere reliquos prouentus Capellaniæ, qui ipſis dantur titulo ſuſtentationis ex communi apud Dian. *reſolut.*11. Non valet etiam, quando qui ſacrum facit, ſcit datum fuiſſe ſtipendium, illud tamen, aut partem eius recuſat, non enim volenti fit iniuria, vt *reſolut.* 13. concedunt DD. & iam ſuperius diximus non poſſe prohiberi ſacerdotibus, ne aut gratuitò, aut minori ſtipendio Miſſas celebrent. Inde quoque ſolues id quod ponit Diana *reſolut.*12.de ſacerdore, qui

qui à viro amiciſſimo ſtipendium duplicatum accepit, ſi enim intuitu amicitiæ duplicatum fuerit, poterit illud retinere data alteri, qui Miſſam celebrabit, parte ſufficienti. Vide de tota hac controuerſia Anell. *lib.* 2. *cap.*7.*dub.*6.*integro*,& Fagund. 1.*præcept. lib.* 3. *cap.*9. alióſque laudatos à Diana.

19 Decimoſeptimo quæritur, an in die Natiuitatis Chriſti tria ſtipendia pro tribus Miſſis eo die factis liceat accipere.

Reſpond. licere. Ita Fraxinell. *ſect.*4. *con.*1.§.1.*n.*10. Suar. *tom.*3. *in* 3.*part. diſp.*86.*ſect.*2.*con.*3. qui addit multiplicari poſſe ſtipendium, quoties eodem die plures aliquis Miſſas facit, etiamſi in multiplicandis ſacris aliunde peccaret. Cuius tamen ratio mihi non probatur, quod illud peccatum ſacerdotis non impediat valorem ſacrificij, eiúſque efficaciam; neque enim datur ſtipendium pro Miſſæ valore, aut efficacitate. Delugo verò *diſp.*21.*ſect.*1. *num.*18. ex eo probat, quia licet non plus inſumat eo die ad ſui ſuſtentationem, cui proinde vnico ſtipendio videtur fuiſſe ſatisfactum, totum tamen illud, quod conflatur ex tribus illis ſtipendiis non excedit illud, quod requiritur ad victum toto anno, & non ſolùm hac hora; idcircò totius anni expenſæ diſtribuuntur inter petentes Miſſas, vt ſinguli concurrant per æquales partes, iuxta partem, quam habent in illis ſacrificiis. Plurima ſunt in hac ratiocinatione, quæ minus placeant, ſupponit enim imprimis ſuſtentationem diurnam deberi ex miniſterio Miſſæ, quandoquidem vult diuidi totius anni ſuſtentationem in petentes Miſſas, id tamen ſuperiùs cum ipſomet Delugo reiecimus. Deinde quamuis id daremus, vnicum ſtipendium pro pluribus Miſſis eodem die dictis ſufficeret ad conflandum totum, quod neceſſarium eſſet ad ſuſtentationem ſacerdotis toto anno, ſicut reuera ſi ſingulis diebus vnam tantùm Miſſam dixiſſet, vnúmque ſtipendium accepiſſet. Denique minus probatur ea diſtributio ſtipendiorum pro ratione partis, quam in Miſſa participant, cùm ex ea participatione non debeat menſura ſtipendij peti. Vera igitur ratio eſt, quia miniſtranti, & laboranti debetur ſuum ſtipendium, & ſuſtentatio, ſi igitur multiplicet miniſterium, & laborem, ſiue opus, ratione cuius debetur ſtipendium, illud quoque multiplicandum erit, vt apparet in milite, qui eodem die pluries pugnabit, & aratore, qui duo iugera terræ arauerit, quibus ſimilibúſque exemplis libenter vtitur Paulus, ſtipendia enim iſtis accreſcent, ſi pro ſingulis pugnis, aut pro ſingulis iugeribus excultis certum quid definitum fuerat. Cùm igitur ſuſtentatio, ſtipendium, & eleemoſyna certa præſcripta ſit pro ſingulis miniſteriis ſacris, quoties illa miniſteria ſacra multiplicabuntur, toties & ſtipendia multiplicari debebunt, vnde quoque ſoluitur.

Decimaoctaua quæſtio, an pro ſolemni Miſſa maius ſtipendium debeatur, ſicut & pro Miſſa, cui eſt adiunctum officium funebre. 20

Reſpond. enim cum Suare *l. cit.* & Fraxin. *num.*9. 11. *&* 12. vbi Bonac. Petrum Ledeſm. Roderic. Homobon. & Alphonſum Leon. allegat, poſſe; quia nimirum tunc maius eſt miniſterium, & in eo plus temporis impenditur, creſcere igitur debet ſtipendium; quibus accedit praxis ferè vniuerſalis, definiuntur enim tunc vbique maiora ſtipendia. Huic affine eſt quod

21 Decimonono quæritur, an in feſto maius ſtipendium poſſit capi.

Reſpond. enim cum DD. laudatis, & Dian. *tract.* 14. *reſolut.* 9. id poſſe. Itàque determinauit, vti ipſi referunt, Congregatio Pænitentiaria Mediolanenſis; ſiue quia congruum eſt, aliquid amplius tunc in ſuſtentationem dari; ſiue quia maiori apparatu miniſteria fiunt, atque adeò plura requiruntur neceſſaria; ſiue denique quia ita ex communi hominum ſenſu maius aliquid eiuſmodi miniſterio deberi exiſtimatur.

22 Vigeſimo quæritur, an peccent mortaliter Regulares, qui plures Miſſas petunt, aut accipiunt, quàm facere poſſint etiam ſubſequentibus diebus, intentione curandi reductionem, ſiue imminutionem earum per Generalem Ordinis ex conceſſione Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de reformat.*

Reſpond. peccare. Ita Nauarr. *conſ.* 10. *de celebrat. Miſſa. num.* 3. vbi ait dolosè agi cum iis, qui Miſſas poſtulant, eámque in rem ſtipendia donant, quod omninò viros perfectos dedecet; idem omninò ſignificat *conſ.* 11. accedit Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 97. neque Tridentinum loquitur niſi de Miſſis anteà bona fide ſuſceptis, ideóque à pluribus eleemoſynis, quàm Miſſæ diei queant, omninò abſtinere iubet Congregatio declarans mentem Tridentini in ſuo decreto an. 1625. § 7.

23 Vigeſimoprimo quæritur, an ſacerdotes, qui ex negligentia diutiùs differunt facere Miſſas, pro quibus ſtipendia acceperunt, grauiùs peccet.

Reſpond. hanc negligentiam, & dilationem ferè mortalem eſſe, quod communiter tradunt Sylu. *ver. Miſſa.* 1. *quæſt.* 10. *ſub fin.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3. *dub. antepenultimo.* Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 367. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 8. *litt. V.* Rodriq. *tom.* 1. *ſum. cap.* 251. *con.* 1. Nald *ver. Miſſa. num.* 12. Ledeſm. *tom.* 1. *cap.* 18. *con.* 17. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 236. Fagund. 1. *precep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Angel. *ver. Miſſa.* §. 51. Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 98. quia inſignem iniuriam facit petenti Miſſam, cùm ipſum defraudet fructu ſacrificij cum magno damno, nam ſi quid impetrandum erat, intereà elabetur tempus: ſi autem pro defunctis petebatur, aut in expiationem, & ſatisfactionem, intereà defuncti torquentur, aut diutius alij carent fructu illo eximio ſatisfactionis. Confirmatur ex eo, qui culpabiliter retinet diutiùs, quod reſtituendum nomine alterius acceperat, inuito tum domino, tum reſtituente, eum enim peccati grauioris paſſim damnant Molin. *tract.* 2. *diſp.* 263. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 46. Sanch. *lib.* 1. *de matrimon. diſp.* 6. *num.* 8. & alij; ergò multò magis peccabit, qui per ſummam negligentiam alterum priuat ſacrificio ſibi debito. Arbitrio tamen boni viri menſurandum eſt tempus huius dilationis; ideóque Rodriq. concedit pauperi ſacerdoti iam anticipatè accipere ſtipendia Miſſarum, quas deinde dicet, quamprimum poterit. Anell. extendit hoc tempus etiam ad duos menſes, quia alioquin pauperes ſacerdotes, cùm quotidiè non occurrant Miſſæ dicendæ, cogerentur carere ſæpiùs neceſſaria ſuſtentatione, niſi anticipatè eiuſmodi ſtipendia caperent.

Vigeſimoſecundo quæritur, an qui Miſſas, quarum ſtipendia accepit, non celebrat, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem. 24

Reſpond.

Reſpond. hanc quæſtionem manere explicatam ex ſuperiori, ſi enim dilationem culpabilem Miſſæ debitæ ex Iuſtitia damnamus peccati mortalis, potiori iure id pronuntiabimus de ipſa omiſſione Miſſæ, atque adeò damnabimus ad reſtitutionem. Ita Syluest. *ver. Miſſa.* 1. *quæſt.* 10. Tabien. *ver. reſtitutio. num.* 33. Sotus. *lib.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 25. *num* 91. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 21. *num.* 4. & *cap.* 22. *numer.* 2. *litt. K.* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. Corduba. *lib.* 1. *qq. Theologic. quæſt.* 3. *con.* 5. Rodriq. 1. *par. ſum. cap.* 251. *co*. 4 Vaſq. *in* 3. *par. diſp.* 234. *num.* 25. Suar. *tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 1. Bonacin *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 8. *num.* 4. Fraxinell. *ſect.* 4. *de obligat. con.* 5. §. 1. vbi plurimos allegat, Anell. *cap.* 7. *lib.* 2. *num.* 105. Et quidem ſi attendamus omiſſionem Miſſæ, quam ex Iuſtitia commutatiua facere quis tenebatur, & graue damnum, quod ex ea omiſſione inferri iam diximus, dubitari nequit in ea omiſſione graue peccatum admitti. Si verò ſtipendium acceptum conſideremus, ſi illud vnicum ſit, cùm vix contineat materiam neceſſariam ad furtum mortale, reuerà inde non erit culpa mortalis, aut obligatio ad reſtitutionem ex communiori ſententia; cùm tamen communiter dicant DD. eum qui à diuerſis minuta furta ſubripuit, vbi primùm ad notabilem ſummam peruenit, ſi eam retineat, peccare mortaliter, obligaríque ad reſtitutionem: ita ſacerdos acceptis pluribus ſtipendiis pro pluribus Miſſis, ſi faciant ſummam notabilem, iam peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, niſi numerum illum Miſſarum per ſe, aut per alios faciat, aut ſtipendium ſub ea conditione donatum reſtituat, vt ex eo ex Miſſæ procurentur; aut ſi hæc præſtare non poſſit, id ſignificet illis, à quibus accepit ſtipendia, vt ipſi condonent; quod facere cenſentur, dum ſciunt ſacerdotem non ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, & tamen ipſum non vrgent, nec de promiſſione interpellant, quod rariùs profectò contingit; neque aliud volunt qui videntur eſſe in contraria ſententia, quam eiuſmodi ſacerdotes ratione aliquarum iſtarum cauſarum, quas indicauimus, à grauiori culpa, & reſtitutione excuſari, quod nos quoque fatemur, ſed negamus eas cauſas ordinariè reperiri.

Vigeſimotertio quæritur, an ſacerdos poſſit anticipatè Miſſas celebrare pro eo v. gr. qui ipſi primus ſtipem ad faciendam Miſſam daturus eſt craſtino die. Aut ne conditio iſta dicatur eſſe tantùm de futuro, & ſuſpendere effectum ſacrificij, qui deinde non exiſtẽte ipſius cauſa poni non poſſet, vt diximus aliàs agentes de Sacramentis, fiet Miſſa pro eo, quem DEVS ſcit, & videt daturum die craſtina ſtipendium ad ſacrum. 25

Reſpond. quoties in illa celebratione anticipata Miſſarum non ſuſpendetur effectus, neque applicatio ſacrificij in futurum, ſed reuerà fiet applicatio quando ſacrificium offertur, tunc licita erit ea anticipatio, non verò aliter. Hanc concluſionem omnes prorsùs admittunt, licet deinde circa caſus particulares diſſentiant; nemo enim affirmat poſſe ſacerdotem ſuſpendere effectum ſacrificij, & illum veluti ſeponere per aliquod tempus, & deinde illum cui voluerit, aut qui ſtipem porrexerit, applicare, vſque eius impetrare id ipſum, quod alius per ſacrificium poſtularet; alioquin poſſet quiſque ſibi

thesau

theſaurum ſatisfactionum compara- re, & aliis deinde applicare, atque ita quod per ſolas Indulgentias fit, alios in operum iam priùs factorum, & non applicatorum communionem vocare, qui ſingulares, & priuati theſauri communem illum theſaurum Eccleſiæ, cuius clauim habet Pontifex, quémque per Indulgentias diſtribuit, corrumperent: ſi enim quiſque ſatisfactiones, & fructus tum operum, tum ſacrificiorum non applicatorum ſibi reſeruat, illa non reponuntur in theſauro Eccleſiæ, neque poteſt Pontifex has ſatisfactiones, quæ in ſingulorum dominio remanent, ipſis inuitis, aut inconſultis, aliis pro arbitrio diuidere, & veluti theſauros iſtos priuatos expilare. Adde quod poſſet ſacerdos pro ſé aut alio ſacrificans ſuſpendere effectum ſacrificij, donec eſſet in gratia, & ita offerre ſacrum, vt nolit ſibi, aut alteri applicari, niſi cùm fuerit in gratia, quod nullus omninò affirmabit. Nunquam igitur licebit ſuſpendere effectum ſacrificij, eiuſque applicationem in futurum, vti diximus aliàs de Sacramentis. Itaque omnis anticipatio Miſſarum, quæ eiuſmodi ſuſpenſionem effectus, & applicationis ſacrificij continebit, reiicienda erit omninò, neque pro Miſſis ita anticipatè celebratis poterunt accipi ſtipendia, ſed aut aliæ Miſſæ dicendæ erunt, aut reſtituendum quod acceptum fuerit.

Quando verò in iſta anticipatione Miſſarum reperitur actualis, & præſens applicatio ſacrificij, nullá- que neceſſariò eſt in futurum operationis ſacrificij ſuſpenſio, quia iam nunc prodeſt illi ipſi, pro quo anticipatè applicatur, & fit, licita erit ea anticipatio, & pro Miſſis hoc modo celebratis iuſta ſtipendia capi poterunt. Vnde plurimos caſus expones, nam

Hinc fit primo celebrationem Miſſæ pro eo quem DEVS ſcit, & videt primum mihi die craſtino daturum ſtipem, & pro illa intentione, quã DEVS videt iam nunc illum habiturum, dum ſacrum poſtulabit, licitam, & validam eſſe ſpeculatiuè loquendo; minimè tamen in praxi conſulendam eſſe. Primum illud concedunt Aragon. 2.2.*quaeſt*.85. *art*.3. *dub. penultim. dicto* 2. Petr. Nauarr. *lib*. 2. *de reſtitut. cap*. 2. *num*. 373. Rodriq. *tom*. 1. *cap*. 251. *con*. 9. Vega. *tom*. 2. *ſum. cap*. 4. *caſu* 5. Henriq. *lib*. 9. *cap*. 21. *num*. 2. *lit*. *V*. vbi doctos Salmanticenſes in hanc rem conſultos allegat. Reginald. *lib*. 23. *cap*. 17. *num*. 237. Anell. *lib*. 2. *cap*. 7. *num*. 112. & tandem Corduba. *lib*. 1. *qq. quaeſt*. 4. *dub*. 6. *ad* 1. Suar. quoque *tom*. 3. *in* 3. *part. diſp*. 79. *ſect*. 9. §. *ex dictis colligo*. concedit hanc intentionem & applicationem *applico hanc Miſſam cui Petrus applicuerit*, validam eſſe, & ſufficientem, ſi iam Petrus tempore oblationis conditionem impleuit, & ſacrificium applicuit; idémque fatetur Vaſquez. *in* 3. *part. diſput*. 234. *numer*. 22. Ratio eſt, quia intentio ſacerdotis eſt determinata, & non vaga, certæ enim perſonæ applicat, quam ſolus DEVS nouit, neque relinquit DEO ſoli applicationem faciendam, vt malè ſupponunt aduerſarij; non ſuſpenditur etiam effectus, cùm conditio ſit præſens, aut præterita, & non futura, ac proinde iam tota ea intentio abſoluta eſt; quarè nihil impedit quominus hæc celebratio ita anticipata legitima ſit, & pro ea ſtipendium deinde iure accipiatur. 26

DIXI tamen non eſſe in praxi conſu

conſulendam hanc anticipationem, quod ſaltem ſuadet contraria ſententia, quam tradit Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 14 Cordub. non ſatis ſibi ipſi conſentiens *quaſt.* 4. *citata. dub.* 6. *ad* 2. Molfeſi. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 16. *num.* 18. Petrus Cenedo. *lib. qq. Canonic. quæſt.* 38. Suar. & Vaſq. citati, Fagund. 1. *præc. Eccleſ. cap.* 9. *num.* 10. Reginald. & Henriq. quorum aliqui omninò reiiciunt eiuſmodi anticipationem; alij nolunt recipi pro Miſſis ita dictis ſtipendia, alij improbant in praxi, quod ſpeculatiuè conſideratum amplectuntur. Immò & à Prælatis id prohiberi vellent, quibus & ego aſſentior, quia eſt contra communem vſum Eccleſiæ, & plurimos abuſus parere poteſt, atque ſcandala. Deinde quia ſæpiſſimè committitur iniuſtitia, nam qui dat ſtipendium, vult celebrari quandoque Miſſam de Virgine, aut de aliquo ſancto peculiari in certo quodam altari, cui intentioni, & obligationi non ſatisfactum fuit per anticipatam Miſſam; quo iure igitur capiet ſtipendium ſacerdos, qui non ſatisfecit, neque ſatisfacturus eſt illi obligationi? Denique refert Fagund. Clem. VIII. authoritate factam declarationem à Cardinalibus Concil. Trident. quam totam exſcripſit Cenedo, vbi hanc ſententiam periculoſam, ſcandaloſam, fidelium offenſionibus obnoxiam nominat, atque omninò explodendam eſſe dicit. Quod diploma Pontificium quamuis promulgatum in hiſce partibus non fuerit, oſtendit tamen Eccleſiæ, & ſedis Apoſtolicæ ſenſum.

Secundo qui celebrat anticipatè Miſſam ex intentione æditui, aut alterius qui habet curam diſtribuendi Miſſas, aut pro intentione amici, qui ſolet illi Miſſas dicendas deferre, licitè id facit, recipítque ſtipendia, ſi ille æditu us, aut amicus habet iam certas Miſſas dicendas, quod iſte ſacerdos ſcit, ita vt intentionem ſuam non ſuſpendat, ſed anticipatè tantùm ſoluat, quod æditu us, aut ille amicus ab ipſo, aut alio quopiam exigeret. Ita DD. ſuperiùs laudati, Aragon. Nauarr. Vega, ipſéque Cenedo, & Fagundez *cap.* 9. *num.* 8.

Tertio qui accipit ſtipendia, vt qualibet hebdomada duas Miſſas faciat, poteſt hac hebdomada quater celebrare, & obligationi ſequentis hebdomadæ ſatisfacere, vt liber ſit ad ſtipendia pro aliis Miſſis illa hebdomada celebrandis capienda. Ita Petrus Cenedo. *lib. qq. Canonic. quæſt.* 38. *num.* 2. Fagundez *cap.* 9. *citat. numer.* 3. Roderiq. *capit.* 251. *citat. conc.* 8. Reginald. *lib.* 23. *capit.* 17. *num.* 237. Vega, *tom.* 2. *cap.* 41. *caſu* 39. Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. capit.* 2. *num.* 371. De Lugo. *diſput.* 21. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 44. Anellus *libr.* 2. *capite* 7. *num.* 106. quia in hoc caſu eſt duntaxat ſolutio anticipata, quæ nunquam nocet creditori, immò prodeſt per ſe loquendo. Si tamen vel in fundatione Capellaniæ, vel à dante ſtipem certi quidam hebdomadæ dies propter quandam peculiarem rationem fuiſſent deſignati, vt fiat Sabbatho de Virgine, feria ſexta de paſſione, aut vicini, vel familiares domûs, à qua fundata eſt Capella, habeant commoditatem intereſſendi ſacro illis diebus, tunc non liceret anticipare, & vna hebdomada dicere Miſſas pro ſequenti, quia fieret ſanè præiudicium aliis, & non ſatisfieret intentioni poſtulantium, aut imperantium

Miſſas, atque obligationi aduersùs eos contractæ, vt patet.

Hinc fit quarto vt quoties illa anticipatio Miſſarum cedit in alterius præiudicium, illicita ſit, quamuis non iniuſta fortaſſis exiſtat, qui v. gr. obligatur ſingulis hebdomadis, aut menſibus pro mortuis alicuius Communitatis celebrare, ſi prima hebdomada pro toto reliquo menſe celebret, illi qui ea hebdomada, aut menſe poſt Miſſam anticipatè celebratam obierint, fraudantur tali ſubſidio, quibus tamen omnibus voluerat fundator ſucceſſiuè ſubueniri.

Ideò Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. num.* 14. monet ſacerdotem Societatis IESV non ſatisfacere ſuæ obligationi, qui anticipatè facit ſacrum pro fundatoribus, quorum nomina deinde promulgabuntur, ſi dum facta ſunt illa ſacra, nondum obierant. Secus verò ſi iam obierant, ſoluit enim priuſquam interpellaretur, quod vtile fuit creditori, quod idem exiſtimo de Miſſis ſingulis menſibus dicendis, anticipari enim poſſunt, vt dixi ſuperiùs.

Ex his explicabis, quid ſentiendum ſit de illa conſuetudine, quam Pinell. *lib. 2. de Miſſa. cap. 7. quaeſt.* 3. & Nauarr. *conſil. 6. de celebrati. Miſſa.* referunt, & probant eorum, qui adhuc viuentes ſuas funebres exequias fieri curant, & Miſſam pro ſe tanquam pro defuncto celebrari, cui tamen ipſi aſſiſtunt. Idque ab Alberto Magno, aliiſque piis viris aliquando vſurpatum fuiſſe refert Layman *capit. citat. num.* 15. vbi & eum morem meritò reiicit, cùm non proſint hæc officia deinde morituris, vbi mortui fuerint, vt à pænis Purgatorij ipſos eximant; fructus enim ſacrificij ex opere operato non ſuſpenditur in futurum, illi, pro quo offertur ſacrificium, applicandus vbi obierit, ſed iam nunc ipſi viuenti ſi capax ſit, confertur: fructus verò orationum Eccleſiæ impetratorius nomine totius Eccleſiæ, ex eiuſdem Eccleſiæ intentione applicatur mortuis, prout ipſa verba ſonant; quarè non niſi ridiculè, & ſuperſtitiosè viuenti aptabuntur.

Quinto denique ex dictis infert De Lugo *ſect. 2. diſputat. 21. de Euchariſt.* quoties ex aliquibus circumſtantiis licita eſt anticipatio, excuſari quoque ſaltem à mortali poſtpoſitionem ac dilationem, ſi quis hoc menſe faciat Miſſas, omiſſas menſe præterito; & *Regulariter*, qui accipit ſtipendium vt in hodierna feſtiuitate celebret pro tali perſona, ſatiſfaciet ſi die ſequenti, vel infra, aut etiam poſt octauam celebret, niſi iubeatur ea celebratio pro præſenti negotio nunc vrgenti, quia tunc illa dilatio non eſt ſola circumſtantia, ſed videtur ad ſubſtantiam rei pertinere.

Vigeſimoquarto quæritur, an omninò teneatur celebrare ſacerdos in Eccleſia, vel altari, quod à dante ſtipendium, aut fundante beneficium deſignatum eſt. 27

Reſpond. teneri, niſi aliqua cauſa impoſſibilem, aut valdè difficilem eam celebrationem reddiderit, quia v. gr. Eccleſia polluta fuit, aut altare dirutum, aut flumen traiici propter pluuias nequit, aut ob malignam tempeſtatem in locum adeò diſtantem ſine magno incommodo conferre ſe nequit ſacerdos; in his enim, & ſimilibus caſibus alio in loco, & altari poterit tunc celebrari, quia melius eſt extra locum à fundatore,

tore; aut à dante ſtipendium celebrare, quàm omninò non celebrare; in reliquis autem ſeruanda eſt voluntas eius, à quo ſtipendium accipimus, & cum quo contrahimus. Ita paſſim DD. idcircò Nauarr. *cap.* 5. *de orati. num.* 12. negat ſtudentem in Academia ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, ſi ibi celebret Miſſas, quas in altari, aut Eccleſia ſui beneficij ex fundatione celebrare tenebatur. Vide eundem *in Man. cap.* 25. *num.* 134. Sà. *ver. Miſſa. num.* 47. Azor 1. *par. lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 8. Graff. 1. *par. lib.* 1. *cap.* 53. *num.* 12. Fagund. 1. *prac. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. Vgolin. *de offic. Epiſcop. cap.* 24. *num.* 4. Sylu. *ver. Miſſa.* 1. *quæſt.* 10. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 9. Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſt. vltim. punct.* 7. §. 4. *num.* 2 Fraxinell. *ſect.* 4. *de obligat. con.* 4. §. 9. idcircò diximus alibi, non poſſe Epiſcopum, niſi grauibus ex cauſis, aliquoties duntaxat, derogare hac in parte fundatorum voluntati. Vide quoque Dian. *tract. cit. de celebrat. Miſſ. reſolut.* 29. monétque Fraxinell. §. 10. non eſſe attendendam hæredum, aut ſucceſſorum voluntatem, ſed ipſius fundatoris; quod etiam obſeruauit Ricci. *in praxi. deciſ.* 342.

Quamuis porrò DD. omnes laudati hactenus damnent peccati mortalis hanc variationem loci, placet tamen, quod ſapienter ait De Lugo *diſput.* 21. *de Eucharist. ſect.* 1. *numer.* 36. non poſſe quidem quando ob peculiarem aliquam cauſam v. gr. cultum illius loci, commoditatem populi, monimentum ſuæ familiæ, fundator certum altare delegit, illud mutari; ſi tamen id rarò fiat, aut ſemel & iterum, non eſſe niſi culpam venialem propter paruitatem materiæ, immò ſi adſit cauſa aliqua rationabilis, præter illam impoſſibilitatem moralem, de qua loquebamur, ne quidem noxam venialem fore in infrequenti eiuſmodi loci variatione; quod ſi nulla fuit cauſa peculiaris fundatori deſignandi certum altare, tunc putat excuſari à grauiori peccato mutationem altaris, modò intra eandem Eccleſiam fiat, quia alioquin fieret iniuria illi Eccleſiæ, cui iam tale ius acquiſitum fuit. Quarè cum altare, in quo ſacerdos celebrare debet, eſt iam occupatum ab alio, neque ipſe propter negotium vrgens expectare poteſt, ſine culpa in alio altari celebrabit; immò etſi non vrgeatur adeò graui negotio, non erit niſi culpa admodùm venialis; immò ſi propter Miſſam ſolemnem, aut concionem, aut quia inuenit alios ſacerdotes in ſacriſtia iam paratos vt ſibi ſuccedant in eodem altari, itáque diutius expectandum illi ſit, ſatisfaciet obligationi in alio altari, atque Eccleſia celebrando. Quod verum quidem eſt, quando Miſſa dicenda eſt ex fundatione, & inſtitutione beneficij, quia veriſimile non eſt, fundatorem ita obligaſſe beneficiatum, vt ſemper cum tanto incommodo voluerit illum inibi, & nunquam alibi celebrare. At verò in dante ſtipendiũ pro vna Miſſa, vel altera, aliud dicendum videtur, quia ſine dubio ex ſingulari quadam ratione voluit inibi, & non alibi celebrari, maximè cùm præuiderit frequentiam celebrãtium in eo altari; quarè non ſatisfit eius intentioni, neque obligationi contractæ, ſi alibi celebretur.

Addo quoque cum eod. De Lugo, & Fagund. *ll. cit.* qui iuſſus eſt celebrare in altari priuilegiato, non ſatisfacere, ſi alibi, quàm in alio altari ſimili priuilegiato celebret, quamuis ſecum habeat icunculam, cuius in-

Indulgentiam per modum ſuffragij applicaturus ſit, contra Fraxinell. §. 9. *cit. num.* 2. & Alphonſ. de Leon. *de Iubil.* 3. *part. num.* 29. quia fraudat defunctos magno fructu indulgentiæ, quæ ſolet eſſe magis certa, & authentica in altari priuilegiato, quàm in icunculis, plures ob cauſas. Id verò multò verius erit, quando non dicet Miſſam pro defuncto, ſed ſolùm illi Indulgentiam ſuæ icunculæ applicabit, quia reuerà tunc non ſatisfacit intentioni petentium Miſſam.

28 Vigeſimoquinto quæritur, an qui ex ſtipendio, aut fundatione beneficij tenetur celebrare in certo altari, Capella, aut Eccleſia, in quibus tamen tunc non poteſt celebrare, quia aut diruta, aut polluta ſunt, ab hoſtibus occupata, aut obſerata, teneatur nihilominus alibi ſatisfacere huic obligationi; an verò ſit omni obligatione ſolutus.

Reſpond. diſtinguendum eſſe, quando enim fundator, aut quilibet alius alligauit certo loco Miſſam in honorem, & cultum ipſius loci, vel ſancti alicuius, impedito, vel deſtructo eo loco, ceſſat omnis obligatio celebrandi: ſi verò certam aliam intentionem habuit fundator, quia voluit pro ſe, aut ſuis eam Miſſam celebrari in tali tamen loco ex peculiari quadam aduersùs ſanctum aliquem pietate, manet obligatio alibi celebrandi. In dubio autem præſumitur hæc poſterior intentio teſtatoris fuiſſe; quia eadem præſumptione ducitur *cap. Nos quidem. de teſtamentis.* cùm iubet Monaſterium, quod in loco deſtinato à teſtatore extrui non potuit, in alio quopiam commodo exædificari. Ita Vega *in ſum. ver. Miſſa. n.* 12. Honcala. *de valore Miſſa. art.* 17. *propoſit.* 1. Azor 1. *part. lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 8. Barboſa. *de poteſtat. Epiſcop. allegat.* 24. *nu.* 33. Fraxinell. *ſect.* 4. *de obligat. con.* 4 §. 11. De Lugo. *ſect.* 2. *diſp.* 21. *de Euchar. num.* 42.

Vigeſimoſexto quæritur, an ſacerdos morbo detentus, aut alio legitimo impedimento prohibitus à celebratione, teneatur per alium ſatisfacere obligationi, quam ratione Capellaniæ, aut acceptorum ſtipendiorum contraxerat. 24

Reſpond. quod attinet ad obligationem Capellani, ipſum teneri ſatisfacere ſuæ obligationi per alium, ſi eius morbus, aut impedimentum diuturnius ſit, non autem ſi breuius, puta decem, aut duodecim dierum duntaxat. Ratio eſt, quia ea ſtipendia dantur ad ſuſtentationem miniſtri pro tempore, quo celebrat Miſſas, ſiue ex primario fine celebrandi Miſſas; quare cum non celebrat Miſſas neque per ſe, neque per alium, nequit ea ſtipendia capere, datum enim ob cauſam repetitur, ſi ex infirmitate recipientis non potuit adimpleri. *l. ſi pecuniam. ff. de condictio. cauſa data.* Quia tamen ceſſatio illa paucorum dierum non cenſetur magni momenti, ſitque ex legitimo impedimento, non exiſtimatur fundator, inſtitutórque beneficij voluiſſe obligare Capellanum ad ſubſtituendum ſtatim alium pro breuiori illa infirmitate, niſi id expreſſerit, tunc enim neque per decem dies licebit vacare ab ea celebratione, ſed ſtatim alium ſufficere ſibi tenebitur. Ita P. Nau. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 210. Campan *in diuerſo. Iuri. Rubric.* 7. *cap.* 6. *num.* 15. Graffis. *tom.* 2. *conſil.* 1. *diffic.* 2. *numer.* 4. Naldus. *ver. Miſſa. num.* 11. Barboſa. *de offic. Epiſcop. allegat.* 24. *num.* 31. Fraxinell. *de obligat. ſacerdot. ſect.* 4. *con.* 4. §. 13. Anellus *lib.* 2. *de offic. ſacerdot. capite* 7. *numer.* 127. De Lugo *diſputat.* 21. *de Euchar.*

Eu. har. ſect. 2. *num.* 28. Dian. *tract. de celebrat. Miſſ. reſolut.* 27. Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram quæſt. vltim. punct.* 7. *num.* 17. Layman *lib.* 5 *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 7. & alij apud ipſos Et ſanè ſalarium non eſſe denegandum famulo, qui breui tempore ægrotauit, monet gloſſa *in l. arboribus.* §. *de illa ff. de vſufructu.* Et quamuis aliud ex *l. ſi vno.* §. *item cum ff. locati* contendant Couarru. *lib.* 3. *varia. cap.* 13. *num.* 8. Armill. Angel. & Sylu. *verſ. familia.* id tamen minimè pium, & benignum herum decet Atque ita prouinciale Concilium Mediolanenſe, teſte Bonacina ſapienter edixit, vt Capellanus qui per annum munus ſuum obierit, ſi deinde per menſem ægrotarit, ſuam ſtipem nihilominus recipiat iudicio Epiſcopi: neque enim, vt dixi, fit contra mentem fundatoris, qui tanto cum rigore non voluit obligare; quod vnum fruſtra obiiciunt Tabiena. *verſ. Miſſa. n.* 45. Sylu *eod. verſ.* 1. *num.* 7. *ad fin.* Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 4. Azori. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 7. & cæteri paſſim. Porrò quod dixi breuem infirmitatem eſſe decem dierum, non ita velim accipias, vt non poſſit ad longius ſpatium protrahi, vti faciunt plures apud Dian. *reſolut. cit.* ad 15. nimirum, 20. dies, aut etiam menſem, quod vltimum probat Delugo, Bonac. Alphonſ. Vega. *in ſumm. cap.* 28. *de Miſſ. caſu* 14. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 210. Layman. *l. citato.* atque ea de re conſultus vir doctiſſimus Stephanus Auila in reſponſo manuſcripto, quod ſe vidiſſe teſtatur Delugo. obſeruat autem ſapienter Layman, non eſſe ſubſtituendum alium etiam in diuturniore morbo Capellani, ſi ſtipendium tenue ſit, & alendo Capellano ægroto neceſſarium, nam etiam Dominum famulo ægrotanti alimenta ſubminiſtrare debere docent, qui ſupra laudati DD.

Quod porrò attinet ad eum, qui ſtipendia accepit ad Miſſas dicendas toto anno, ſiue per vnum annum; quam indefinitam locutionem de ſingulis diebus totius anni interpretandam eſſe docet Fraxinell. *ſect* 4. *cit.* §. 18. non exiſtimarim, poſſe iſtum ex infirma valetudine vacare aliquot diebus à celebratione, quia videtur ea eſſe omninò mens legatum, aut ſtipendium dantis ad eam celebrationem, vt toto illo anno quotidiana ſit pro ſe defuncto, aut quapiam alia de cauſa celebratio; quare tunc alium ſuo loco ſubſtituere debebit.

Aduertendum prætereà eſt, quod diximus de breui aliqua omiſſione Miſſarum dicendarum ex valetudinis impedimento, non eſſe extendendum ad alias cauſas, & impedimenta etiam legitima, vt exiſtimaſſe videtur Azorius, quia non fuit ſine dubio fundatoris voluntas, quam alioquin facilè fruſtrare liceret; cui enim Capellano non iuſtæ cauſæ, & negotia legitima erunt, quibus ſe onere faciendi Miſſam illo, aut alio die liberum eſſe contendat? Neque irrationabilis eſt inſtitutoris animus, dum ad quotidianam celebrationem obligauit, quandoquidem eam per alium implere poteſt, atque ita ſuis negotiis vacare, quæ cùm plerúmque voluntaria ſint, differri, aut per alium geri æquè poſſunt; quod in impedimento morbi non contingit. Denique cùm dubia ſit fundatoris mens, cui omninò, ſi de ea conſtaret, conſentaneè agendum foret, illam ſapientiùs interpretari non poſſumus, quàm ex communi DD. ſenſu, & Eccleſiæ praxi.

Hinc denique colliges, quando per aliquot tantum hebdomadæ dies

imponitur celebratio, ſi quis vna, aut altera hebdomada ægrotet, non teneri deinde ſequentibus compenſare Miſſas omiſſas; quia non apparet maior ratio, cur ex ea omiſſione teneatur potiùs, quàm ſi Miſſæ dicendæ fuiſſent ſingulis diebus.

30 Vigeſimoſeptimo quæritur, an qui ex ſtipendio, vel fundatione tenetur ter aut quater hebdomada celebrare, ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi ferialibus tantùm diebus celebret, an verò diebus feſtis celebrare debeat.

Reſpond. coniiciendum eſſe dantis ſtipendium, & inſtituentis beneficium intentionem, ſi enim in illa Eccleſia, aut Capella, vel altari, nulla alia Miſſa dicatur, veriſimile eſt, fundatorem voluiſſe non ſibi tantùm, ſed etiam loci habitatoribus conſulere, vt diebus feſtis poſſent Miſſam audire: ſi verò in eadem Eccleſia aliæ Miſſæ celebrentur, nullus eſt ampliùs huic coniecturæ locus; itaque quibuſcumque diebus celebret, ſuæ obligationi ſatisfaciet. Ita Fraxinell. *ſect.* 4. *cit. con.* 4. §. 19. & Bonacin. *diſput.* 4. *de ſacrament. quæſt. vltim. punct.* 7. *num.* 5. itaque per ſe loquendo implet obligationem ſuam quibuſcumque diebus celebret; niſi vehemens aliqua ratio ſuadeat aliam fuiſſe fundatoris voluntatem.

31 Vigeſimooctauo quæritur, an qui tenetur celebrare diebus Dominicis, & bis in hebdomada; feſtis præcipuè diebus, ſatisfaciat, ſi in feſto duplici, aut ſemiduplici celebret, etiamſi alij dies feſti, quibus ab operibus vacant omnes, in eandem hebdomadam incidant.

Reſpond. teneri omninò illis diebus, qui ex voto, conſuetudine, aut Eccleſiæ præcepto coluntur à populo, celebrare, quia ex vulgato loquendi vſu, ſecundum quem verba ſunt interpretanda, non alij dicuntur in iure dies feſti, alioquin in die, quo fit officium duplex, poſſent fieri denunciationes Matrimonij, aliáque peragi, quæ dicbus feſtis gerenda eſſe dicuntur, quod pugnat cum communi vſu, & praxi. Ita Fraxinell. *loco cit. paragr.* 20. & Bonacin. *punct.* 7. *cit. num.* 6.

Vigeſimonono quæritur, an qui tenetur ex fundatione, aut ſtipendio qualibet feria 5. 6. & ſabbatho celebrare, teneatur iiſdem diebus in hebdomada ſancta celebrare, aut ſaltem eas Miſſas anticipare vel poſtponere. 32

Reſpond. cum Delugo. *diſp.* 21. *de Eucha. ſect.* 2. *quæſt.* 6. & 47. ad nullum iſtorũ teneri, & quidem quod attinet ad illos dies deſignatos in hebdomada ſancta, nequit feria 6. celebrare; feria quidem 5. & Sabbatho id priuatim poſſet, id tamen paſſim non fert vſus, & conſuetudo, cui non præſumitur fundator, aut dans eleemoſynam, ſiue ſtipendium voluiſſe derogare. Quare potiùs cenſetur dies illos excepiſſe, niſi tamen in illis ſacerdos voluerit celebrare; vnde ſequitur, neque alios dies ſubſtituendos eſſe ſiue per anticipationem, ſiue per poſtpoſitionem. Neque dicas, impeditâ Eccleſia, aut altari, teneri ſacerdotem alibi celebrare, ergo & impedito vno die, in alio quopiam celebrare debebit, cùm enim impedimentum Eccleſiæ ſit accidentale, & quodammodo priuatum, neque ex celebratione in alio loco imponatur nouum onus, & impedimentum iſtud temporis ſit commune, ac perpetuum, ex eóque oriatur

nouum

nouum onus dicendi alias Miſſas; non apparet, vnde colligamus fundatorem voluiſſe hoc onus nouum, & obligationem ſubſtituendi alios dies, imponere.

33 Vigeſimonono quæritur, an obligatus ad quotidianam celebrationem poſſit aliquo die ceſſare à celebratione.

Reſpond. diſtinguendum eſſe, nam vel ea obligatio, ſiue inſtitutio quotidianæ Miſſæ dirigitur ad locum, quia in eo iubet fundator quotidie celebrari; vel dirigitur ad ſacerdotem, cui imponitur onus quotidiè celebrandi, quod duobus item modis fieri poteſt. primo vt ille per ſe, vel per alium teneatur celebrare. ſecundo quia abſolutè dicitur vt Capellanus quotidie celebret, quoties ea inſtitutio locum reſpicit, omninò tenetur Capellanus per ſe, vel alium in eo loco quotidiè celebrare, & *ſine vacantia*, vt loquuntur; quia verba inſtitutionis clara, & aperta ſunt, à quibus proinde minimè diſcedendum eſt, neque vlla eſt indiſpoſitio in loco, propter quam vacetur, vti argumentatur Beia. *ſecund. part. caſu.* 23. ſupponimus enim Eccleſiam neque pollutam, neque dirutam, neque interdictam fuiſſe, de eo enim caſu diximus ſuperiùs.

Quando verò inſtitutio dirigitur ad perſonam ſacerdotis, qui per ſe, vel alium celebret, nulla etiam admittenda eſt vacantia per ſe loquendo, quia cauſæ propter quas aliquando quis excuſari poſſe à celebratione, non excuſant, quin per alium celebrari procuret. Dixi per ſe loquendo, nam per accidens aliquando excuſari poterit; nam ſi non potuit præuidere illam indiſpoſitionem, propter quam hodiè excuſatur verbi gratia à celebratione, vt ſtatim dicam, neq; copia ſit vllius alterius ſacerdotis, per quem ſuæ obligationi ſatisfaciat, omninò propter illam impotentiam omni onere liberabitur, atque ita communem ſententiam exponendam, & reſtringendam eſſe cenſeo.

Denique quando abſolutè eligitur Capellanus, qui quotidiè celebret, non tenetur ad quotidianam celebrationem, niſi quantùm patitur honeſtas, & Sacramenti reuerentia. Ita DD. *in cap. ſignificatum. de præbend.* Caſuiſtæ *ver. Miſſa.* Tabi. *num.* 44. Arm. *num.* 28. Angel. *num.* 45. Sylu. 1. *quæſt.* 7. Antonin. *prim. part. titul.* 10. *cap.* 2. *paragr.* 3. Nauarr. *conſil.* 23. *de præbend.* & *in manuali. cap.* 25. *numer.* 134. Beja. *ſecunda part. caſu* 23. Vgolin. *de offic. Epiſcop. cap.* 14. *numer.* 3. Barboſa *de offic. Epiſcop. allegat.* 24. *numer.* 31. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 1. Azor *prima part. lib.* 10. *cap.* 24. *numer.* 7. Fraxinell. *ſect.* 4. *de obligat. conc.* 4. *paragr.* 2. *numer.* 2. Graffis. *prima part. deciſion. lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 8. Bonacin. *diſp.* 4. *de ſacrament. quæſt. vlt. punc.* 7. *num.* 16. & 17. Diana *tract. de celebrat. Miſſa. reſolut.* 28. Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. *numero* 6. Probatur ex *capite ſignificatum. de præbend.* ibi enim Alexand. III. ita eiuſmodi quotidianæ Miſſæ inſtitutionem confirmat, vt ille ſacerdos teneatur, quantò frequentiùs poteſt ſalua honeſtate ſua, & debita deuotione Miſſarum ſolemnia celebrare. Neque enim fert mortalis infirmitas, vt ſacerdotes in ſæculi turbis degentes ſint perpetuò ad quotidianam celebrationem diſpoſiti, idcircò Layman aduertit in pleriſque Eccleſiis ſolitos eſſe eiuſmodi

Capel

Capellanos ſemel in hebdomada vacare, quæ conſuetudo conſulenda erit; eamdémque vacationem concedit Nau. alij aliter definiunt. Placet cum Anell. *cap. 7. ſæpius citato, n. vltimo.* neque vnam, neque duas in hebdomade vacationes concedere, ſed ſolùm quoties illæ cauſæ occurrunt; quæ in *cap. ſignificatum.* indicantur, v.g. cauſa honeſtatis, aut deuotionis, non voluptatis, curioſitatis, aut lucri, aut alia quæpiam. Immò neque exiſtimarim eo die, quo ex ſententia Nauarri vacare liceret, poſſe illum accipere ſtipendium, vt pro alio Miſſam faciat, quia tunc vacaret ab onere ſibi impoſito lucri cauſa, non honeſtatis, & deuotionis.

34 Trigeſimo quæritur, an qui ex ſtipendio, vel fundatione tenetur Miſſam, *de requiem*, aut de Virgine, aut quopiam alio ſancto facere, poſſit aliam feſti occurrentis celebrare.

Reſpond. poſſe cum communi DD. ſententia, quos dabunt Anell. *lib. 2. de officio ſacerdot. cap. 7. n. 122.* Fagund. *præc. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 9. n. 6.* Barboſ. *de offic. Epiſcop. allegat. 24. num. 31. & in Collectaneis ad cap. ſignificatum. de prebend.* Gauant. *in rubric. Miſſal. tom. 1. part. 3. tit. 13. num. 20. & 21.* Diana. *tract. 14. de celebrat. Miſſa. reſolut. 31.* Villalob *tom. 1. tract. 8. diffic. 31. num. 9.* Ioann. de la Cruz *in director. part. 2. de ſacrificio Miſſæ. quæſt. 4. dub. 2. conc. 6.* Fraxinell. *ſect. 4 de obligation. con. 4. § 4. num. 22.* innumeros allegans. Ratio euidens eſt, debet enim potiùs ſacerdos ſequi generales Eccleſiæ leges, & rubricas, quàm alterius inſtitutionem, quæ Eccleſiæ quoque moribus, & regulis conſentiens eſſe debet, neque ſi contraria ſit, cenſetur ita obligare, vt abſque peccato violari non poſſit, immò præſumitur, qui eiuſmodi certas Miſſas popoſcit, id facere ad mentem Eccleſiæ, & quatenus per eius mores licet, quos ignoraſſe præſumitur, alioquin aliud fuiſſet inſtituturus; maximè cùm eadem vtilitas, & commodum ex Miſſa de Sancto occurrente, atque ex alia, quam poſtulauit, ipſi proueniat: quod præſertim quoad Miſſam pro defunctis fuſiſſimè oſtendit Fraxinell. nam ex opere operato æqualis eſt cuiuſcunque ſacrificij fructus; ex opere autem operantis, & quoad impetrationem eſt quidem ſæpè vtilior Miſſa *de requiem*, vt loquuntur, illa tamen vtilitas aliunde compenſari poterit, ex precibus nimirum illius ſancti, cuius feſtum occurrit, ex deuotione maiori ſacerdotis, atque aliis ex cauſis, vt pluribus oſtendit Fraxin. qui ſapienter monet, docendum eſſe populum, nullam ſibi, neque defunctis iniuriam fieri, & æquè Miſſam prodeſſe defunctis, atque ſi *de requiem* celebraretur.

Addit denique *n.* 18. ſi ſacerdos accepto ſtipendio, aut alias expreſſè Miſſam *de requiem*, aut aliam quampiam promiſit, teneri ſua promiſſione, cùm enim illam ſine culpa implere poſſit, nihil eſt, quod eum eiuſmodi obligatione liberet, quod multò verius fuerit, ſi ſuam promiſſionem iuramento, aut ſtipulatione firmarit.

Trigeſimoprimo quæritur, an qui 35
accepto ſtipendio promiſit ſe dicturum 30. Miſſas D. Gregorij, teneatur illas *de requiem*, & ſine interruptione dicere.

Reſpond. ad neutrum teneri, quod colligitur ex dictis. Non primum, vti iam oſtendimus, cùm poſſit celebrare de Sancto. Neque etiam ſecundum, quia quotidiana Miſſæ celebratio dum ad ſacerdotem, cui ea imponi-

tur, obligatio refertur, intelligenda eſt de frequenti celebratione, quantum ſalua honeſtate, & deuotione licebit, vti Alexand. III. nuper interpretabatur. Et ſanè in hoc caſu particulari, ſi Miſſæ iſtæ *de requiem*, continuò dicendæ forent, aliquando die Paſchatis alióve ſolemniori, *de requiem* celebrandum foret, aut etiam, quod omninò non licet, die paraſceues.

36 Trigeſimo ſecũdo quæritur, an ſaltem ferenda ſit ea inſtitutio, qua quis iubet præter Miſſam principalem, ſiue conuentalem, vt vocant, quæ & pro officio occurrenti dicitur, aliam quotidie celebrari vel *de requiem*, vel de Virgine, aut eiuſmodi quampiam votiuam; ſiue ea inſtitutio perpetua ſit ex fundatione Capellæ, aut beneficij, ſiue ad tempus aliquod ex aſſignato temporali ſtipendio.

Reſpond. probandam eſſe eam inſtitutionem, cùm reſpiciat locum, non perſonam ſacerdotis, neque enim iubet vnum eundémque ſacerdotem quotidie de Requiem, aut de Spiritu Sancto celebrare, ille enim eſt caſus quæſtionis 30. ſed vult. in eo loco quotidie vnam Miſſam celebrari de Virgine, præter Miſſam officij occurrentis; quod cùm non pugnet cum Eccleſiæ regulis, immò pluribus in locis receptum ſit, atque à Pontificibus probatum, vt ab Honorio III. *in cap. cum creatura. de celebratio. Miſſar.* vbi conſule gloſſam, & Panormitan. non poterit reiici ea inſtitutio, modò dies ſolemniores Pentecoſtes, Paſchatis, aliique excipiantur. Et reuerà ita ſentit Panormit. *in cap. citat.* & *tom.* 2. *conſili. conſil.* 99. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 134. & *conſil.* 9. *de celebratio. Miſſa. num.* 8. Henriq. *lib.* 9. *capit.* 23. *n.* 7. & *in litt. N.* Azor *prima part. lib.* 10. *cap.* 27. *quæſt.* 7.

Trigeſimo tertio quæritur, an ſacerdos, qui accepit ſtipendium ad dicendum 30. Miſſas per 30. dies pro defuncto quopiam, ſatisfaciat, ſi illas ab aliis ſimul dici curet intra vnum, aut paucos dies. 37

Reſpond. niſi expreſſè caueatur vt 30. diebus continuis, & non ſimul eodem die Miſſæ celebrentur, ſatisfieri illi obligationi, etiamſi Miſſæ omnes intra pauciores dicantur: immò ſi agatur de defunctis, plures illæ Miſſæ ſimul celebratæ citiùs è purgatorio liberant, ac proinde defuncto vtiliores cenſentur, quam quæ per 30. dies continuos fiunt; quia tamen illa diuturna, & continua ſacrificiorum oblatione pietas viuentium excitatur, & accenditur magis, qui vnà ſimul orationes, aliáque pia opera exercent toto illo tempore pro defunctis, idcircò ex eo capite vtilior cenſeri poterit eiuſmodi ſacrorum continuatio. Quare voluntati dantis ſtipendium pro 30. Miſſis ſtandum erit, quoad modum eas ſimul, aut ſucceſſiuè dicendi, alioquin peccabitur, abſque vlla tamen obligatione ad reſtitutionem. Vide Fraxinell. *de obligat. ſacerdot. ſect.* 4. *con.* 4. §. 6. 38

Trigeſimo quarto quæritur, an qui accepit ſtipendia ad decem Miſſas celebrandas pro vno defuncto, deinde alia decem ſtipendia ab alio, ac demum à tertio, ita vt habeat ſtipendia 30. Miſſarum, pro tribus defunctis, decem videlicet pro ſingulis, ſatisfaciat obligationi, ſi 30. Miſſas pro tribus illis defunctis in communi celebret; an verò debeat diſtinctè decem applicare ſingulis.

Reſp. teneri hunc ſacerdotem pro ſingulis diſtinctè decem Miſſas eo ordine quo accepit ſtipendia, & ſe obligauit, celebrare, non autem pro om-

Tt

nibus in communi triginta. Ita Fraxinell. *loco cit. paragr.* 7. allegans Paludan. *in* 4. *diſput.* 45. *quaſt. ſecund. art.* 2. *con.* 4. & Honcal. *de valore Miſſæ art.* 12. quia alioquin ſingulis facit iniuriam, Miſſa enim pluribus defunctis applicata minùs prodeſt ſingulis; qui igitur vna Miſſa integra potuiſſet liberari à Purgatorio, in eo retinetur, quia valor illius ſacrificij aliis diuiditur; & cùm fortaſſis hi tres ita ſint diſpoſiti, vt ſinguli vnica Miſſa liberari poſſint, nulli propter eam partitionem liberantur: ſanè ſi ſinguli rei poſſint educi è carcere pro decem aureis, ſi primo die decem aureos ſoluam pro omnibus, neminem liberabo, neque etiam ſecundo die, ſed ſolùm quando perficiam ſummam, quæ tot denarios aureorum continebit, quot ſunt rei liberandi; quare ſi accepi decem aureos pro vno liberando, deinde decem pro alio, ac demum pro tertio, & primo die decem pro omnibus dem, iniuriam facio primo, quem liberare poteram, & debebam ex hibitione decem aureorum, ſi pro ipſo duntaxat illos exhibuiſſem, vti me facturum receperam; vnde etiam apparet, quod affirmabam, ordinem accepti ſtipendij ſeruandum eſſe, ita vt non dicantur hæc ſacra alternatim pro ſingulis, ſed decem pro eo, qui primus dedit ſtipendia ipſorum, deinde decem pro ſecundo, ac deñique pro tertio, cùm etiam hoc loco prior tempore potior ſit iure. Soto *in* 4. *d.* 45. *quæſt. ſecund. art.* 4. Alphonſ. de Leon. *de offic. confeſſa. in iubil. part.* 3. *numer.* 23. Bonacin. *diſput.* 4. *de ſacram. q. vlt. punc.* 7. §. 2. *num.* 18.

39 Trigeſimoquinto quæritur, an cantans maiorem Miſſam conuentualem ſatisfaciat obligationi, quam habet dicendi ex accepto ſtipendio Miſſam pro alio, ſi illi ipſam applicet.

Reſpond. non ſatisfacere, ſi eam Miſſam Conuentualem ad intentionem certam capituli, aut conuentus celebrare teneatur, vti ſæpiùs contingit; quodſi libera ſit ipſi ſacrificij iſtius, quod Conuentuale dicunt, applicatio, ſatisfaciet applicando illi pro quo ſacrum facere tenebatur. Bonac. *loco cit. num.* 7. & Fraxin. §. 16.

Trigeſimoſexto quæritur, quoad applicationem ſacrificij faciendam ex mente eius, à quo capitur ſtipendium, an qui obligatur ad quotidianam Miſſam pro fundatore aliquo, nunquam poſſit dicere pro ſe. 40

Reſpond poſſe aliquoties pro ſe, aut ſuis parentibus, & benefactoribus aliiſve vrgentibus ſuis negotiis ſacrificare, quia alioquin intolerabilis foret ea obligatio, & cum charitate naturali, quam ſibi, & ſuis quiſque debet, pugnans, neque eam impoſuiſſe videtur fundator Fraxinell. *de obligat. ſect.* 4. *con.* 4. §. 3. Nald. *ver. Miſſ.* n. 7. Anell. *cap.* 7. *lib.* 2. *n. vlt.* Diana. *de celebrat. Miſſa. reſolut.* 28.

Trigeſimoſeptimo quæritur, an celebrans Miſſam accepto ſtipendio in confraternitatibus, teneatur Miſſam illis applicare. 41

Reſpond. ad idem minimè teneri, niſi aut id poſtulent, aut declarent expreſſè, cùm Miſſam inſtituunt; neque enim aliam ſubit obligationem ſacerdos quàm dicendi ſacrum, miniſtrandi Euchariſtiam, aliúdve ſacrum miniſterium exercendi, non autem certæ cuidam rei, aut perſonæ applicandi, vti in praxi ſæpiùs à viris doctiſſimis reſponſum eſſe teſtatur Alphonſ. de Leon. *de officio confeſſar. in iubil. part.* 3. *num.* 32. idémque tenuir Fraxinell. *confect.* 4. *cit. paragr.* 8. *num.* 3.

42 Trigeſimooctauo quæritur, an ſacerdotes ſæculares, qui ſacra faciunt Monialibus accepto ſtipendio, debeant illis ſacra ſua applicare.

Reſpond. ex ſuperiori quæſtione minimè teneri, ſed poſſe, cui libuerit, Miſſam addicere, quia nihil apparet, vnde oriatur ea obligatio, niſi eam imponere ſe velle moniales declararint.

43 Trigeſimonono quæritur, an qui accepto ſtipendio, aut fundatione tenetur ad quotidianam Miſſam pro aliquo faciendam, debeat tres Miſſas quas in die Natiuitatis celebrabit, ipſi applicare.

Reſpond. negando, cum Fraxinell. *con.* 4. *cit.* §. 21. quia vi illius inſtitutionis, aut ſtipendij non obligatur niſi ad quotidianam Miſſam, non autem ad tres illas die Natiuitatis; multò minus igitur ad ipſarum applicationem obligabitur.

44 Quadrageſimo quæritur, an in die commemorationis omnium defunctorum ſacerdos quotidianæ Miſſæ addictus, teneatur pro eo, qui illam impoſuit, ſacrificare; aut ſi ad id aſtrictus non ſit, poſſit alicui particulari applicare ſuum ſacrificium; an verò debeat pro omnibus fidelibus defunctis celebrare.

Reſpond. verius mihi videri hoc poſtremum cum Fraxin. *con.* 4. *citata.* §. 22. contra Alphonſ. de Leon. *de offic. confeſſ. Iub. part.* 3. *numer.* 21. eò quòd ea mens Eccleſiæ in inſtituenda eiuſmodi commemoratione fidelium omnium defunctorum fuiſſe, iure merito exiſtimetur, vt ex ratione faciendæ illius inſtitutionis colligunt DD. atque ex ipſis verbis orationum, & collectarum Miſſæ huius diei non obſcurè apparet.

CONSECTARIVM VIII.

Priuata quorundam Religioſorum ordinum conſtitutiones circa ſtipendia ſacrorum miniſteriorum explicantur.

Quamuis iuſta ſtipendia pro ſacris miniſteriis, abſque vlla ſimoniæ, aut turpis lucri, & ſordidæ auaritię nota capi poſſint; quod hactenus duobus proximis conſectariis oſtendimus, cùm neque miniſterium ſpirituale ematur, neque iniuria fiat fidelibus, quibus laboratur, ſi miniſtri ſacri ſuo ſe labore ſuſtentent, vti cum Paulo ſuperiùs philoſophabamur. Aliqui tamen religioſi ordines eundem Paulum imitati, non vtuntur hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinent, ne quod offendiculum dent Euangelio Chriſti; idcircò ſuis conſtitutionibus cauent, ne quid pro ſacris miniſteriis capiatur, cuius legis ſanctitatem apertè demonſtrat Paul. qui, vti monuimus *conſectar.* 6. in eo ponit ſuam gloriam; variiſque rationibus confirmat Suar. *tractat.* 10. *de religione. lib.* 4. *capit.* 7. *numero* 9. atque ita ſeruari in quibuſdam Franciſcanorum conuentibus Recollectis teſtatur Cordub. *in capite* 4. *regul. S. Franciſci quæſt.* 15. ad tollendos varios abuſus, qui ex contraria conſuetudine quamuis non mala irrepſerant; quam tamen conſtitutionem non eſſe adeò rigidam, & facilè diſpenſari poſſe ibidem oſtendit. 1

Seuerior multò eſt hac in parte Societas I e s v, ſic enim *in Exam. capite primo*, de voto paupertatis agens loquitur. *neque etiam quamuis aliis ſit licitum, pro Miſſarum*

ſacrificiis, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius ſacramenti adminiſtratione, vel ex vllo alio pio officio, ex iis, quæ iuxta ſuum inſtitutum Societas exercere poteſt, ſtipendium vllum, vel eleemoſynam, quæ ad compenſationem eiuſmodi miniſteriorum dari ſolent, ab alio, quàm à DEO, *ob cuius obſequium omnia purè facere debent, poſſunt admittere.* Quod idem ſæpiùs alibi inculcatur *pa.*4.*conſt.c.*7.§.3. & *c.*15.*in fine.*6.*pa.c.*2.§.7.& *in declar.litt.G.&* 10.*pa* §.5. Neque hac in re diſpenſari poſſe à generali definiuit V. Congregat.*can.*1 & quia in hanc conſtitutionem faciliùs peccare poſſunt confeſſarij Principum, & concionatores, idcircò eadem conſtitutio ſeruanda denuò commendatur in VI. Congreg.*can.*7. & *in ordinat.contractus cap.*4.*num.*8. *&* 9.

Circa hanc conſtitutionem plurima quæri poſſunt, atque imprimis. An hæc ſtipendiotum non receptio pertineat ad votum paupertatis in ſocietate IESV promiſſæ, quæ proinde violetur, quoties eiuſmodi ſtipendia pro miniſteriis ſpiritualibus admittentur, an verò ſit ſolius conſtitutionis violatio.

3 Primum affirmant Molin. *tract.*2. *de iuſtitia. diſp.* 687. *numer.* 3. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de reſtitutio. cap.* 1. *part.* 3. *dubit.* 2. *numer.* 184. Rodriq. *tom.* 3. *quæſt. regula. quæſt.* 29. *art.* 13. & *in ſum. tom.* 2. *cap.* 33. *con.* 4. *numer.* 8. Henriq. *lib.* 9. *de Miſſa. cap.* 22. *numer.* 3. *&* *litt. P.* quamuis enim expreſſè non dicat violari hoc ſtipendio votum, ait tamen committi peccatum mortale. & Petrum Nauarr. allegat Sanch. *lib.*7. *in Decalog. cap.* 28. *numer.* 6. Fagund. *in prim. præc. Eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 7. *numer.* 2. Layman. *libr.* 4. *tractat.* 10. *capit. vltim. paragr.* 2. *numer.* 17. quia in exam. citato, dum paupertatis, quàm Societas profitetur, votum explicatur, duo ipſi ſingularia ponuntur, primum eſt, ne domus profeſſæ reditus vllos habeant; alterum, ne licita, alioquin, ſtipendia pro miniſteriis ſpiritualibus capere fas ſit; quæ duo non ſolùm eodem textu, ſed per particulam continuatiuam *etiam* ſubiiciuntur; cùm igitur primum illud ad votum paupertatis in Societate pertinere certum ſit, id non negandum videtur de altero, ſi verba, & totum contextum illius loci diligenter attendamus.

Dices primo, hinc tantùm colligi, eam ſtipendiorum non receptionem pertinere quidem ad paupertatem Societatis, ſed ſecundum conſtitutiones tantùm, atque ex vi illarum, quæ cùm non obligent ad culpam, vt dicitur *6.part. capit.*5. neque hic paupertatis modus, de quo nullum eſt votum, ſed ſolùm conſtitutio, obligabit ad culpam, ſi præcisè loquamur, & ſecluſis omnibus circumſtantiis extrinſecis, aut peculiari obedientiæ præcepto. Verùm cum conſtitutio explicat votum aliquod, eius materia obligat non ratione conſtitutionis, ſed ratione voti; atqui conſtitutio deſignat pro materia paupertatis, quam profitemur, prohibitionem capiendi ſtipendia iſta; igitur grauis, & ex vi voti obligatio nobis incumbit, vt ab illis omninò abſtineamus. Et ſanè in formula votorum vouemus *omnia intelligendo iuxta Societatis conſtitutiones.* Vouemus igitur paupertatem, qualem præſcribunt conſtitutiones.

Adde in formula inſtituti Iulio III. propoſita inter ſubſtantialia inſtituti contineri gratuitam miniſterio-

rum

rum ſpiritualium exhibitionem, & nullo pro ſuo in prædictis omnibus labore, ſtipendio accepto.

Dices ſecundo hanc abſtinentiam ſtipendiorum pertinere quidem ad paupertatis puritatem, & perfectionem in Societate, quod probant varia loca conſtitutionum, variáque decreta, & ordinationes, in quibus tam ſeuerè commendatur; verùm perfectio paupertatis non cadit ſub votum. Quæ expoſitio facilè reiicitur ex *cap.* 1. *Examinis*, in quo explicatur votum paupertatis, & aperitur, quomodo intelligenda ſit paupertas promiſſa, & ineptè illa puritas, ac perfectio adhibetur in ea explicatione, cùm dici nequeat contineri in paupertate promiſſa.

Alij nihilominus negant aduerſari voto paupertatis in Societate receptionem illam ſtipendiorum, nam nullibi in conſtitutionibus id ſatis apertè declaratur, neque in dubio, grauis obligatio voti inducenda eſt. Quarè *in 6. par. cap.* 2. §. ·. monemur gratis dare quæ gratis accepimus, vt maiori cum libertate, & proximorum ædificatione in diuino ſeruitio procedamus, ex quibus nihil de voto paupertatis innuitur; & in 1. Bulla Pauli III. in qua continetur formula inſtituti, quod ab eo confirmari petebatur; in declaratione quidem voti paupertatis mentio fit de non poſſidendis certis redditibus à Societate profeſſa, de hac autem non admiſſione ſtipendiorum altum ſilentium eſt. In *parte autem* 10. *conſtit.* §. 3. dicitur referre plurimùm ad conſeruationem, & augmentum totius corporis omnem auaritiæ ſpeciem ablegaſſe, non admittendo iſta ſtipendia, inde enim magis paupertas conſeruabitur. Denique V. Congregat. *can.* 1. & *decreto* 41. illius conſtitutionis obſeruationem vehementer commendat ad maiorem ædificationem, & paupertatis noſtræ ſinceritatem, & puritatem retinendam. Cùm igitur ipſamet Societas verba examinis, & conſtitutionum in hac parte interpretetur de puritate paupertatis, non eſt cur ex illis colligamus nouam voti materiam, & obligationem.

Ex his duabus opinionibus neutra probanda eſt, ſed vetus illud pronuntiandum, Non liquet; quandoquidem poſt diutius agitatam eiuſmodi quæſtionem V. Congregatio *can.* 1. *citato.* nihil auſa eſt definite; nec ego vſque eò temerarius ſum, vt quod ſibi non licere viſum fuit vniuerſæ Societati, mihi ſumam, & in eo grauiſſimo, ſanctiſſimóque conſenſu ſedeam arbiter. Quarè ſi agamus de voti, & paupertatis materia directa, & per ſe, nihil definio, & ſequor etiam Suar. *tract.* 10. *de Religio. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 11. & Anell. *lib.* 2. *de obligat. ſacerdot. capit.* 7. *numer.* 44.

Exiſtimo nihilominus indirectè, 3
& per accidens hæc ſtipendia pertinere ad paupertatem, contra quam peccatur in Societate, quoties talia capiuntur. Ex ea communi, & vniuerſali ratione, quod omnis acceptio pecuniæ, alteriúſve rei à Religioſo abſque licentia ſit contra votum paupertatis; at verò hæc ſtipendia ſemper accipiuntur ſine facultate ſuperioris, quandoquidem nullus ſuperior eam concedere poteſt; ergò in eiuſmodi acceptione non obedientia, ſed ipſa paupertas violatur; ex principiis enim vniuerſalibus quodlibet peccatum contra legem non eſt inobedientia, ſed aduerſatur virtuti, cuius materia præcipitur; quando au-

tem aliquod genus rerum accipi prohibetur in Religione, ea prohibitio ſpectat ad paupertatem, quæ non tantum dominium & vſum rerum omnium independentem à ſuperiore vetat, ſed etiam modum acquirendi rem quamlibet præſcribit. Hoc igitur præceptum ad paupertatem Religioſam ſpectat, quæ proinde violatur, dum aliquid contra modum legitimè præſcriptum acquiritur: hæc porrò ſtipendia ſemper ſine licentia admitti conſtat ex eo, quod ne ipſe quidem Generalis eam veniam facere poſſit, vti definit V. Congregat. *can.* 1. Neque dicas, non tolli eo decreto facultatem Generali, quam habet diſpenſandi æquè in ea conſtitutione, atque in cæteris, ſed ipſius ſolum vſum prohiberi; nam vt vrget Suar. *cap.* 8. *cit. num.* 13. quoad culpam, & rem moralem duo illa æquiualent, ſi enim non poſſit vti poteſtate diſpenſandi, & illegitimè proinde diſpenſat, peccat diſpenſando, & qui vtitur illa diſpenſatione. Eſto, aliunde valida ſit diſpenſatio, quando fit ex cauſa legitima, quæ nulla hoc loco fingi vnquam poterit, quarè aut Pontifex, aut Congregatio generalis adeunda erit.

Ex his ſequitur primo hanc acceptationem ſtipendiorum eſſe mortalem, niſi paruitas materiæ excuſet, quod non auſus fuerat affirmare Suar. *cap.* 8. *num.* 11. ego, inquir, non auderem peccati mortalis damnare eum, qui præciſè in hoc delinqueret abſque conſcientia erronea, niſi aliunde ageret contra votum. quia nimirum peccabit tantùm contra conſtitutionem ex probabili ſententia. Noſtra tamen aſſertio manifeſtè colligitur *ex quæſt. ſuperiori*, quia in modo ſaltem accipiendi peccatur contra votum, vnde Suar. addiderat niſi aliunde peccetur contra votum, quod omninò fit, quandoquidem accipitur ſine licentia ſuperioris, etiamſi enim habeat licentiam, non habet tamen ab eo, qui poſſit illam dare, ſaltem legitimè, & qui rei acceptæ vſum vel communem, vel proprium indulgere iure poſſit. Itaque niſi conſcientia erronea legitimæ facultatis conceſſæ excuſet, quod in Societate contingere non poteſt, ſemper erit culpa mortalis; quod fuſiùs proſequitur loco citato Suar. idque ſaltem volunt DD. quæſt. ſuperiori adducti. Neque ſimilia ſunt, quæ afferuntur de Religioſo, qui ſummam pecuniæ, quam ipſi permittit ſuperior, comparat negotiatione prohibita, aut qui poteſt ex ſuperioris licentia pecuniam ſponte oblatam accipere, non autem petere, qui neque hac negotiatione, neque illa petitione pecuniæ peccat contra paupertatem, etiamſi contra obedientiam delinquat. Quandoquidem nullum dominij, & proprietatis actum exercet, nam hic accipit pecuniam ſaltem ex licentia ſibi facta, quod non contingit in noſtro caſu, in quo nulla obtineri poteſt licentia capiendi ſtipendium, præterquam quod ille Religioſus pro ratione prohibitionis ſibi factæ poterit in illa negotiatione, & petitione pecuniæ peccare, quod ſatis eſt noſtro inſtituto, dicimus enim ob grauitatem prohibitionis indiſpenſabilis peccari mortaliter.

Addidi tamen ob paruitatem materiæ minui hanc culpam, nam etiam in votis reperiri eiuſmodi paruitatem materiæ, certum nobis eſt ex alibi diſputatis Quarè tota difficultas eſt vnde ipſa petatur hoc loco; qua in re placet diſtinctio Sanch. *cap.* 28. *lib.* 7. *in Decalog. num.* 8. nam ſi diceremus, hanc receptionem ſtipendiorum

diorum eſſe contra paupertatem in Societate promiſſam, paruitas & grauitas materiæ menſuranda erit ex miniſterio ſpirituali, pro quo ſtipendium datur, non autem ex quantitate ipſius ſtipendij; quare exiguum ſtipendium pro ſacro, aut alio grauiori miniſterio faceret culpam mortalem, quam non conſtitueret, ſi pro minima oratione, aut leuiori alia actione ſpirituali daretur; quia tota culpa præciſè prouenit ex eo, quod accipiatur aliquod ſtipendium pro actione ſpirituali, non verò quod accipiatur aliquid temporale: quare etiamſi illud quod accipitur, adeò exiguum foret, vt ſi gratis, aut pro quapiam alia re abſque licentia acciperetur, non conſtitueret noxam mortalem; ſi tamen pro miniſterio ſpirituali alicuius momenti accipiatur, reuerà ſufficiet ad grauem culpam, niſi adeò exiguum foret, vt nihili prorſus haberetur, neque loco ſtipendij cenſeretur, vt de muneribus quondam diximus. Neque dicas in hac re non poſſe aſſignari paruitatem materiæ, ſicut neque aſſignatur in Simonia, cuius tota malitia in rei ſpiritualis venditione conſiſtit, nihil verò intereſt, an magna, an exigua ſit illa res ſpiritualis, modò ſpiritualis ſit; eodẽ modo cum malitia huius culpæ ſit in receptione ſtipendij pro functione ſpirituali, quæcunque functio verè ſpiritualis, ſufficiet ad totam malitiam ipſius; nam Simoniæ malitia conſiſtit in iniuria, quæ ſit rei ſpirituali, dum pretio temporali diſtrahitur, quæ iniuria tota reperitur etiamſi res ſpiritualis vendita minima ſit; at verò culpa, de qua agimus, non oritur ex aliqua iniuria, quæ fiat miniſterio ſpirituali, pro quo datur ſtipendium, Simonia enim foret, ſed in eo quod admittatur tale ſtipendium contra votum paupertatis, in quo ſine dubio, ſicut & in cæteris dari paruitatem materiæ, omnes æquè conſentiunt. Si tamen dicamus culpam oriri hoc loco non ex ipſa acceptione præciſè, ſed ex modo accipiendi ſine ſuperioris legitima licentia, tunc paruitas, & magnitudo petenda erit ex rei acceptæ quantitate, vti contingit in reliquis omnibus, quæ ſine licentia à Religioſo capiuntur.

Secundo ſequitur, Religioſum Societatis, qui ex licentia extra domum verſatur, habétque licentiam accipiendi pecuniam, & in vſus neceſſarios inſumendi, non poſſe tamen accipere iſta ſtipendia. Ita DD. initiò relati, quia ne expreſſa quidem licentia excuſaret à culpa, multò minus iſta confuſa, & generalis, quæ ſemper de acceptione modo permiſſo in Societate intelligenda eſt.

Sequitur tertio Religioſum, qui eiuſmodi ſtipendia in Societate recepit, teneri ea danti reſtituere. Ita Molin. *tract.* 2. *diſp.* 687. Sanch. *cap.* 38. *lib.* 7. *in Decalog. num.* 11. Anell. *lib.* 2. *cap.* 7. *numer.* 52. & Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 19. contra Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 1. *part.* 3. *num.* 179. *&* 180. *in noua Edition.* Roderiq. *tom.* 2. *ſum. cap.* 33. *num.* 8. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 3. *& litt. P.* qui ad ſummum volunt ſuperiori reddi. Noſtra tamen aſſertio ſequitur ex dictis, quamuis enim non violetur Iuſtitia commutatiua, ex qua ſola videri poteſt oriri obligatio reſtitutionis, cùm tamen vel ex vi voti, vel ex conſtitutione hæc ſtipendia in nullos vſus à nobis expendi poſſint, neque etiam ſeruari, ac retineri, neque ad hoc ſuperior valeat facultatem concedere, & tam illicita ſit retentio, & conſumptio ipſorum, 4

ſorum, quàm prima acceptio, nihil profectò ſupereſt, quàm vt danti reſtituantur ex voti religione, & conſtitutionum; hæc enim omnia violantur tum accipiendo, tum expendendo, tum denique retinendo eiuſmodi ſtipendia. Quarè niſi ille, qui dedit, conſentiat, vt ſuo, non noſtro nomine in alios vſus expendantur, omninò reſtituenda erunt; veluti ſi quis vouiſſet ſe gratis in certa aliqua cauſa patrocinaturum, ſi nihilominus conſuetas ſportulas admitteret, non violaret Iuſtitiam, neque iniuriam vllam ſuo clienti faceret, cui tamen pretium ſui patrocinij reſtituere deberet, quia illud neque accipere neque expendere, neque retinere ex voti religione, quo ſe obligauit, licitè poteſt.

5 Sequitur quarto eum, qui eiuſmodi pecunias accepit, & antequam eas reſtituerit danti, expulſus eſt à Societate, teneri adhuc, ſi eas habeat, danti reddere, quia quamuis votis modò liber ſit quoad futuram obligationem ex vi ipſorum contrahendam, non tamen quoad præteritam: ſicut qui vouerat ſe quoties luderet daturum certum aliquid pauperibus, ſi deinde eius voti diſpenſationem obtineat, tenetur tamen ad eam eleemoſynam ex voto debitam, ſi luſit ante obtentam diſpenſationem, quæ non eradit priorem illam obligationem priùs contractam, quamdiu ſuo voto obſtringebatur. Eodem modo ſi abſque licentia pecunias aliquas in Religione acquiſiuerat, tenetur deinde expulſus Societati reddere, quia fuerant datæ duntaxat ex pecuniæ, vt in vſum Societatis expenderentur, quod non fit ab eo, qui expulſus fuit, nam ſi fuerat illi permiſſum eas in vſus pauperum, aut alios inſumere, non tenebitur reſtituere ſuperiori, ſed dantibus, quia ius nullum habet ſibi eas retinendi.

Sequitur quinto peccare Religioſum Societatis, ſi paciſcatur ſe ſacrum facturum, ſtipendium autem dandum vel pauperi, vel conſanguineo, vel retinendum eſſe ab eo, cui onus ſacri incumbebat. Ita Petr. Nauarr. Rod. Sanchez Layman, & alij, quia reuerà ſacro miniſterio ſtipendium, & pecunia acquiritur perſonæ deſignatæ ab iſto Religioſo, qui proinde verè dicitur accipere ſtipendium, & illud alteri, qui nullum aliud ius habet, donare; qua in re duplici peccato peccabit, quod obſeruat Sanch. *num* 15. quia & ſtipendium accipit, & quia ſine poteſtate in alios transfert.

Sequitur ſexto poſſe Religioſum Societatis facere ſacra, ad quæ alius ſiue ex fundatione, ſiue ex accepto ſtipendio, ſiue aliunde tenebatur, modò non cooperetur illi pactioni, neque ius vllum alteri acquirat ad ſtipendium, ſed ipſum duntaxat gratis ſua obligatione liberet. Ita Sanch. *num.* 18. & Layman *num.* 20. quia reuerà ſuo ſacrificio nullum acquirit ſtipendium, quod autem alius ſibi retineat ſtipendium, quod ſuo vicario, aut ſubſtituto dediſſet, eſt per accidens; neque enim ex aliqua pactione mea ius ipſi acquiro; quoties igitur obligatio ſacrificandi, aut quidpiam aliud, iam contracta eſt, cui ego gratis ſubuenio, non pecco hac in parte. Quarè licet nobis gratis facere ſacra, ad quæ capellani, confraternitates, & alia loca pia quot annis tenentur propter annuos redditus cum tali onere ipſis relictos, aut quæ curare debent heredes ex teſtamento, etiamſi iſti omnes ſtipendium, quod dediſſent, ſibi retineant, vt dixi modo, nos neque ſtipendium

vllu-

vllum recipiamus, neque paciſcamur, vt aliis detur, quia hi omnes non acquirunt dominium illarum pecuniarum, quas ſibi retinent ratione horum ſacrorum, ſed titulo legati, hæreditatis, fundationis, pacti initi, Capellaniæ, aliiſque ſimilibus, ſed tantùm eximuntur onere, ſiue obligatione illis annexa, & per accidens obligatione pecuniæ impendendæ: qua obligatione cur ego non poſſum gratis leuare alium meo ſacro opere? neque enim ego aliquid in ſtipendium, & compenſationem operis ſpiritualis idcircò capio.

Si autem executores teſtamentorum peterent à nobis, vt ſacra illa faceremus, atque ita ipſi ſibi pecunias dandas retinerent, non liceret id facere, quia iſti nullum habent aliud ius ad eiuſmodi pecunias, niſi quia fit ſacrum à Religioſo iſto, qui proinde ius ipſis confert, atque adcò æquiualenter ſtipendium accipit, & executori teſtamentario largitur. Idémque cenſet Sanch. de priuatis Clericis, qui quotidiana ſtipendia capiunt ad dicenda ſacra, ſi enim vt ea ſibi retineant, petant dici ſacrum ab aliquo è Societate, reuerà vi, & titulo illius duntaxat ſacri à tali Religioſo facti pecuniam illam comparant; quarè ille Religioſus ex ſuo ſacro ſtipendium alteri acquirit, ac proinde peccat, vti diximus.

6 Sequitur ſeptimo Religioſos, quoties poſſunt illa ſacra abſque peccato pro aliis, qui ea tenebantur aut ipſi facere, aut facienda curare, non indigere ſuperioris licentia, quia liberum eſt ſacra quæ ſuperſunt, vbi obligationi à Religione impoſitæ ſatisfecerunt, pro quibus libuerit offerre.

Sequitur octauo: quoties aliquis ſtipendium ſibi acquiſiuit per ſacra, quæ Religioſus Societatis eum in finem fecit, vix ſibi illud retinere iure poterit, niſi ex præſumpta voluntate dantis; nam vel Religioſus iſte ignorauit dari, & acquiri ſtipendium pro his ſacris, vel id ſciuit; ſi primum, reuera non acquiſiuit dominium illius ſtipendij, quod datum eſt in compenſationem faciendi ſacri, quod tamen ea intentione factum non fuit, & gratuita donatio non eſt ſolutio rei debitæ; neque Religioſus iſte voluit ſuo ſacro conferre ius alteri ad ſtipendium, & ita contra ſuum votum peccare, immò prorſus voluit non peccare, & nullum eiuſmodi ius acquiri. Si verò ſciuit iſte Religioſus, ſtipendium quidem ſuo ſacro comparari alteri, in eo tamen ſe minimè peccare falsò exiſtimauit, reuerà non voluit, vt alter ſuo peccato, quod ſe committere ignorabat, acquireret ſtipendium, quod proinde retinere ſibi ille non poterit. Quod ſi Religioſus ſciuit ſe peccare, voluit tamen hoc ſtipendium, etiam peccando, alteri comparare, & ille tantùm votis ſimplicibus poſt biennium Nouitiatûs emiſſis ligatus ſit, exiſtimat Sanch. *cap.* 28. *cit. num.* 20. poſſe alterum ſtipendium ita acquiſitum ſibi retinere; nō verò ſi ille Religioſus, aut profeſſus, aut coadiutor formatus erat; quia profeſſi, & coadiutores formati cùm ſint incapaces acquirendi dominij, illud in alium quoque transferre nequeunt; quarè danti reſtituendum erit ſtipendium, aut in alia ſacra expendendum. At verò qui biennij tantùm votis tenetur, capax fuit acquirendi dominij, & in alium transferendi, quamuis in modo acquirendi peccârit contra votum. Quod poſtremum dictum non conſentit cum iis, quæ de obligatione reſtituendi danti, etiam dum expellitur

pellitur è Societate, affirmaui: idem Sanch. ſi enim dominium huius ſtipendij acquiſiuit, quamuis peccando, & nullam alteri fecit iniuriam, cur tunc obligabitur ad reſtituendum, & retinere non poterit, quandoquidem ſola obligatio voti, & defectus facultatis ſuperioris reddebat retentionem illicitam, ſicut & primam receptionem? Exiſtimarem itaque illum nunquam acquiſiuiſſe dominium huius ſtipendij, non quod per vota illa dominij acquirendi incapax conſtituatur; ſed quia non poteſt inuito ſuperiore hæc ſtipendia etiam valide acquirere, ſi illa ſint materia voti paupertatis: ſi autem ſit ſola obligatio conſtitutionis, & in modo tantùm acquirendi peccetur contra votum, non propterea fit dominus huius ſtipendij, vt illud in alium transferre queat, alioquin poſſet validè ſaltem in alios etiam vſus expendere, & non teneretur danti reſtituere contra quàm velit Sanch.

Atque hæc quidem omnia vera ſunt attento rigore iuris, nihilominus mentem dantis ſtipendium attendamus oportet, vt initio monui; cùm ille tantùm dederit ad ſacrum obtinendum, quod reuera obtinuit, non vult ſibi opinor reſtitui, etiamſi qui dixit ſacrum, non potuerit licitè illud ſtipendium acquirere illi, cui donatum fuit, ſed omninò vult manere illi, cui datum eſt ex pacto ſacri faciendi; de æquitate autem illius pacti non diſputat.

Sequitur nono quoties Clericus ad ſacra miniſteria pecunias accepit, eáſque conſumpſit, neque reſtituere poteſt, aut ſacra, ad quæ obligatus fuerat, facere, poſſe Religioſum gratis illi obligationi ſatisfacere, quia reuerà non acquirit ſibi, aut aliis ea ſtipendia, ſed ſolùm gratis liberat alium obligatione, cui ſoluendo non erat.

Sequitur decimo eum, qui grauatus onere Miſſarum ex acceptis ſtipendiis Societatem ingreditur, teneri adhuc illa obligatione, & ſtipendia ex ſuis bonis, clericis aliis dare ad illas Miſſas faciendas; quod ſi propter penuriam nequeat, vel non eſt admittendus donec ſuæ obligationi ſatisfecerit, vel deinde ipſemet tum in Nouitiatu, tum etiam poſt vota ea ſacra facere tenetur, quia in Nouitiatu quidem nullum habet impedimentum, per vota autem non poteſt ſe obligare in præiudicium prioris obligationis ex Iuſtitia contractæ. Vnde Sanch. ait, illum hæc ſacra præponere debere aliis, ad quæ dicenda Societas obligat. Poterit quoque ab aliis Religioſis, qui ea ſacra faciant, hoc onere leuari, vt patet ex dictis. Quæ doctrina traditur à P. Claudio Aquauiua hac de re conſulto, vti refert Sanch. *cap.* 18. *citat. num.* 23.

Sequitur vndecimo Religioſum Societatis, qui illicitè ſtipendia ad Miſſas dicendas accepit, & conſumpſit, teneri ad illa ſacra vel per ſe, vel per alium facienda. Ita Layman *cap. vltim. cit. num.* 20. Anell. *cap.* 7. *nu.* 54. Sanch. *num.* 25. quia Religioſus ex contractu naturaliter lege Iuſtitiæ obligatur, cui obligationi ſatisfacere tenetur eo modo quo poteſt; deinde non acquirit vllum ius ad iſta ſtipendia, ſed priori obligationi ſatisfacit, quod licere diximus. 7

Sequitur duodecimo fas eſſe in Societate recipere eleemoſynas, & munera alia, quæ gratis dantur cauſa gratitudinis ob exhibita ſpiritualia miniſteria, etiamſi niſi fuiſſent illa miniſteria exhibita, non fuiſſent quidquam largituri; ſicut etiamſi licet 8

cet eiuſdem gratitudinis teſtandæ gratia, ſacra, orationes, aliáve ſimilia offerre, & promittere iis, à quibus aliqua beneficia, aut munera temporalia accipimus, quia in his omnibus nulla aut compenſationis, aut ſtipendij, aut conuentionis, & pactionis, aut nouæ alicuius obligationis ratio reperitur, vti neceſſe foret ad reddendam illicitam iſtam receptionem, quod ex *cap.* 1. *Examin.* ſatis perſpicuum manet, idque obſeruat Petr. Nauarr. *cap. citat. num.* 184.

Sequitur Decimotertio non peccari contra conſtitutionem Societatis, quando aliquid petitur, aut accipitur pro commeatu, aut ſuſtentatione miniſtrantis ſpiritualia in certo loco, qua de cauſa redditus ad fundationem Collegiorum accipimus, & quæ ad iter, atque ſuſtentationem in Miſſionibus neceſſaria ſunt. Ratio eſt, quia ſic non compenſantur miniſteria ſpiritualia, quod vnum conſtitutio prohibet, ſed vt ratiocinatur De Lugo. *diſp.* 21. *de Euchar. ſect.* 1. *num.* 17. nos tantùm indemnes ſeruamus, ne cogamur ea occaſione nouas expenſas, & ſumptus extraordinarios facere; ibíque nullum reuera lucrum eſt, cùm nihil accipiamus, ſed non expendamus ex noſtro in gratiam alterius, quod aliàs non eſſet expendendum. Quarè non poſſumus petere, aut accipere, quæ alioquin nobis neceſſariò expendenda forent; ſed quod in gratiam petentis tale miniſterium addendum neceſſariò eſt, vt viaticum, aut victus, vt quis concionetur v.g. in aliquo loco, vbi alioquin alendus non erat. Quarè cùm quidquid accipit Societas, accipiat tantùm, vt ſe indemnem conſeruet, & ad non donandum de ſuo, non verò ad lucrum faciendum, tota eius opera gratis omninò confertur, cùm alij ſacerdotes, etiamſi nihil accipiant pro ipſis miniſteriis, eſſet enim Simonia, capiant tamen neceſſarios ſumptus, & ſuſtentationem, quam alioquin ex ſuo facere deberent, atque ita lucrantur aliquid, & prætereà quod illi pro ea ſuſtentatione, & ſtipendio reuerà ſe obligent ad ſpiritualia miniſteria, quod poſtremum non facit Societas; Et idcircò in fundatione Collegiorum nunquam ſe obligat ad dandos confeſſarios, aut concionatores, aut etiam ad Theologiæ Doctores; quanquam quoad poſtremum iſtud, vbi ſuſcipit aliquam Vniuerſitatem, conſequenter ſe obligat ad eius omnes lectiones; ſed ea obligatio Theologiæ docendæ tunc, vt vides, acceſſoria tantùm eſt, & non principalis. Ita habetur *in* 4. *par. conſtit. cap.* 7. §. 3. *& in declarat. litt.E.* Ratio huius diſcriminis euidens mihi videtur, quia, vt oſtendimus quæſt. 5. doctrina non eſt miniſterium ſpirituale, vti eſt concio, adminiſtratio Sacramenti pænitentiæ, & aliorum; idcircò cùm Societas ex ſuo inſtituto gratis miniſteria ſpiritualia exhibere debeat, non poteſt ſe obligare ad concionandum alicubi, aut audiendas confeſſiones poteſt tamen ad docendum: atque eam in rem ſumptus neceſſarios in ſuſtentationem Collegiorum ex contractu accipere; quia verò controuerſum erat, vtrum Theologiæ doctrina inter ſpiritualia cenſenda eſſet, quamuis verior, communiórque ſit ſententia negans, vti oſtendimus *quæſt.* 5. *cit. conſectar.* 5. *&* 6. *ex* 1. *Regula.* tamen ne qua ex parte videretur *impediri ſinceritas noſtri in procedendo modi*, cauit S. Ignatius, ne quam directam, & per ſe obligationem docendi Theologiam caperet

Societas, ſed ſolùm indirectam, & ex conſequenti. Immò Sanch. *cap.* 28. *cit. num.* 4. ex verbis illis conſtitutionis, *non conuenit vllam collegij dotationem eſſe*, colligere ſibi videtur, non pugnare cum inſtituto Societatis, admittere obligationem dandi confeſſarium, aut concionatorem, aut Doctorem Theologiæ; quia vox, non conuenit, ſignificat tantùm, id magis conſentaneum fini, & intentioni Societatis, quæ gratis dat, exhibétque ſpiritualia; nam aliud eſt accipere ſtipendium miniſterij ſpiritualis, aliud verò accipere pro obligatione dandi miniſtrum aliquem; hæc enim poſterior obligatio non eſt ſpiritualis; vnde neque materia Simoniæ exiſtit, vti dicebamus de obligatione faciendi ſacri quotidie. *quæſt.* 6. *conſectar.* 3. *caſu vltimo.*

CONSECTARIVM IX.

An aliquid temporale pro ingreſſu Religionis accipi poſſit.

Intricatiſſimam iſtam controuerſiam, de qua Canoniſtæ *ſe in iuris præſumptione fundantes* (inquit Sylu. *ver. Simonia. quæſt.* 15.) *implent quaternos, & materiam aliquando non benè reſoluunt*, facilè ex noſtra propoſitione vniuerſali de natura contractûs Simoniaci, initio ſuperioris quæſtionis ſtabilita, atque ex hactenùs diſputatis explicare licebit.

Dico igitur, aliquid tanquam pretium ingreſſus Religionis accipere, Simoniacum eſſe; poterit tamen Monaſterium tenue, & egens neceſſariam perſonæ ingredientis ſuſtentationem exigere; quod Monaſterio opulento propter Simoniæ ſpeciem, & turpe lucrum prohibent ſacræ conſtitutiones, quibus contraria conſuetudo non videtur ſatis derogaſſe, niſi ex præſumpta neceſſitate, & indigentia. Hæc eſt ipſiſſima Parisienſis Academiæ ſententia, quam ſuo decreto firmauit, quod retulimus ex Dionyſio Carthuſiano *quæſt.* 2. *num.* 8 vbi & illud aduerſus nouiores accuratius expendimus: modo ipſum cum noſtra aſſertione ex ipſo deſumpta placet validè confirmare.

Primam partem huius aſſertionis omnes æquè concedunt, cùm enim Religio, & ad eam admiſſio ſit aliquid ſpirituale, ſi quid in pretium eiuſmodi ingreſsûs, aut profeſſionis Religioſæ vel accipiatur, vel exigatur reuerà committitur Simonia iuris diuini.

Secundam partem, exigi nimirum poſſe ab indigente Monaſterio, quæ ad alimenta, & ſuſtentationem in Religionem admittendæ perſonæ neceſſaria ſunt, docent Theologi *in* 4. *diſt.* 25. *&* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. cum S. Thoma *art.* 3. *citat.* Caietan. & Aragon. *ibidem.* Victor. *relect. de Simonia.* 2. *part. numer.* 12. Summiſtæ. *ver. Simonia.* Angel. 4. vbi allegat Rod. Piſanella. *eod. ver.* 6. vbi citat Raymund. & Guilielm. qui annuam penſionem pro expenſis admittunt. Sylueſt. *quæſt.* 15. confirmat tum ratione communi, tum ex authoritate Vlderici Tancredi, Vincent. Raymundi, Hoſtienſ. & aliorum. Armill. *eod. ver. num.* 50. Tabiena. *num.* 63. Nauarr. *tract. de redditib. Eccleſ. quæſt.* 1. *monito* 62. Gloſſa *in cap. non ſatis.* & *in cap. quoniam. de Simonia.* cui adhærſerunt DD. relati à Barboſ. *in collectan. ad cap. non ſatis:* licet tum ipſa Gloſſa, tum ferè antiquiores Canoniſtæ nolint hoc

loco

loco fieri vllum pactum, vt ſtatim dicam, aut ſaltem exigant proteſtationem quandam Monaſterij, qua affirmet ſe nihil quidem pro ingreſſu Religionis exigere, non habere tamen ſufficientes redditus ad ſuſtentandam nouam Monialem, quare monere, vt ei de victu prouideatur. Sequuntur magno conſenſu recentiores. Suarez *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 17. & *tractat.* 7. *de Religio. cap.* 9. *num.* 15. & *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 22. *ſect.* 5. *à num.* 5. Binsfeld. *in cap.* 9. *de Simonia. quæſt.* 1. *con.* 2. Ferdinand. à Caſtro. *tractat.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 9. *num.* 4. Mirand. *tractat. de Monialib. quæſt.* 8. *artic.* 6. *&* 7. Diana. 3. *part. tractat.* 2. *de dub. Regulæ. reſolut.* 100. Leſſius *libr.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 12. Philiarc. *tom.* 2. *de officio ſacerdot. libr.* 6. *capit.* 7. Layman. *libr.* 4. *tractat.* 10. *capit. vltimo, num.* 34. Bonacin. *diſputat. de Simonia. quæſt.* 4. §. 8 Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 2. Sotus. *lib.* 9. *de Iuſtitia. quæſt.* 6. *art.* 2. Azor 1. *par. lib.* 13. *cap.* 9. & *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæſt.* 1. Tamburinus *de Iure Abbatiſſæ. diſputat.* 5. *quæſit.* 2. *&* 3. qui alios dabunt; qui omnes pactum etiam probant, neque ea proteſtatione opus eſſe exiſtimant. Repugnat tamen acriter Dionyſ. Carthuſian. *toto lib.* 1. *de Simonia.* quod ipſum omninò velle videntur, qui negant vllum pactum hoc loco fieri poſſe, aut qui volunt proteſtationem, de qua ſuperiùs monebam, exigi. Ita aliqui apud Innocent. *in cap. Tua nos. eod. tit.* ipſe enim refert quidem eam opinionem, & deinde tranſit. Archidiac. 1. *quæſt.* 2. *in principio*, & Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 4. §. 1. *num.* 16. & alij quos refert Tabien. *ver. Simonia. nu.* 63. qui DD. non loquuntur conſequenter, ſi enim acceptio, & exhibitio temporalis pro ſuſtentatione Religioſi ingredientis Monaſterium prohibita non eſt, etiam iure Eccleſiaſtico, vti fatetur disertè Gloſſa *in cap. Non ſatis. ver. requiratur.* pactum de illa ſuſtentatione non poteſt eſſe illicitum, quandoquidem fas eſt paciſci de eo, quod petere licet, & ſine quo poteſt negari opus quod poſtulatur, immò in eo implicatur pactum, vt vides.

2 Ratio igitur noſtræ huius concluſionis eſt, quia hæc exactio ſuſtentationis perſonæ admittendæ in Religionem, neque ex natura rei, neque etiam ex iure Eccleſiaſtico prohibetur Monaſterio indigenti. Primum inde oſtenditur, quod ſuſtentatio ſit aliquid temporale, & diſtinguatur ab ingreſſu in Religionem; vbi autem temporale datur pro temporali, nulla eſt Simonia, & quamuis ſpirituale cum temporali annexum ſit, ſi tamen contractus neceſſariò non miſceantur, neque ex ea coniunctione neceſſario ſequatur vendito temporali vendi quoque ſpirituale ipſi annexum, non committitur in illa pactione, atque venditione temporalis cum ſpirituali annexi vlla Simonia, vti *quæſt.* 5. *&* 6. fuſiùs fuit oſtenſum. Hoc autem in re, qua de agimus, reperiri facilè apparet, cùm ſuſtentatio Religioſi ab eius adſcriptione in Religionem omninò diſtincta ſit, & de vna contrahi poſſit abſque alia, ſicut aliud eſt, quempiam in Clerum aſcribi, aliud de eius victu, & alimentis, vbi eum in ordinem fuerit aſcitus, prouidere; idcircò cùm Eccleſia non habet vnde Clericos alat, quia eius redditus iam in alios diſtributi ſunt, nullum in Clerum admitti

patitur niſi ex bonis, & facultatibus ſuis habeat vnde alatur; & quamuis ea bona non fiant Eccleſiaſtica, ſed profana maneant: qua in re diſſimilitudo eſt nonnulla cum noſtro caſu, facultates enim, quæ in victum religioſi dantur Monaſterio, illius fiunt; in eo tamen conueniunt, quod in vtroque caſu paciſcitur Eccleſia, & religio de perſonæ ſacræ, atque religioſæ ſuſtentatione, & ſine illo pacto non conſecratur, & quamuis patrimonialia bona clerici, non fiant Eccleſiaſtica, ſicut dos ingredientis Religionem, omnia tamen donantur pro victu perſonæ ſacræ, & Religioſæ. Cùm autem Eccleſia non ſumat ſibi onus alendi perſonam illam ſacram, ſicut Religio perſonam Religioſam, mirum non eſt, ſi bona data in ſuſtentationem Religioſi; tranſeant in dominium Religionis, non autem bona patrimonialia clerici in dominium Eccleſiæ. Satis verò eſt noſtro inſtituto, quod etiam Eccleſia affectanti ſacros ordines imponat onus, & obligationem comparandi ſibi victum aliunde, quàm ex ſacris miniſteriis, & redditibus Eccleſiaſticis, alioquin arceat à ſacris, neque tamen committit ſimoniam; cur enim Religio, quæ idem onus imponit ambienti Religionem, ſimoniæ accuſabitur? quod enim ſibi neceſſaria alendo Religioſo dari velit, non autem Eccleſia alendo ſacro Miniſtro, inde eſt, vt iam monui, quia Eccleſia nequaquam ſe obligat ad alendum illum clericum, ſicut Religio Religioſum. Cæterùm hoc quoque pactum cedit in vtilitatem temporalem Eccleſiæ, ne quis ex eo capite ſimoniæ excuſet Religionem, quia ſi clericus iſte facultatibus deſtitueretur, ex Eccleſiæ redditibus alendus foret; quarè vt graue illud onus caueant Epiſcopi, neminem niſi cum ſufficienti patrimonio ſacris initiare iubentur. Vides itaque pactum de ſuſtentatione ſacræ & Religioſæ perſonæ longè diuerſum eſſe à pacto de eius conſecratione, ac proinde ſimonia prorsùs vacare Quod prætereà confirmatur ex matrimonio carnali, à quo ad ſpirituale valere argumentum ex communi ſententia latiùs oſtendunt Boeri. *deciſion.* 126. quæ incipit. *Et in dicto proceſſu aliud fuit ortum dubium.* Andre. Gaill. *libr.* 2. *practic. obſeruation. obſeruat.* 94. *numer.* 16. Euerard. *loco à Matrimonio carnali ad ſpirituale*, & alij: atqui in Matrimonio quamvis nihil pro illo detur, cùm ſit ſacramentum, datur tamen dos ad ſuſtentanda eiuſdem Matrimonij grauia onera, alendam verbi gratia coniugem, liberos ſuſcipiendos, & vniuerſam familiam, vti *in opere de vſuris & commerc. libr.* 4. *cap.* 5. monuimus; quidni igitur in connubio iſto ſacro Religioſæ perſonæ dabitur ſimilis aliqua dos, tum ad iſtius ſponſæ ſuſtentationem, tam ad ſacræ familiæ ferenda onera? Qua de cauſa ſapienter ſanciuerunt leges, vt filiæ ſiue nubenti, ſiue Monaſterium ingredienti congrua dos aſſignaretur, quod tradunt Bald. *in l. fina. C. de dotis promiſſ.* & *Authent. niſi rogati. in principio. C. ad S.C. Trebellia.* Anchara. *Conſil.* 208. *num.* 4. Felin. *in cap. Eccleſia. num.* 79. *de conſtitutio.* Euerard. *loco citat. num.* 4. Mantica. *libr.* 12. *de tacitis, & ambiguis conuentionib. titul.* 21. *n.* 4. & *n.* 34. & 40. Eadem de cauſa volunt DD. quoties ſubditi tenentur conferre aliquid in dotem filiæ domini, teneri quoque dum illa Religionē amplectitur.

Ita

Ita Felin. *in citatum cap. Eccleſia. de conſtitut.* Benedic. *in cap. Raynutius. de teſtament. verſ. dotem in principio. num.* 164. Albert.Brun. *tract. de ſtatu fœmina. art. 6. & 9.* Boeri. & alij ſuperiùs allati. Ex quibus colligis, dotem æquè in matrimonio ſpirituali, atque carnali communi omnium ſenſu aſſignari, atque deberi; de ea igitur paciſci licebit abſque iniuria ſacramenti Matrimonij, & ſanctitatis religionis; neque vlla erit in eiuſmodi pacto ſimonia attento iure naturali, & diuino.

3 Iam verò quod attinet ad ius Eccleſiaſticum, illud nullibi prohibet hæc pacta Monaſteriis egentibus, quod expendenti, quæ in contrarium afferri ſolent, facilè conſtabit.

Afferuntur igitur cap. *non ſatis. cap. cùm in Eccleſia. cap. veniens. cap. de Regularibus. cap. dilectus.* 2. *de Simonia*, quibus omnibus locis Pontifices, & Concilia damnant hanc ſimoniam, quam in pleriſque Monaſteriis praua conſuetudine inductam eſſe queruntur.

Reſpond. ex his confirmari quidem primam partem noſtri Conſectarij, & damnati tanquam ſimoniacum, quod pro ipſo ingreſſu religionis exigitur, non verò quod pro ſuſtentatione, de qua duntaxat hoc loco diſputamus. Et quidem *cap. non ſatis*, prohibet ne ab iis, qui ad religionem tranſierint, aliqua pecunia, requiratur, ſicut neque ab eo, cui Prioratus, Capellania, aut regimen alicuius Eccleſiæ creditur, in quibus nihil eſt, vnde eam prohibitionem ad ſuſtentationem religioſi extendas. Deinde cùm addat Alexand. *in eo cap.* hoc peccatum nulla conſuetudine excuſari, ſed augeri potiùs, manifeſtum eſt agere de ſimonia iuris diuini, qualem tamen nullam eſſe in contractu pro ſola ſuſtentatione liquidò euicimus, & fatentur plerique aduerſarij, qui ad ſolam prohibitionem Eccleſiæ prouocant, cui tamen diuturnam conſuetudinem poſſe derogare nemo vnus dubitat.

Eodem modo loquitur cap. *cum in Eccleſia.* deſumptum ex Concil. Lateran. ſub Alexandr. III. *cap.* 7. *&* 8. cui ſimile eſt, quod ſanciuit Roman. Synodus. *cap.* 1. celebrata ab Innocen. II. cuius verba inſeruit ſuæ compilationi Gratian. *prim. quæſt.* 3. *cap. fin.* agit autem de pretio accepto pro Epiſcopis, Abbatibus, & quibuſcunque aliis perſonis in ſedem Eccleſiaſticam, inſtituendis ſacerdotibus, benedicendis mortuis, & quibuſcunque aliis ſacramentis conferendis, quæ omnia ſpiritualia ſunt, idcircò nimis horribilem dicit hanc venalitatem; itaque de rei ſpiritualis venalitate agit.

Cap. *veniens.* qui vt reciperetur in Monachum coactus fuerat dare 30. ſolidos Monachis, decem Abbati, & alios decem familiæ pro paſtu, dicitur ſimoniacus, ſicut & monachi, atque Abbas, qui illam pecuniam exegerunt pro ipſo habitu monachali dando, vt ibidem habetur, quam ſimoniam fuiſſe iuris diuini ſtatim apparet.

Cap. *de regularibus.* interrogatur Pontifex, quid agendum eſſet circa Monachos, qui ſcientes volenteſque Simoniam in ingreſſu religionis commiſerant, quos Clem III. ad arctiora Monaſteria transferri iubet, vt inibi *tam execrabilem exceſſum ſine intermiſſione deplorent.* ſupponitur itaque commiſſa Simonia, quomodo verò commiſſa fuerit, non explicatur; quanquàm cùm dicit

dicit Pontifex *per ſimoniam ingreſſum habuerunt*, ſatis ſignificet Pontifex, pecuniam pro ipſomet ingreſſu exhibitam fuiſſe.

Denique cap. *Dilectus*. 2. Cantuarienſis Archiepiſcopus *ſimoniacam prauitatem pullulaſſe repererat in Monaſteriis & aliis Religioſis, cùm multi in eis pretio eſſent recepti, qui potiùs gratis recipi debuiſſent.* Quarè quærit à Pontifice, quid in tanta reorum multitudine ipſi faciendum eſſet. Ex quibus nihil omninò colligent aduerſarij, vt probent pactum pro ſuſtentatione religioſi ſimoniacum eſſe.

Affertur itaque 2. cap. *audiuimus. de ſimonia*, quod prohibet non ſolùm exactiones malas, ſed etiam illas, quæ ſpeciem aliquam mali præ ſe ferunt; qualis ſine dubio eſt iſta, quæ prætextu ſuſtentationis ingreſſum religionis pretio diſtrahere videtur.

Reſpond. conſtare ex ipſis verbis, fuiſſe in eo caſu extorſiones iniquas, *difficultates*, inquit, *exerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum.* Quarè prohibet potiùs modum aliquid exigendi, quàm ne aliquid exigatur. Deinde veriùs ibi agitur de muneribus, quæ à ſingulis religioſis exigebantur, qui alioquin difficiles ſe præbebant in præſtando ſuo aſſenſu, quæ erat ſimonia manifeſta, etiamſi munerum, aut xeniorum prætextu velaretur. Ex quibus ad ſuſtentationem nihil licet conficere.

Affertur 3. cap. *quoniam. de ſimonia*. in quo Con. Lateran. grauiſſimis pœnis prohibet, ne paupertatis prætextu moniales aliquid exigant ab iis, quas in ſorores admittunt. Quid illuſtrius afferri potuit aduerſus noſtram aſſertionem?

Reſpond. primo hanc legem prohibere *ne paupertatis prætextu vitium ſimoniæ pallietur*. Quarè fraus eſt, cùm reuerà Monaſterium non indigeat, alioquin neque prætextus paupertatis, neque palliatio dici poteſt, ita Suar. *lib*. 4. *de ſimon. cap*. 17. Reginald. *lib*. 23. *num*. 195. Barboſa *in collectan. ad iſtud cap*. & alij. Secundo iſtæ moniales reuerà pretium accipiebant pro ſpiritualibus, & palliabant deinde falſo prætextu, quod innuit ipſemet canon. *vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores*. Deinde dum hoc edictum ſingulis annis publicari iubetur, *ne per ſimplicitatem, vel ignorantiam ſe valeant excuſare*; innuitur reuerà has moniales exiſtimaſſe ſe tutas eſſe ſub eo prætextu, etiamſi pretium pro ipſo religionis ingreſſu caperent. Gloſſa quoque *ver. paupertatis*. ait paupertati prætextu non excuſari peccati mortalis, quod proinde fuiſſe ſupponit in illa receptione pecuniæ, quæ niſi pro ipſomet ingreſſu data fuerit, non conſtituit ſimoniam ex ſua natura mortalem, vt iam ſæpiùs diximus; reuerà igitur hæ moniales non pro temporali aliquo, puta, ſuſtentatione, ſed pro ſpirituali receptione nimirum in ſorores paciſcebantur. Idque video placuiſſe Sylu. *ver. ſimonia. quæſt*. 15. *dicto* 2. ex Hoſtienſis, quem allegat, mente, ſecutúſque deinde eſt Azor. *part*. 3. *inſtitu. lib*. 12. *cap*. 16. *quæſt*. 1. Tertio denique dici poteſt ſpecie paupertatis plura poſtulata fuiſſe ab iſtis Monialibus, quàm neceſſarium foret ad vnius perſonæ admittendæ ſuſtentationem, quod ex Nau. obſeruat Suar. *lib*. 4. *de ſimonia. cap*. 17. *num*. 24.

Quarto argumentantur ex cap. *tua nos. de ſimonia*. vbi clericus, qui ſua bona dat Eccleſiæ cum pacto, vt

recipiatur

recipiatur in Canonicum, ſibique illa bona pro præbenda retinet, ſimoniacus habetur. Igitur ſi quis ſua bona donat Religioni cum pacto vt in illam recipiatur, eáque bona pro illius victu impendantur, ſimoniacus erit.

Reſpond. cum Bensfeld. *in cap.9. de ſimon. quæſt.* 1. *con.* 2. *ſub fin.* in eo caſu pactum fuiſſe ſaltem ex præſumptione de temporalibus ad ſpiritualia, ac proinde ſimoniam, alioquin non ſufficit intentio conſequendi ſpiritualia medio temporali, niſi illud temporale habeat rationem pretij, vti diximus conſ. 1.

Quinto grauius eſt quod obiiciunt ex extrau. 1. *de ſimonia.* in qua Vrban. V. ſeueriſſimè ſancit interminata excommunicatione Apoſtolicæ ſedi reſeruata, ne quid directè, vel indirectè à quoquam petere, vel exigere pro admiſſione in Religionem præſumatur.

Reſpond. contra Ferdinand. *diſp.* 3. *de ſimon. punct.* 9. *numer.* 6. Vrbanum non condere nouum ius, ſed antiquum confirmare adiectis nouis pœnis, vt ex ipſo initio conſtat, dicit enim *deteſtabilem, & à Canonibus reprobatam abuſionem ſeruari.* Deinde ſubiungit. *Nos igitur huic morbo peſtifero cupientes congruam adhibere medelam, & aliis pœnis in talia præſumentes inflictis à iure, in ſuo robore duraturis pœnam adiicere grauiorem.* At verò certum eſt antiqua iura nuſquam prohibuiſſe dare in ſuſtentationem neceſſaria, quoties reuerà Monaſterium indiget; neque deteſtabilis vocari potuit ea conſuetudo, aut à ſacris Canonibus reprobata. Prohibuit igitur Pontifex eas exactiones, quæ ſine vlla neceſſitate fiunt, & oneroſum, atque difficilem Religionis aditum, atque piis offenſionem iure merito creant; quales ſunt quæ aut pro ipſa receptione, ſiue in ipſam receptionem ad Religionem fiunt, vti interpretatur Bonacina *diſputat.* 2. *de cenſu. extra Bullam cen. quæſtion.* 3 *punc.* 29. quæ manifeſtò ſimoniacæ ſunt, & quæ enumerantur ab ipſo Pontifice, *Paſtus, prandia, iocalia, pecuniæ*, ſingulis nimirum diſtribuendæ, *& alia res etiam ad vſum Eccleſiaſticum, ſeu quemuis pium vſum alium deputata, vel deputanda.* Munuſcula nimirum, & dona, quæ pro ſacriſtia, valetudinario, aliiſque eiuſmodi ſolent extorqueri; quæ omnia non conueniunt in congruam, & neceſſariam ſuſtentationem, ſuntque ex natura ſua mala, & ſimoniaca, aut ſcandaloſa, & quæ vix vlla ſpecie boni fucari valeant; maximè quando ex pactione fiunt, quod omninò requiritur à Pontifice, ait enim, Omníque pactione ceſſante. Nihil itaque de nouo prohibet, quod non aut antiquis Canonibus reprobatum foret, aut ex ſeſe deteſtabile; ea verò antiqua prohibitio alia non eſt, quàm ne vllus gradus Eccleſiaſticus pretio comparetur, vti fusè refertur 1. *quæſt.* 1. *&* 2. atque ita docent Soto. *libr.* 9. *de iuſtitia. quæſtion.* 6. *articul.* 2. *ad* 4. Caietan. 2.2. *quæſtion.* 100. *articul.* 3. Nauarr. *capit.* 27. *numer.* 106. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 22. *ſect.* 5. *numer.* 9. & *libr.* 4. *de ſimonia. capit.* 17. *numer.* 14. Sylu. *verſ. ſimonia. quæſtion.* 15. *dict.* 2 aliique inferius adducendi, qui neque Monaſterium locuples hac in parte peccare exiſtimant.

6 Sexto denique obiiciuntur varia iura, quibus cauetur, ne plures perſonæ admittantur, quàm ex redditibus Monaſterij ali poterunt.

Conc. Turon. III. *can.* 31. Arelatenſ. IV. ſub Leone III. ann. 818. *cap.* 8. & Mogunt. eodem anno coactum. *cap.* 19 Bonifac deinde VIII. ſua conſtitutione, quæ refertur *cap. vnic. de ſtatu Regula. in 6.* idem ſtatuit circa Monaſteria Monialium. §. *ſanè.* quod priora illa Concilia de omnibus tum virorum, tum mulierum domibus ſanxerant; voluitque Bonifac. irritam eſſe monialis ita receptæ profeſſionem, *ſi ſecus*, inquit, *actum fuerit, irritum decernentes*, vt ibi aduertunt gloſſa *verſ. irritum.* Dominic. *numer.* 3. Franc. *notabili.* 3. atque *in capite prim. de inſtitutionib.* vbi decretum Arelatenſe refertur. Antonin. & Panorm. *numer.* 4. Cardinal. Ancharan. Imola. Sylu. *ver. Religio.* 7. *quæſt.* 16. *dict.* 1. Azor. *prima part. lib.* 13. *capit.* 9. *quæſt. prim.* agit prætereà Bonifac. de ſolis Monaſteriis Monialium non mendicantium. Nouiſſimè verò Trident. rurſus ad omnia Monaſteria vtriúſque ſexus Bonifacij legem extendit, vultque non plures ſuſcipi quàm ex propriis redditibus, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſint ſuſtentari. ita *ſeſſ.* 25. *capit.* 3. *de reformat. regula.* poſteriores deinde Pontifices ſæpiùs hoc edictum ſuis legibus commendarunt Pius V. 4. Kalend. Iun ann. 1566. *conſtitut. quæ incipit. circa paſtoralis officij.* idcircò eum numerum præfigere mandat Epiſcopis. Gregor. XIII. anno 1573. *conſtitut. quæ incipit.* DEO *ſacris.* eum numerum ſeruandum, & iuxta redditus, eleemoſynas, aliáſve obuentiones in commune conferendas, definiendum eſſe edicit. Clem. VIII. quoque die 25. Iulij. anno 1599. decreto quod incipit. *nullus omninò. paragr.* 14. circa eundem numerum præfigendum plurima ſtatuit. Paul. V. decreto, quod incipit. *ſanctiſſimus.* 4. Decemb. anno 1605. quod ſicut & ſuperius Clem. VIII. refert Quarant. *ver. Monaſteria, & Conuentus.* Gregori. XV. approbante Congregation. Cardinal. Regulari. negotiis præpoſit. 17. Auguſt. anno 1621. prohibet erigi noua Monaſteria, niſi ex ipſorum redditibus duodecim Religioſi ſuſtentari poſſint. Plura alia decreta ſimilia ab Vrbano VIII. & ſacra Congregatione, variáſque declarationes refert Barboſa in *Collectan. ad illud capit.* 3. *ſeſſ.* 25. *Trident. num.* 25. *&* 27. ex quibus aduerſarij conficiunt, nihil poſſe exigi à Monaſteriis etiam indigentibus in ſuſtentationem Monialis admittendæ, quia fruſtra numerus religioſorum, & Monialium ex redditibus Monaſterij definiretur; etiamſi enim Monaſterium nouis perſonis alendis non ſit, ſi tamen afferant, vnde alantur, vti perpetuò facient, ſi ad id obligentur, eóque duntaxat pacto, & onere recipiantur, ſemper ſufficientes redditus habebit ad ſuſtentationem, neque proinde præfigendus vnquam certus numerus fuerit contra Conciliorum, & Pontificum ſanctiſſima decreta.

Reſpond. cum Gutierres. *lib.* 1. *quæſtion. Can. capit.* 32. *numer.* 85. Nauarr. *de redditib. Eccleſ. quæſt.* 1. *monito* 62. Suar. *tract.* 3. *de religi. libr.* 4. *capit.* 17. Reginald. *lib.* 23. *num.* 194. Sanch. *lib.* 7. *in decalog. capit.* 23. *num.* 4. Binsfeld. *in cap.* 9. *de Simon. quæſtion.* 1. *con.* 2. Barboſa *in collectan. ad cap. Tridentini citat. numer.* 27. aliiſque in confirmatio

mationem noſtræ huius aſſertionis adductis, prohiberi duntaxat in his omnibus iuribus, ne quando Monaſterium plures perſonas alere nequit, quàm habeat, aliæ recipiantur alendæ expenſis ipſius Monaſterij, ſed cum ſufficienti dote, dum agitur de Monialibus, aut redditibus aliis in ſuſtentationem noui religioſi aſſignatis. Atque quod ſingillatim attinet ad Bonifacij conſtitutionem, illo *capite vn. de Regularib.* illa potiùs fauet noſtræ aſſertioni, vt aduertit Sylue. *ver. Simonia. quæſtione* 15. *dicto ſecund. ſub fin.* cùm enim ratio illius prohibitionis ſit, vti apparet ex toto contextu, obſeruátque gloſſa, ne Moniales penuria vrgente cogantur violare clauſuram, atque extra Monaſteria vagari; huic malo occurritur, ſi vbi Monaſterium indiget, exigatur dos ſufficiens ad ſuſtentationem Monialis: atque ita fit, vt non modò admiſſio nouæ Monialis non grauet Monaſterium, deque occaſionem violandæ clauſuræ, ſed potiùs ſubleuet, reddatque faciliorem clauſuram, cùm præſcindat omnem vagandi occaſionem prætextu penuriæ. Deinde contraria conſuetudo huic Bonifacij, & priorum Pontificum, ac Conciliorum Conſtitutioni iam diu derogauit, & ſanè quis hactenus pronuntiauit irritam profeſſionem Monialis receptæ ſupra numerum earum, quas Monaſterium alere poteſt? immò neque de eius profeſſionis valore quiſquam dubitauit, cùm tamen Bonifacius illam omninò irritam eſſe velit; conſuetudo igitur illi legi vim, & robur detraxit ea in parte.

4 Quod verò attinet ad Trident. nouiſſimum decretum, illud inter redditus Monaſterij numerat conſuetas eleemoſynas, in quibus cur non cenſebimus dotes quoque conſuetas? præterea ipſummet Concilium *eadem ſeſſion.* 25. *capite* 16. *de reformatione* permittit vt Religio accipiat de bonis nouitij, quæ neceſſaria ſunt ad eius victum, & veſtitum durante Nouitiatu, & quidquam aliud accipere prohibet ante profeſſionem. Si igitur licet ad victum Nouitij neceſſaria capere, quidni & ad ſuſtentationem profeſſi? immò idipſum ex Concilij mente licet, nam prohibet tantùm, ne Nouitij bona ante profeſſionem ſuſcipiantur, ſed poſt eam emiſſam, dotem capi permittit.

Dices, non loqui de pactione vlla, qua obligetur Nouitius ad danda ſua bona poſt profeſſionem. Fateor, ſed nihil etiam habet, vnde improbet iſtam pactionem, quæ cùm aliunde licita ſit, neque aut iure naturali, aut Eccleſiaſtico hactenùs reiecta fuerit, ſed potiùs conſtanti vſu firmata, non debemus ex Tridentini ſilentio ipſam damnare. Quidquid igitur dabitur à Religioſo poſt ſuam profeſſionem poſſidendum Monaſterio, illud capi poterit, ſiue liberè donetur, ſiue exigatur à Monaſterio indigenti in ſuſtentationem ipſius Religioſi, modò aliquo alio ex capite non reddatur illicita ea donatio. Addo, huic quoque Tridentini decreto quoad Monaſteria virorum vſu quidpiam deceſſiſſe, quia plerúmque admittunt plures, quàm alere queant, ideóque egeſtate premuntur; neque propterea damnandos putat ſuperiores violatæ legis Eccleſiaſticæ Sanch. *capit.* 23. *cit. n.* 7. quia conſuetudo, quæ hoc decretum temperauit potiùs, quàm abrogauit, liquidiſſima ratione ducitur,

nimirum, ne Monaſteria paucitate corruant, & exhibendis miniſteriis minimè ſufficiant. Si igitur conſuetudo dotandi Moniales propter egeſtatem Monaſteriorum æquè legitima ſit, cur ea iam diu in mores inducta antiquis iuribus, ſi quæ forent, non derogarit, maximè cùm nouiſſima de non recipiendis pluribus, quàm ex propriis redditibus, aut conſuetis eleemoſynis ali poſſint, integra perſeuerent?

Legitimam porrò hanc conſuetudinem eſſe inde patet, quod iura ſuperiùs allata velint dotari Virgines Monaſteria ingredientes, ſic enim animarum neceſſitati, & Monaſteriorum egeſtati ſubuenitur, alioquin enim aut laborandum eſſet inopia, aut plurimæ à Religione prohibendæ; ideóque Felin. *in cap. quoniam. de Simon. numer.* 12. dixit, eam conſuetudinem interpretari potius Eccleſiaſticum ius, quàm illi derogare. His omnibus addit Sylu. *ver. Simonia. quæſt.* 15. *dicto* 4. poſſe Monaſterium tenue agere contra patrem puellæ, aut eius hæredes pro alimentis puellæ, quam gratis receperat, idque probat ex Hoſtienſi. Verùm de his aliàs, dum quærimus, quomodo Monaſterium in bona, & iura Religioſorum ſuccedat.

4 Tertiam partem noſtræ aſſertionis, Eccleſiaſticis nimirum legibus cautum eſſe, ne Monaſterium locuples aliquid in ſuſtentationem ab admittendis exigat, ad vitandam omnem Simoniæ, & turpis lucri ſpeciem, tradunt Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 22. *ſect.* 5. & *libr.* 4. *de Simonia. cap.* 17. *numer.* 10. qui non modò ſpeciem Simoniæ, ſed Simoniam veram quamuis iuris ſolius Eccleſiaſtici, inibi agnoſcit. Roſella. *v. Simonia.* 5. *numer.* 1. Armilla. *num.* 5. Leſſi. *cap.* 35. *dub.* 12. *n.* 68. Adrian. *quodlib.* 9. *litt. V.* Victo. *relect. de Simon.* 2. *part. num.* 12. dicit omninò id Simoniacum eſſe ſecundùm omnes DD. S. Thom. diſertè idem tradit 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 4. dum à Monaſterio egenti aliquid exigi poſſe concedit, illa enim expreſſa exceptio Monaſterij indigentis, euidenter oſtendit, id minimè licitum eſſe opulento. Verùm apertior, expreſſiórque eſt S. D. mens *in* 4. *d.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 2. *ad* 3. *Si ſine grauamine Monaſterij poſſit recipi nouitius, Simoniacum eſt.* Huc pertinent illi omnes, qui contendunt eſſe Simoniam ſaltem in foro externo, vt Sylu. *v. Simonia. q.* 15 *dict.* 2. Soto. *lib.* 9 *q* 6. *a.* 2. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 89. *n.* 4. Rensfeld. *in cap.* 9. *de Simon. con.* 4. vbi dicit eſſe communem Canoniſtarum, Nauarri nimirum, Paludani, Hoſtienſ. & aliorum. Quæ præſumptio Simoniæ ſufficit omninò, vt iſta pactio damnetur lege Eccleſiaſtica, ac proinde illicita fiat. Quod vnum contendo cum Layman loco citato; neque enim contendo eſſe veram Simoniam, cùm nihil exigatur pro ſtatu, aut ingreſſu Religionis, ſed ſolùm pro victu, & ſuſtentatione, quæ quidpiam temporale eſt, neque conſtituit propiam Simoniæ materiam, immò iure ſolùm Eccleſiaſtico nullam oriri Simoniam, iam ptidem à nobis conſtitutum fuit. Quoties tamen Eccleſia aliquam commutationem, aut contractum intuitu Religionis prohibet, toties ſi violetur ea lex, committitur ſacrilegium, quod quandam ſpeciem Simoniæ præ ſe fert, atque adeò Simonia, ſed in minus propria, & paulò ampliori ſignificatione, nominatur; quod mihi in præſentiarum ſufficit,

qui

qui ne quidem acriùs de nomine Simoniæ diſputo, ſed affirmo duntaxat eiuſmodi exactiones à Monaſterio diuite pro perſonę admittendę ſuſtẽtatione fieri non poſſe, quin contra legem Eccleſiaſticam peccetur; cùm enim ea lex æquiſſima fuerit, vt quæ omnis Simoniæ, ac turpis lucri occaſionem, & periculum præſcindere voluerit, & tam ſæpè à ſacris Conciliis, atque ſanctiſſimis Pontificibus repetita, interminatis grauiſſimis pœnis, atque cenſuris, nemo abſque culpa illam ſe violare poſſe crediderit. Quarè non placet, quod Bonac. *diſp. 2. de cenſur. extra Bullam cœnæ. quæſt. 3. punct. 29.* Ferdinand. *diſp. 3. de Simon. par. 9. num. 4.* Diana. *3. pa. tract. 1. de dub. Regularib. reſolut. 97.* Tamburin. *de iure Abbatiſſ. diſp. 5. quæſt. 3.* qui alios dabunt, negant in foro interno committi vllum peccatum, aut cenſuras in Extrau Vrban. V. aliiſque ſacris conſtitutionibus latas incurri, vt enim nihil de his cenſuris modò dicam, inferiùs commodiori loco acturus, peccatum hoc loco ſola ignorantia legis Eccleſiaſticæ excuſare poterit, cùm grauis ſit eius violatio, & quæ ipſi in contrarium afferunt, oſtendunt quidem nullam committi Simoniam, cùm non detur ſpirituale pro temporali, & diuitiæ, atque penuria Monaſterij paciſcentis ſint quidpiam omninò extrinſecum ad Simoniam, quæ in commutatione rei ſpiritualis cum temporali conſiſtit, neque conditio perſonæ facit, aliquid eſſe temporale, aut ſpirituale. Plurimùm tamen refert, vt lex quidpiam vni prohibeat, quod alteri permittit: Eccleſia igitur egenti Monaſterio permittit quidpiam pro ſuſtentatione Religioſorum, quos admittit, exigere, quod ipſum prohibet opulento, cui ſunt redditus ſufficientes ad alendum nouum Religioſum, quia in priori nulla eſt occaſio, aut ſpecies ſiue Simoniæ, ſiue turpis alicuius lucri, quæ reperitur in poſteriori; cùm enim ea exactio neceſſaria non ſit propter facultates, & opes Monaſterij, videtur propter ipſum ingreſſum Religionis temporale illud exigi, inde etiam datur occaſio ſuperioribus, aliiſque, à quibus admiſſio Religioſi pendet, ea ſibi retinendi, prætextu munerum, quandoquidem domus ipſis non eget. Adde, alioquin plurimos à Religione arceri, ſi enim Monaſterium tenue nihil iure valeat ad Religioſorum ſuſtentationem exigere, cùm paucos præ penuria alere valeat, paucos omninò admittat, neceſsè eſt: ſi verò Monaſterium quoque opulentum etiam ab admittendis exigat, plurimi quibus curta, & tenuis domi res eſt, aut qui ſunt in poteſtate parentum, cogentur Religione abſtinere, non ſine magno ipſius quoque Religionis diſpendio. Prætérquam quod optandum maximè foret, ne ab vllo quidem Monaſterio iſta exigerentur propter rationes allatas ab Hieron. in ſua Regula, cuiúſque verba adducit Carthuſian. *lib. 1. de Simon. art. 16.* ſæpiùs enim potiùs ad dotem, quæ à Moniali ſperatur, quàm ad vera animi ornamenta, & ingenij dotes attenditur, & quæ ſecum aliquas facultates intulerunt, aliis dominari volunt. *Ad vos,* inquit Hieron. *venientes ſorores ad Chriſti ſuſcipite nuptias gratis, præponatur ſanctitas pecuniæ, exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, non vtilitas mundi, nulla omninò pactio, nulla opinio, æſtimatio, ſiue intentio de pecunia danda præueniat, & ad receptionem præcedat quæ pactio, ſiue opinio puritatem mentis perturbet,*

&c. addit pecuniam ſubuertere iudicium, in probandis nimirum idoneis, & reſpuendis ineptis ad Religioſa munera. Poſtremò monet Hieronym. *Porrò ſoror, quæ aliquid attulit, non inde extollatur, nec more fæmineo erecta ceruice improperet aliis, quæ ex paupertate venerunt, nec murmuret ſi non miniſtratur maiori ſumptu, quàm his, quæ ſecum nihil attulerunt; plus enim attulit ſoror paupercula, ſi ingrediens affectum habendi dimiſit, quàm quæ multum afferens domo, ſuperbiam intulit.* Accuſat porrò eo loco Hieronymus Simoniæ hanc bonorum receptionem; & PP. Carthuſienſ. eadem de cauſa quidquam omninò exigi, aut recipi à Nouitiis ſuis ne quidem veſtem ſeueriſſimè prohibent, & ea in re peccantes caſtigant, ne ea in re vitium Simoniæ committatur. Verba huius ſanctiſſimi ſtatuti refert Dionyſi. *art.* 16. *citato.* Quæ eædem cauſæ permouere Pontifices, vt exactiones iſtas, & pactiones prohiberent, ſoláque domorum tenuitas fecit, vt aliquid indulgerent. Idcircò *cap. quam pio* 1. *quæſt.* 2. Bonifacius inhibet omnes exactiones, niſi quaſi ſubſidij cauſa fiant. In cap. *Quoniam. de Simonia.* prohibentur in vniuerſum etiam ſub paupertatis prætextu, hoc eſt vti expoſuimus ſuperiùs, allegata paupertate, quæ tamen reipſa non adeſt. Cùm itaque tam frequentes, & ſeueræ ſint ſancitæ leges de hac re, ſaltem de domibus opulentis intelligendæ erunt. Accedit grauiſſima ratio, cùm enim Religioſi habeant ius viuendi ex communibus Monaſterij bonis, ſicut beneficiatus ex redditibus ſui beneficij, nullo iure poteſt Monaſterium exigere à Religioſo, aut ab eius parentibus, vt aliunde ſuſtentetur, niſi quia bona communia eam in rem minimè ſufficiunt; quarè vel iniuſtitiam committit, vel turpi lucro ducitur, vel Simoniæ reum ſe facit Religio, dum obligat ad ſuppeditanda neceſſaria ad ſuſtentationem ſuam Religioſum aliquem; iniuſtitiam, inquam, committit, quia ex bonis communibus, ſufficientibus liberaliter, & gratis illum alere tenetur ex iure quod illi competit, tum ratione ſtatûs, tum ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ voluit ea Monaſteriorum bona in ſuſtentandis Religioſis liberaliter impendi; falsò igitur & iniuriâ prætendit onus ſuſtentationis Monaſterium ad exigendum aliquid à Religioſo, ſicut qui gratis teneretur alere pauperem, iniuſtè faceret, qui illum ad aliquid pro ſuis alimentis dandum obligaret. Deinde turpe lucrum eſt, quod Roderiq. *tom.* 2. *qq. Regula. q.* 8. fuſiùs oſtēdit, etiamſi falſa ſpecie ſuſtentationis aliàs debitæ, honeſtetur; immò & Simonia videtur, quandoquidem emi videtur ius ad alimenta ex bonis Monaſterij, quod ius cùm proximè ex ipſo ſtatu Religioſo naſcatur, ſpirituale prorsùs eſt. Neque dicas, idem contingere in Monaſterio tenui, nam etiam, qui in illud aſciſcitur, pollet iure fruendi bonis eius communibus; cùm enim non ſufficiant bona communia, exigitur tantùm, vt ſi in illorum partem venire velit, quod ſine aliorum maximis incommodis fieri nequit, curet vt ea bona ſibi, & communitati ſufficiant, adiectione aliqua, ad quam obligari nihil prohibet. Confirmatur, quia fatentur aduerſarij, peccari ſi aliquid amplius exigatur, quàm quod ad ſuſtentationem ingredientis neceſſarium eſt: atqui ſi nulla ſit Simonia in exactione ſuſtentationis, neque prohibitio, etiamſi multùm exigatur, non peccabitur niſi

ratione

ratione ſcandali fortaſſis. Præterquam quod cùm Monaſterium abundet, vt ſupponitur, quidquid eo caſu exigitur pro noui Religioſi ſuſtentatione, iam exceſſus, & ſuperfluitas dicetur. Huc pertinet denique grauiſſima Nauarri querela *monito 62. cit. Vehementer abſonum apparet, Monaſteria Monialium vnius cuiuſdam ciuitatis viginti millium aureorum redditibus annuis, & eò amplius perfrui, & tamen ob has redditus adeò copioſos nullam Monialem admitti, nec ab ipſis ſuſtentari, niſi pro dote, ſupellectili, & expenſis aliis, ſecum afferat ingentem ſummam.*

6 Dices, omnia decreta Pontificum, quæ exactiones iſtas prohibent, duci præſumptione; quarè ſi reuera pro alimentis noui Religioſi, & non pro ſtatu ipſo Religionis, atque ingreſſu quidpiam poſtuletur, non obligabunt ſaltem in foro interno; ex vniuerſali enim doctrina ceſſat obligatio legis fundatæ in præſumptione, quoties veritas oppoſita exiſtit.

Reſpond. legem Eccleſiaſticam, qua de agimus, non duci ſola præſumptione commiſſæ Simoniæ, ſed periculo, & occaſione committendæ, quæ duo longè diuerſa ſunt; nam lex, quæ quidpiam prohibet ad noxæ alicuius periculum vitandum, obligat etiamſi illa noxa non committatur; quæ autem ſola præſumptione nititur, deſinit obligare, vbi quod præſumitur eſſe, non exiſtit. Præterquam quod voluère Pontifices non modò periculum Simoniæ cauere hac in parte, ſed etiam ſanctitati Religionis conſulere, atque turpe omne lucrum præſcindere, pluribúſque aliis incommodis, quæ ex eiuſmodi exactionibus, prætextu alendi noui Religioſi, ad quod tamen ſufficit Monaſterium, prouenire ſolent; vnde etiamſi reipſa pro ſola ſuſtentatione exigatur ſumma aliqua pecuniæ, obligabit eiuſmodi lex.

Dices ſecundo iam pridem ipſo vſu, & conſuetudine toto orbe receptа mollitum eſſe huius legis rigorem, quoad Moniales, quæ nullibi ferè indotatæ ſuſcipiuntur, idque omninò ſupponit Tridentinum, vti monebamus, cùm prohibet, ne quid ex illa dote ante Nouitiæ profeſſionem capiatur. 7

Reſpond. fateri me hanc conſuetudinem, verùm, vt dixi, ea non derogat huic legi, niſi quatenus aliquam indigentiam Monaſterij ſupponit, quod in extrema parte noſtræ aſſertionis dixi, cùm enim Monialium domos ſufficientes redditus habere velit Eccleſia, vt vagandi licentia, & cum ſæcularibus communicandi occaſio omnis præſcindatur, quod Bonifacius in ſua conſtitutione, *quam periculoſo. de Regularib. in 6.* expoſuit, raró admodùm continget, vt non habeant hæc Monaſteria, honeſtum titulum exigendi quidpiam pro ſuſtentatione nouæ Monialis; nam vel aucto numero iam minùs ſufficiunt antiqui redditus, aut quia æs alienum diſſoluendum eſt, ne ſenſim Monaſterij redditus pereant, qui proinde non ſufficiunt alendis Monialibus, & oneribus, quibus domus grauatur ferendis, aut quia nondum ædificatio perfecta eſt, cui impendendi eſſent redditus ſuſtentationi Monialium deſtinati, vel quia alias quaſdam ad bonum Religionis admittere expedit, quæ nihil ad ſua alimenta conferre poſſunt. Quarè hæ omnes ſine aliquo ſubſidio recipi nequibunt. Expedit etiam aliquando augeri redditus Monaſterij vel propter

propter periculum annonæ grauioris, vel quia maior numerus Monialium habendus erit ſuo tempore. Aduertendum etiam eſt, Bonifacium, alioſque Pontifices ſtatuiſſe, ne plures Moniales admitterentur, quam ex eorum prouentibus poſſint *abſque penuria ſuſtentari*. At verò Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. tot admitti voluit, quot poſſent *commodè ſuſtentari*. Quæ duo plurimùm inter ſe diſſident, vti obſeruauit Gloſſa *in cap. vnic. de Regula in* 6. *ver. abſque penuria*; & *ibidem* Franc. & Dominic. & eadem Gloſſa *cap.* 1. *de inſtitutionib. ver. abſque penuria.* atque in eum locum Abb Cardin. Imol. Tabiena. *ver Simonia. num.* 65. aliique, quibus immeritò repugnat Ferdinand. *tract.* 6. *diſp.* 1. *punct.* 7. §. 6. *num.* 3. nam abſque penuria ſuſtentari non poſſunt Moniales, quando oportet eas ad vitæ neceſſaria comparanda mendicare; nequeunt autem commodè ſuſtentari, quando licet non cogantur mendicare, ex conſuetis tamen redditibus attenta conſuetudine Religionis, & perſonarum dignitate, ſuſtentari non facilè queunt. Quarè plures redditus multò requiruntur ad commodam ſuſtentationem, quam ad ſuſtentationem abſque penuria. Denique vt videamus, quandónam in peculiari aliquo facto violetur ea lex Eccleſiaſtica, ſingulares circumſtantiæ expendendæ ſunt, monétque Suar. *ſect.* 5. *cit. num.* 12. ex Dominico Soto, opus eſſe magna prudentia, & ideò raro, & cum magna moderatione permittendum eſſe Monaſteriis opulentis, & benè fundatis, vt aliquid exigant in nouarum Monialium ſuſtentationem; Neque enim difficultas vlla exiſtit circa ea, quæ vltrò, & liberaliter donantur, etiamſi quis ſe ad ea, quæ promittit præſtanda obliget in foro quoque externo, tunc enim poterit cogi, vt promiſſa ſeruet, quod in omnibus aliis donationibus liberalibus, & gratuitis contingit.

CONSECTARIVM X.

Singulares quæſtiones ex ſuperiori conſectario circa receptionem Monialium, & earum dotes explicantur.

Ex hac certa, & conſtanti, niſi fallor, doctrina plurium difficultatum, quæ vſu veniunt quotidiè, explicationem colliges.

Prima quæſtio, an condi poſſit ſtatutum, vt aliquid detur in ipſo Religionis ingreſſu.

Reſpond. cum Simonia Iuris diuini committatur, quoties temporale datur pro ingreſſu ipſo Religionis, non poterit ferri ſtatutum, quod aut ad illam Simoniam obliget, aut eius occaſionem, vel ſuſpicionem creet. Quod ex priori conſectario, atque ex Scientia canonica. vbi de æquitate Iuris Eccleſiaſtici diſputauimus, manifeſtum redditur; ſi tamen Monaſterium ſit tenue, poterit ſtatui ab Epiſcopo, vt nullus admittatur abſque ſufficienti ſua ſuſtentatione, & dote maximè in Monaſteriis Monialium, illas ipſas ob cauſas propter quas vetitum ſæpiùs fuit, vt initio retulimus, ne plures admitterentur in Monaſteria, quàm eorum conſueti redditus commodè ſuſtentare poſſent; neque vbi comperta fuerit Monaſterij inopia, eiuſmodi lex piorum animos offendet. Quod ſi diues ſit Monaſterium, non poterit ſanciri à Prælato, ne quæ Monialis, de quibus maximè agimus, ſine dote admittatur, quia ea dos tunc nequit exigi,

exigi, vti diximus; atqui hoc ſtatutum exactio quædam eſt, idcircò Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 39. *ſub fin.* exiſtimat conſuetudinem hac in parte potiùs probandam eſſe, quàm ſtatutum, cùm iſtud à prima ſua origine, atque ex ſua natura exactionem contineat, illa verò incipere potuerit à liberali donatione, in quam deinde cæteri ſponte conſenſerint, atque ita ſibi ipſi liberè legem fixerint, quæ diuturno vſu firmata fuerit.

Non negarem tamen, Pontificem, ſupremum Iuris Eccleſiaſtici conditorem poſſe derogare legibus, quæ prohibent aliquid in ſuſtentationem poſtulari à Monaſteriis opulentis, & ſtatuere, vt omnes Moniales dotarentur, atque redditus Monaſteriorum in alios pios vſus deſtinare; vtrū autem probanda eſſet ea lex, & Eccleſiæ vtilis, diſquirendum eſſet.

Secunda quæſtio, an poſſit aliquid exigi in ingreſſu Monialis ad conuiuia, alióſque apparatus.

2 Reſpond. plurima in prophanos, & inutiles iſtos ſumptus differit Nauarr. *quæſt.* 1. *de redditib. Eccleſ. monit.* 62. & quam damnandus ſit ille abuſus oſtendit, eadem ex ipſo retulit Binsfeld *con.* 5. *quæſt.* 1. *in cap.* 9. *de Simon.* Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 17. *num.* 18. Layman *loc. cit.* & ſanè *in Extrau.* 1. *de Simon. cap. Audiuimus. cap Quoniam. cap. Tua nos. de Simon.* hæc omnia damnantur, ſi nempè fiant ex pacto ſiue tacito, ſiue expreſſo, cùm onus graue quoque ſit, & plurimos ab ingreſſu Religionis prohibeat, nullúſque honeſtus titulus ſit, atque omninò Simoniam redoleat, neque careat ſcandalo, quanquam moderatas aliquas expenſas, quas conſuetudo fortaſſis inuexit, & quas ex grati animi ſignificatione facere decet, non reiiciant DD. modò ex ipſarum defectu non negetur habitus, aut profeſſio, aut non ita ſeuerè exigantur, niſi illud in partem dotis numeretur, quod tamen poſtremum difficilè fuerit.

Tertia quæſtio, an munera facta ſuperiori, Abbatiſſæ v. g. & quibuſdam officialibus, aut Epiſcopo, vt quis admittatur in Religionem, ſint Simoniaca.

Reſpond. illa munera ſingularibus perſonis facta damnari in cap. *Audiuimus. de Simonia.* & ſanè Simoniaca ſunt, ſi ex pacto tacito, vel expreſſo fiant, ita vt alioquin non fuerit admittenda Monialis, aut Monachus, quia non exiguntur niſi ad emendicandum ſuffragium, aut obtinendum ingreſſum Religionis, non enim ob ſuſtentationem accipiuntur, quandoquidem illæ ſingulares perſonæ neque ſuſtentandam ſuſcipiunt hanc Monialem, neque munera ſibi facta in eam rem conferunt, aut communitatem, cui incumbit onus illius ſuſtentationis, inde ampliùs iuuant. 3

Quarè damnandus omninò eſt mos ille ridiculus, quo aliqui Abbates, aut Abbatiſſæ, aliíque Superiores, ad quos pertinet ſedes Monaſteriorum vacuas implere, dant in compenſationem obſequiorum ius illud nominationis, vt vocant, alicui, quem ſciunt, aut præuident munera, & pecunias ex illis nominationibus capturum; & niſi ſcirent hoc ius ipſis fore vtile, illud non darent, neque illi aut acceptarent, aut magni æſtimarent, vterque enim peccat, & qui dat eum in finem illud ius nominandi, & qui ex ſua nominatione aliquid exigit ex pacto tacito, vel expreſſo.

Quarta quæſtio, an ſi aliquid ab

ingredientibus Religionem exigatur ad templi ornatum, aut valetudinarium, aliúmve eiuſmodi pium vſum, committatur Simonia.

Reſpond. primo Armillam id excuſare, vbi ex conſuetudine tantùm exiguntur. Suar.verò *diſp.*22. *tom.*5. *in* 3. *part.ſect.* 5. *num.* 11. probare non audet in opulentis Monaſteriis, quibus ingeri vult ſcrupulum, tum quia in Extrau. Martini V. prohibetur ne quid *directè, vel indirectè quoquo modo exigatur*; & reiicit omnia ſtatuta, omnémque conſuetudinem, quam potius *corruptelam dicendam* eſſe monet: tum quia hæc omnia indifferenter ab omnibus exiguntur etiam ab his, quæ non habent vnde ſoluant, vnde plures arceantur à Religione.

Reſpond. ſecundo ſi Monaſterium inſumpturum erat ſummam aliquam in ornando templo, inſtruendo valetudinario, comparanda ſuppellectili domeſtica, aliiſque eiuſmodi, & aliqua pars dotis exigatur ad hæc omnia, id licitè fieri, quoties licitè exigitur dos ob Monaſterij tenuitatem. & ſolet ſanè ita minui dos, aut in dote computari id quod pro varia ſuppellectili poſtulatur, quod enim Monaſterium dotem in hos, aut alios vſus expendat, quandoquidem tenetur alios redditus in ſuſtentationem perſonæ, vice dotis ita expenſæ inſumere, parum omnino intereſt. At verò quando vel propter copiam Monaſterij non poteſt licitè exigi dos in ſuſtentationem Monialis, vel iam ſufficiens datur, non licebit imponere prætereà onus iſtorum munerum, licet in pios vſus imponatur. Denique de illis idem, quod de exceſſu dotis ſentiendum erit.

Quinta quæſtio, an licitum ſit pactum de penſione, aut redditu annuo ſuppeditando à parentibus Moniali ad comparandas veſtes, cùm Monaſterium ipſi tantùm victum ſubminiſtret.

Reſpond. cum Binsfeld. *cap.* 9. *de Simon. quæſt.* 1. *con.* 2. id licitum eſſe, quia cùm Monaſterium debeat veſtitum quoque præbere Moniali, & tenue, atque egens ſit, ſubleuatur, ſi parentes ad id obligentur, atque eam in rem dos Monialis impendatur. Qua etiam de cauſa exiſtimat Sanch. *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 23. peculia quædam tum ex iis, quæ labore manuum acquirunt, tum ex peculiaribus redditibus ſibi permiſſis à ſuperiore, concedi iure poſſe, vt iis peculiis vel veſtium, vel aliâ domûs inopia ſubleuetur. De licitis iſtis peculiaribus redditibus vitalitiis vide etiam Tamburin. *de Iure Abbatiſſ. diſp* 8. *quæſit.* 6. Mirand. *de Monia. lib. quæſt.* 9. *art.* 1. Lezan. *tom.* 1 *ſum. qq. Regula. c.* 25 *n.* 7 qui alios dabunt.

Sexta quæſtio, an Religiones mendicantes aliquid ab ingrediente Religionem exigere poſſint.

Reſp. non poſſe, quandoquidem enim non debent ſuſtentari ex redditibus Religionis, quæ nullos habet, non poteſt prætendi ſuſtentatio huic exactioni; ſi tamen conſuetæ eleemoſynæ non ſufficerent ad iſtum quoque alendum, moneri poſſet, vt curaret nouas eleemoſynas, poſſétque ille dare ſemel, quod ad victum plurium annorum ſufficeret. Cæterùm non exiſtimarem onus illud poſſe ipſi imponi abſque Simonia, cùm nullus ſit titulus, quo honeſtetur; cóque pertinet, quod monui in ſuperiore conſectario ex Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 15. & aliis, quando Religio eſt diſtincta à ſuſtentatione, vt contingit in Eremitis, neque enim, qui alteri dat habitum, obligat ſe

ad

ad illum alendum, nihil omninò exigi poſſe, quia iam titulus ſuſtentationis, qui hoc pactum honeſtabat, abeſt.

7 Septima quæſtio, an valeat hoc legatum, Dono, & lego mille aureos Monaſterio tali, ſi meam filiam recipiat in Monialem, & an Simoniacum ſit. Omiſſis quæ fuſiùs à DD. quos dabit Binsfeld. *cap.9. de Simon. quæſt.* 1. *con.* 5. *in dubio illius*, traduntur.

Reſpond. validum, & licitum eſſe eiuſmodi legatum, atque omnis Simoniæ expers, neque enim teſtator imponit abſolutam obligationem vel Monaſterio recipiendi filiam ſuam in Monialem, vel filiæ ingrediendi Religionem, ſed dat optionem, an carere maluerit legato, an illud ingrediendo religionem ſibi comparare; quæ omnia explicuimus accuratè *quæſt.* 4. *confect.* 10.

8 Octaua quæſtio, an quando aliquis propter eleemoſynas, quas fecit, & pergit facere Monaſterio, in Religioſum admittitur, committatur Simonia.

Reſpond. cum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Soto. *lib.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 1. *circa fin.* Arm. *ver. Simonia. num.* 4. Syluest. *eod. ver. quæſt.* 15. *dicto* 3. Binsfeld. *cap.* 9. *de Simon. quæſt.* 1. *con.* 6. Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 4. §. 8. nullam eſſe Simoniam, quia nihil datur in pretium rei ſpiritualis, eſtque teſtificatio duntaxat grati animi, quem exhibere dictat naturalis ratio; æquum enim omninò videtur vt Religio ſe ſuáque bona donet illi, à quo beneficiis aucta fuit.

9 Nona quæſtio, probandáne ſit conſuetudo Monialium, quæ pauperiores quaſdam puellas iubet aliquamdiu inſeruire Monaſterio, & quæ foris agenda ſunt, gerere, & deinde illas ſe in ſorores laicas, ſiue conuerſas accepturas ſpondent; itáque obſequium eſt loco dotis.

Reſpond. quoties liceret ab his fæminis dotem exigere, toties poſſe illis imperari hoc obſequium ipſius loco, quæ enim in famulabus impenderet Monaſterium, illi manent, & dotis vices ſupplent ad ſuſtentationem Monialis. Deinde cùm eo tempore alantur à Monaſterio, & ſalaria, quæ retinet Monaſterium, exigna ſint, non datur in compenſationem & pretium ipſorum ſtatus Religionis; quarè ea externa obſequia probationis cuiuſdam loco imponuntur, neque ferè ſe obligat ad earum receptionem Monaſterium, ſed iubet illas benè ſperare, vt ſi ſe, vti decet, gerant, ſuſcipiantur in ſorores; quodſi dimittantur, non abeant ferè immunes.

Decima quæſtio, an ſit Simonia, promittere alicui poſt præfixum terminum, Religionem, ſi interea ſtuduerit, aut certam artem didicerit. 10

Reſpond. cum Syluest. *quæſt.* 15. *ver. Simonia.* Bonacin. §. 8. *citat.* Binsfeld. & aliis communiter, nullam eſſe Simoniam, quia promittit Religio receptionem, ſi interim aliquis ſe ad id idoneum præſtiterit, vbi nihil temporale datur in pretium ſpiritualis. Aliqui excipiunt, niſi intendatur lucrum temporale ex illa arte, quam quis diſcere iubetur; ſed id meritò reiicit Syluest. *quæſt.* 15. *cit. dicto* 6. quia ea intentio non eſt niſi remota, & mediante idoneitate ad Religionem, quæ per eam artem comparatur, & intentio quæcunque conſequendi temporalia non ſufficit ad Simoniam, vti latè diximus hac ipſa quæſtione, *confect.* 1. alioquin

quin Simoniaci eſſent Religioſi, quoties admittunt, quos ſperant fore vtiles Religioni, & inutiles, eò quod nullam artem calleant ad vſum Monaſterij, tanquam ineptos reiiciunt.

Vndecima quæſtio, an Simonia ſit promittere annuam penſionem, aut quid aliud ad expenſas alicuius fraternitatis iuxta eius ſtatuta, vt quis in illam admitti queat.

11 Reſpond. cum Syluest. *ver. Simonia. quæſt.* 15. *dicto* 7. Piſanella, & aliis ſummiſtis, atque Binsfeld. *con.* 9. nullam hic eſſe Simoniam, quia ex confraternitates non ſunt Religiones, ſed ſocietates quædam ad pia quædam exercenda, & eam in rem ſinguli ſe ad certam ſummam, dum admittuntur, obligant, quod pium omninò eſt, neque Simoniæ ſuſpicionem vllam create poteſt. Non probat tamen Raym. apud Sylu. has promiſſiones iuramento firmari propter periurij periculum, ſed id omnibus aliis commune eſt.

12 Duodecima quæſtio, an quando pro dote Monialis exigitur amplius quàm neceſſarium ſit ad commodam Monialis ſuſtentationem, ille exceſſus ſit Simoniacus.

Reſpond. cum Nauarr. *quæſt.* 1. *de redditib. Eccleſi. monito* 62. Suarez locis ſuperiùs allatis, & communi DD. Simoniacum eſſe eum exceſſum, aut ſaltem illicitum, immò eum exceſſum reſtituendum eſſe putat Roderiq. *tom.* 2. *qq. Regula. quæſt.* 48. *art.* 6. Quia cùm non honeſtetur titulo ſuſtentationis, quæ abſque eo exceſſu commoda, & ſufficiens eſt, peccatur in legem Eccleſiaſticam, quæ eas exactiones quocunque alio prætextu prohibet; aut certè pro ipſo ingreſſu Religionis exigitur, eritque vera Simonia; quod tamen non contingit, quando vel liberaliter ampliſſima dos conſtituitur Moniali, vel ipſi bona aliqua obuenire debent, quibus cogitur ipſa renuntiare, & in quandam compenſationem aliquid dari Monaſterio poſtulat, aut ipſum Monaſterium, cui ius in ea bona aliquando fortaſſis foret, lubens eo ſe abdicat.

Decimatertia quæſtio, an, & à quibus definiendæ ſint Monialium dotes. 13

Reſpond. ad vitandam omnem Simoniam, quæ in nimia dote exigenda committi nonnunquam ſolet, ſapienter illam definiri à Prælatis ſecundum conſuetudinem cuiuſque Prouinciæ, vti affirmant Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 945. *num.* 6. Roderiq. *quæſt.* 48. *tom.* 2. *qq. Regular. art.* 3. & alij à Tamburino relati *diſput.* 5. *de Iure Abbatiſſæ. quæſt.* 4. vbi etiam & *quæſito* 70. refert decretum Congregationis, quod pro tertia ſorore Moniali, & aliis ſupernumerariis iubet duplicatam eleemoſynam ſolui, id eſt duplum dotis conſuetæ. Supernumerarias eas vocat, quæ ſupra numerum præfixum admittuntur, eas autem in locum aliarum decedentium ſubrogari non vult, ſed ſemper ſupernumerarias manere, atque ita alias in locum, & numerum demortuarum cum ſimplici eleemoſyna admittendas eſſe, adeò omnem fraudem atque Simoniæ ſpeciem caueri vult; quamuis autem inſciis, & inconſultis Monaſteriis, eorúmque Monialibus poſſint ſuperiores & ordinarij taxare dotes iſtas, id tamen minimè fieri conuenit, niſi earundem Monialium rogatis ſententiis, vt oſtendit Mirand. *quæſt.* 8. *de Monialib.*

nialib. artic. 8. nam etiam taxari poteſt dos à principibus pro coniugio carnali, vti oſtendit latiùs Couarru. *de ſponſalib.* 2. *part. cap.* 3. & Roderiq. *art.cit.* aliquas eiuſmodi leges refert.

14 Decimaquarta quæſtio, vnde poſſit augeri dotis definitæ ſumma illa, vt Monaſterium iure aliquid amplius exigat, quàm commune ſtatutum ferat.

Reſpond. varias cauſas afferri à DD. primo ſi Monialis recipienda debilis eſt, clauda, variiſque incommodis valetudinis obnoxia, quibus non modò minùs vtilis, ſed etiam moleſta futura ſit Religioni, eò quod aut maiori cura tractanda erit, aut maioribus expenſis alenda, aut exercitiis domûs minimè idonea, augeri ſine dubio poterit dos. Ita Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *circa ſolution. ad* 4. *argument. S. Thom.* & Binsfeld. *cap.* 9. *de Simonia.quæſt.* 1. *con.* 2. vbi aduertit, maximè id verum eſſe in domibus, vbi plura miniſteria circa proximum exercentur, viſitantur verbi gratia infirmi, aut labore Monaſterij penuria ſubleuatur.

Secundo ratione ignobilitatis, ita vt maior dos ab ignobilibus exigatur, quod Simoniæ damnat Philiar. *tom.* 2. *de officio ſacerdot, lib.*6. *cap.*7. & Binsfeld. *quæſt.* 1. *citat. con.* 4. *ſub fin.* Miranda. *quæſt.* 8. *de Monialib. artic.* 7. *ſub fin.* dicta Soti referens. Quia ea ignobilitas nihil facit ad victum, pro quo duntaxat dos affertur: Quodſi ex lege nobiles ſolùm admittantur in aliquod Monaſterium, non exiſtimarem committi Simoniam, ſi aliquid amplius ab ignobili peteretur, quia non pro ingreſſu Religionis, ſed pro iure quodam nobilitatis, quæ quidpiam temporale eſt, petitur, quanquam iſlud periculo, & ſcandalo non careret. Solent tamen puellæ ignobiles, dum eiuſmodi Monaſteria, quorum legibus arcentur, ambiunt, pinguiorem dotem ſponte offerre, ad eámque ſe libenter obligant, vnde vitatur non modò omnis Simonia, ſed etiam omne ſcandalum.

Tertio ſolet augeri dos pro ditiori, & nobiliori Monaſterio; hanc cauſam tanquam iniquam reiiciunt Philiarc. & Binsfeld. *loc.cit.* & Sylueſt. *ver. Simonia. quæſt.* 15. *dicto* 2. *circa fin.* vbi ait, has Moniales tanquam de mundana dote tractare: ſi tamen in eiuſmodi Monaſteriis plura ad ſuſtentationem Monialium impenderentur, vti ferè fieri ſolet, maior quoque dos pro illis Monaſteriis definiri poſſet: quodſi tantùm amplior ea dos exigatur, vt magnificentia Monaſterij oſtendatur, iure merito id damnat Miranda. *art.*7. *cit.* ex Nauarro.

Quarto inuehitur Nauarr. *quæſt.* 1. *de redditibus Eccleſ. monit.* 62. in præfectas Monialium, quæ ita prodigunt Monaſteriorum redditus, vt deinde alias nequeant recipere niſi dotatas, quibus etiam parciſſimè neceſſaria ſuppeditant, neque veſtes, neque medicamenta, quæ maxima crudelitas eſt. Nihilominus quamuis peccatum ſit in diſſipandis Monaſterij bonis, quocúnque tandem modo ad inopiam redactum fuerit, licebit illi dotes pro admittendis exigere, atque creſcente tenuitate eas augere, vnde vnde oriatur tenuitas ſiue ex caritate annonæ, ſiue aliquo infortunio, ſiue ex prodiga adminiſtratione.

Quinto nonnulla Monaſteria quamuis iam ampliſſima ſint, atque ad ſua onera ſuſtentanda facultatibus

neceſſariis inſtructa, non recipiunt tamen niſi dotatas, quamuis enim ea dote non egeant ad nouas Moniales alendas, ex earum tamen multiplici dote ſummam colligunt ad noua Monaſteria exſtruenda, ad quæ vel illas, vel alias Moniales dimittent. Mihi certè non omninò probatur iſta conſuetudo, cùm enim dotes iſtæ exigantur à Monaſterio opulento, illique addicantur, neque eas alienare abſque facultate poſſit, non video quid iuris tribuat ad eas exigendas conſilium noui Monaſterij exſtruendi: ſi tamen illud iam inchoatum eſſet, aut proximè inchoandum ſperatur, poſſent animo ad illud remittendi ſuſcipi Moniales cum ſuis dotibus.

15 Decimaquinta quæſtio, an poſſit Monaſterium paciſci de alia pecunia annua, donec dos aſſignata Moniali ſoluatur.

Reſpond. & dico primo damnum quod ex dilatione ſolutionis dotis obtingit Monaſterio, poſſe compenſari certa pecunia, aut re quapiam ipſi æquali, quam iure merito Monaſterium à ſuo creditore exiget. Ita Mirand. *quæſt.* 8. *de Monialib. art.* 10. *con.* 1. Rodriq. *tom.* 2. *qq. Regula. art.* 7. Tamburin. *diſp.* 5. *de iure Abbatiſſa. quæſit.* 6. ex communi enim DD. omnium ſententia fas cuique eſt damnum ſuum vitare, atque de eo paciſci; quare in quocunque contractu obligatio, & conuentio de damno emergente probatur. Cur igitur Monaſterium ſibi ex dilata dotis ſolutione damnum proueniens pati cogetur, & illud ſibi compenſari non poſtulabit?

Dico ſecundo quoties ex dilata dotis promiſſæ, & aſſignatæ ſolutione ceſſat aliquod lucrum Monaſterio, quod ipſi habita ea dote legitimè obueniret, licebit pro eo, vt vocant, intereſſe lucri ceſſantis aliquid capere. Repugnant quidem huic aſſertioni laudati DD. Mirand. Rodriq. & Tamburin. ex communi, vti opinantur DD. eo quod omnibus Religioſis prohibita ſit negotiatio, atque adeo lucri ceſſantis propter negotiationem impeditam ex dilata ſolutione, quodcunque intereſſe. Verùm falsò ſupponitur ex ſola negotiatione prohibita lucrum obtingere poſſe Religioſis ex dote ſoluta, cùm & eam pecunāi in vectigalibus prædiis collocare poſſint, aut in montibus, vt vocant, pietatis, aut ad menſam trapezitarum deponere cum quodam contractu ſocietatis, quæ negotiatio cum per ipſas Moniales non fiat, prohibita nequaquam eſt. Præstereà plurima emi poſſunt præſenti pecunia, quæ deinde cum lucro diſtrahantur, neque eæ merces ex eo genere ſunt, quæ à Mercatoribus duntaxat veneant; deinde poterit Monaſterium ſua induſtria, præſenti pecunia ita ſubleuare rem domeſticam, vt illi fiat ingens aliqua acceſſio, quæ non fiet plerumque propter defectum nummorum. Itaque cùm lucrum ceſſare queat ex dilata ſolutione dotis, licebit ea de cauſa aliquid capere, atque de eo lucro ceſſante paciſci; quanti enim interfuit creditoris ſuis caruiſſe nummis, tantundem impendij numerare tenetur debitor.

Dico tertio licitum eſt abſolutè loquendo paciſci de annuo cenſu, aut penſione Monaſterio præſtanda, donec dos aſſignata Moniali ſoluatur; immò quamuis nullum eiuſmodi pactum interceſſiſſet, poſſet iure Monaſterium eiuſmodi aliquam penſionem exigere.

Hæc aſſertio ſequitur ex duabus proximis, atque ex priori conſectario;

rlo; quandoquidem enim dos ita aſſignatur ad ſuſtentationem Monialis, ex eius prouentibus ali debet Monialis; igitur fructus dotis nondum ſoluti repeti poſſunt; & ſanè niſi id liceat, tenebitur Monaſterium ſumptus facere pro oneribus, pro quibus ſuſtinendis dos dabatur, atque ita damnum patitur pro quo paciſci licet, immò & ex fauore contractus dotalis nullo præuio pacto illud exigere. Hæc porrò omnia confirmantur ex dote pro nuptiis carnalibus, à qua ad dotem iſtam ſpiritualem valere argumentum ſuperiùs monuimus; in hac autem dote licet de penſione annua paciſci, & abſque eo pacto quandiu non ſoluitur dos, aliquid ad onera Matrimonij intereà ferenda, habita ratione eiuſdem dotis repetere. *ex cap. ſalubriter. de vſuris.* de quo textu plurima diſputant Molin. *tract. 2. de iuſtitia. diſp.* 321. Salas. *tract. de vſur. dub.* 29. Couarru. *lib. 3. varia. cap. 1. à num. 5.* Vgolin. *de vſuris. cap. 3. à §. 1. ad 6.* Beinsfeld. *in illud cap. ſalubriter. q. vnica.* aliíque innumeri, quos allegant, & nos fuſiſſime *opere de vſuris lib. 4. cap. 5. & lib. 6.* Reſpondet igitur Inno. III. generum, qui à ſocero pignus frugiferum accepit, donec dotem promiſſam ſolueret, non eſſe compellendum vt fructus illius pignoris in ſortem computet. Cuius reſponſionis cauſam inquirunt DD. quorum varias ſententias Beinsfeld. aliíque latè referunt, & pleríque ad damnum tantùm, quod contingit marito ex dilata illa ſolutione, cùm intereà teneatur de ſuo vxorem alere, recurrunt, neque vllum alium fauorem, aut priuilegium contractus dotalis agnoſcunt, quàm quod ea tacita conditio videatur ineſſe ex diſpoſitione iuris huic contractui, cùm dos detur ad onera Matrimonij, neque qui dotem tunc non accepit, aut qui de termino ſolutionis contrahit, præſumitur intereà velle carere ſuo iure percipiendi, quæ neceſſaria ſunt, vt damno, quod patitur, occurrat. Atque ad hanc cauſam ferè omnes aliæ tandem reducuntur, vti expendenti patebit. Dico igitur ex ipſis verbis reſcripti Pontificij euidenter colligi, non peti rationem proximè ex damno emergente, & lucro ceſſante, quod aliis omnibus commune eſt, cùm tamen aliquid præcipuum genero tribuat Pontifex; petenda itaque cauſa eſt ex eo, quod non tradatur niſi ad onera Matrimonij ferenda: pignus autem non fuit datum ad ſolam dotis ſecuritatem, ſed vt vices eius ſuppleat in ſuſtinendis illis oneribus, quæ cùm ſæpè ſuperent fructus pignoris, non poſſunt illi fructus in ipſam ſortem dotis numerari. Ex quibus plurima cum DD. allatis colligebamus *opere citat. de vſuris*, & illud *ibidem* contendimus. poſſe condi legem, quæ iubeat certam dari penſionem, donec perſoluatur dos integra, atque etiam de re eadem, ſecluſa omni lege, pactum licitum eſſe. Hæc omnia æquè valebunt in dote Moniali aſſignata, vti ſæpiùs diximus.

Decimaſexta quæſtio, an Monaſterium poſſit vel dotem vel aliquid aliud ex bonis Monialis ante eius Profeſſionem recipere. 16

Reſpond. difficultatem eſſe circa Trident. decretum. *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularib.* prohibentis, ne ante profeſſionem Nouitij, vel Nouitiæ, excepto victu, & veſtitu, quocúnque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus eius, aliquid ex bonis eiuſdem Nouitij, aut Nouitiæ tribuatur, ne hac occaſione diſcede-

re

re nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit; quin potiùs præcipit S. Synodus ſub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant.

Ex quo decreto manifeſtum imprimis fit, neque dotem, neque partem vllam dotis ante profeſſionem Monialis recipi poſſe, neque verba Tridentini patiuntur ea in parte difficultatem.

Secundo non prohibentur donationes, & eleemoſynæ exiguæ factæ Monaſterio ex bonis Nouitij. Ita Azor 1. *par. lib.* 13. *cap* 9. *quæſt.* 2. Sanch. *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 5. *nu.* 22. Ferdinand. à Caſtro *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 7. quia idcircò Conc. prohibet donationes, *ne hac occaſione Nouitius diſcedere nequeat, eo quod totam, vel maiorem partem ſuæ ſubſtantiæ Monaſterium poſſideat.* Quoties igitur iſtæ eleemoſynæ, aut donationes, eò quod exiguæ ſint, neque aut totam, aut maiorem partem facultatum, aut *ſubſtantiæ* Nouitiæ exhauriant, non reddent difficilem, aut impoſſibilem egreſſum illius, non peccabitur in illis contra Tridentini decretum; adde quod ſi liceat Nouitio aliquid externis pauperibus dare, non apparet, cur ſuo Monaſterio eleemoſynam erogare prohibeatur.

Tertio non prohibetur in ingreſſu Monialium aliquid muneris loco ad conuiuia, aut ad feſtiuitatem ex more conſueto dari, niſi aliunde, quàm hoc Tridentini decreto ſanciatur, neque etiam iſti ſumptus deinde egredienti, & non emittenti profeſſionem, reſtituendi erunt; quia tum per modum eleemoſynæ donata ſunt ea omnia, tum non eiuſmodi cenſentur, vt egreſſum impediant. Ita Sanchez & alij relati ſuperiùs contra Cauallos *quæſt.* 439. *num.* 10. & Villalob. *tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 19. *num. vltim.* quoad illa comeſtibilia, in quibus tamen fatetur alicubi vſum derogaſſe legi Tridentini.

Quarto poterunt parentes ex propriis bonis aliquid dare Monaſterio, modò id non numeretur deinde in dotem Nouitiæ, aut legitimam Nouitij, etiamſi ea donentur vt liberaliùs, ſuauiúſque tractetur Nouitius. Ita Suar. *num.* 16. *cir.* & Sanch. *nu.* 23. quia Tridentinum loquitur de bonis Nouitij, non autem de aliis de quibus parentes in fauorem extranei cuiuſpiam diſponere poſſent. Neque eiuſmodi donationes minuunt libertatem Nouitij ad relinquendam Religionem, cui ſoli libertati voluit duntaxat cauere Tridentinum. Atque in hunc ſenſum exponendam eſſe quandam declarationem Congregationis ab aliquibus relatam, ſapienter monet Villalob. *tom.* 2. *tract.* 35. *diffi.* 19. *num.* 2. nempe vt bona ipſorum parentum, quæ donare prohibet Congregatio, computanda ſint in dotem Monialis.

Quinto maior difficultas eſt, an aliquid ex dote Monialis, & Nouitij bonis dari poſſit per modum mutui, maximè ante profeſſionem reddendi, atque accepto pignore ſecuritatis, aut data locupleti cautione à Monaſterio; tunc enim non erit difficultas in repetendo illo mutuo, ideóque non minuetur libertas Nouitij, ne egredi valeat, quod vnum intendit ſuo illo decreto Tridentinum; verba autem illa *quoruque prætextu* gloſſari debent, inquit Roderiq. ita vt intelligantur de prætextu

ficto,

ficto, quo mens legis poſſit fruſtrari, quando nempe aliquid datur ratione mutui aut commodati ſine pignore ſufficienti, aut fideiuſſore, ita vt deinde difficulter mutuum repetatur, atque adeò Nouitius profiteri cogatur Cum his itaque conditionibus licitum eſſe mutuare Monaſterio ex bonis Nouitij cenſet Roderiq. *tom.* 2. *qq. Regula. quæſt.* 48. *art.* 5. & *in ſum. tom.* 2 *cap.* 7. *n. vlt.* allegat graues DD. Salmanticenſes. Conſideratis tamen verbis Concilij *quocunque prætextu* addit. *Ego non audeo eſſe huius opinionis, nec ideò reprobo eam in totum.* Mirand. *tract. de Monialib. quæſt.* 8. *art.* 9. ſecutam putat eam ſententiam quamuis contraria ſecurior ſit: illam etiam damnare non audet Sanchez *numero* 24. Quare vbi talis conſuetudo eſſet, eam non multùm improbarem attenta maximè huius ſententiæ probabilitate. Quanquam conſulenda ſit in praxi contraria, quam amplectitur Sanchez *loc. citato*. Ferdinand. à Caſtro. *tractat.* 16. *diſput.* 1. *part.* 17. *numero* 8. Villalob. *tom. ſecund. tractat.* 35. *diffic.* 19. Valaſc. *de partitione capite* 16. *numero* 32. Tamburin. *de iure Abbatiſſ. diſputat.* 5. *quæſit.* 5. Suar. *tractat.* 7. *de Religion. libr.* 5. *cap.* 9. *numero* 16. eò quod difficultates plures ſint in recuperando mutuo, & ideò ex eo reddatur difficilis egreſſus Nouitij.

Nihilominus ſi ita paciſcerentur parentes, vt illud mutuum maneat Manaſterio pro dote Monialis, ſi profiteatur, ſi autem exeat, non imputetur ipſi in legitimam, ſed ſit in periculo parentum, non peccatetur in Trident. quia fieret ex propriis bonis parentum. Ita Sanchez & Velaſc. ait ſe vidiſſe praxin illam, quam non audet damnare: ipſe præterea Suar. *tractat.* 9. *de Religione. lib. prim. capite* 11. *numero* 4. ait Trident. decretum per ſe intelligendum eſſe, nam ſi neceſſitas, vel aliqua maior commoditas ipſiuſmet Nouitiæ intercederet, & iudicium, ac licentia Epiſcopi interueniret, poſſet dos recipi à Monaſterio data certa cautione, & ſecuritate illam integrè, & ſine difficultate reſtituendi, ſi Nouitia velit abire, ita enim, inquit, ſatisfit intentioni Concilij. Ex quibus facilè fuerit excuſare, ſi quid aliquando in iſtud decretum committi videatur.

Denique obſeruandum eſt, excommunicationem, quam eo loco Concilium interminatur, non incurri ipſo facto, eſſéque tantùm ferendæ ſententiæ, cùm ibidem iubeat Prælatis, vt ad hoc decretum ſeruandum ſubditos compellant per cenſuras Eccleſiaſticas. Itáque exponunt Suar. Sanch. Ferdinand. Villalob. Tamburin. *loc. cit.* & Peririnis *de Religioſo ſubdito cap.* 29.

CONSECTARIVM XI.

Qua ratione accipiatur aliquid temporale pro diſpenſationibus Eccleſiaſticis abſque Simonia.

Ratio difficultatis eſt, quia diſpenſationes iſtæ pertinent ad ſacram, & ſpiritualem Iuriſdictionem Eccleſiæ, eiúſque actiones, & exercitia ſunt, ac proinde materia Simoniæ veræ, & propriæ, vt conſtat *ex q.* 4. *conſ.* 12. idque tradit S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3 & magno conſenſu Theologi. Conſtans nihilominus eſt vſus dandi certam pecuniæ ſummam ad obtinendam diſpenſationem in Curia Romana, atque etiam in pleríſque Epiſcopatibus.

1 Reſpond. & dico primo nihil accipi, aut dari poſſe in pretium, & compenſationem diſpenſationis voti, iuramenti, impedimenti matrimonij, aliiſque eiuſmodi, quæ ex ſacra, & ſpirituali Iuriſdictione conceduntur, quia, vt oſtendimus *confeſſ. citat.* in his reperitur vera, & propria materia Simoniæ.

2 Dico ſecundo quamuis aliis quibuſdam titulis, quàm pretij, & compenſationis diſpenſationis aliquid temporale exigi poſſet abſque Simonia, verbi gratia in ſuſtentationem diſpēſantis, aut officialium eius; lege tamen Eccleſiaſtica prohiberi quidquam accipi à diſpenſante, quod in eius commodum nempe, & vtilitatem cedat, ad vitandam nimirum omnem Simoniæ, aut turpis lucri occaſionem, ſuſpicionémve. Ita Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de reformat.* modum ſeruandū in diſpenſationibus à legibus Eccleſiaſticis, quoties grauis aliqua cauſa illas conceden das eſſe ſuadebit, præſcribit. *Id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit praſtandum, alitérque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

3 Dico tertio poſſe Pontificem aliquid pro diſpenſationibus variis ex cauſis abſque Simonia exigere, quia cùm non exigat tāquam pretium ipſiuſmet diſpenſationis, non committet Simoniam contra ius diuinum; ius verò Eccleſiaſticum, ipſum non obligat ſaltem vbi iuſta cauſa aderit eo ſe eximendi. Poteſt igitur primo per modum oneris, quo compenſetur ille receſſus à lege, & cuius etiam difficultate terreantur à petendis diſpenſationibus. ſecundo in commutationem quandam operum, nimirum opus imperatum à lege in aliud quoddam commutatur. tertio, in mulctam peccati admiſſi, & in cuius pœna diſpenſandum eſt. quarto, pro ipſius Pontificis diſpenſantis ſuſtentatione. quinto, pro officialibus, qui ad executionem deinde diſpenſationis laborare debent.

Atque ex his ſtylus Curiæ, & conſuetudo iam diu tolerata ab omni labe Simoniæ immunis redditur, dū pro obtinendis diſpenſationibus pecuniæ ſumma, etiam ingens aliquando exigitur: quod pluribus oſtendit Redoan. *de Simonia prim. part. capit.* 21. *numero* 4. & ſapienter obſeruat Suar. *lib.* 4. *de Simonia. capit.* 20. *numero* 13. non ſine cauſa Trident. *ſeſſ.* 22. *capit.* 5. de diſpenſationibus Apoſtolicis, committendis Ordinariis agens dixiſſe, *ea vero, quæ gratioſè conceduntur, ſuum non ſortiantur effectum*, &c. quarè ſupponit, quaſdam eſſe diſpenſationes, quæ non gratioſè conceduntur, alias quæ gratioſè conceduntur, inter quas diſcrimen conſtituit, vt priores illæ ſtatim ſuum conſequantur affectum, vbi ad ordinarios peruenerint, non verò hæ poſteriores, & gratioſæ, niſi ab ordinariis tanquam à ſede Apoſtolica delegatis ſummariè, & extraiudicialiter de precum veritate cognoſcatur, & an ſubreptio aliqua obuenerit. Dicuntur autem diſpenſationes gratioſæ, quia non modò pretium omne excludunt, & non venduntur, ſed etiam, quia nullo alio onere grauantur.

Dico quarto, nefas eſſe inferioribus Prælatis aliquid in ſui ſuſtentationem aut Officialium exigere in concedendis diſpenſationibus, quia id iure Eccleſiaſtico prohibetur, dum iubet omnia ſpiritualia ſine pacto, & modo concedi, & lege Tridentini *ſeſſ.* 25. *capit.* 18. *de reformat.* quod 4

diſpenſa

diſpenſationes Eccleſiaſticas, ad quoſcunque pertineat earum conceſſio, gratis dari imperat, alioquin ſubreptitiam diſpenſationem eſſe cenſet. Verbum autem, *gratis*, non modò pretium, ſed onus aliud quodcunque excludit, maximè quando in vtilitatem diſpenſantis cedit, tunc enim vel datur ſuſpicio Simoniæ, vel occaſio multiplicandi iniuſtas diſpenſationes; prætereà cum aliunde ſufficientes redditus habeant Epiſcopi ad ſua onera ferenda, nequeunt nouas exactiones facere. Ita Nau. *conſ.* 18. *de pœnitent.* & Beinsfeld. Tabiena. *ver. Simonia. num.* 49. Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 52. *numer.* 5. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 20. *num.* 14. Leſſi. *cap.* 35. *lib.* 2. *dub.* 9. Ferdinand. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punc.* 12. *num.* 11. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 4. & alij quos ipſi dabunt.

5 Dico quinto, licere nihilominus Epiſcopis per modum commutationis, aut pœnæ imponere aliquod opus in diſpenſationibus, quod ad pia opera non ipſis applicetur. Ita DD. ſuperiùs relati, quia quamuis teneantur concedere gratis diſpenſationem, non obligantur tamen illam puram dare, ſed poſſunt cum aliqua commutatione miſcere, aut punitionem adiungere, idque ſemper fit in diſpenſationibus occultis, quæ per viam pœnitentiariæ obtinentur.

6 Dico ſexto, fideles, qui ad obtinendam diſpenſationem aliquam pecuniæ ſummam Prælatis exigentibus perſoluunt, à Simonia penitùs excuſari. Ita Leſſi. *c.* 35. *cit. n.* 59. quia vel inculpata ignorantia laborant, vel dant in Prælati ſuſtentationem, atque Officialium ſtipendia, vel denique ad redimendam iniuſtam vexationem, quam patiuntur à Prælatis, eorúmque officialibus.

CONSECTARIVM XII.

Difficultates ſingulares circa diſpenſationum executionem, & circa Officialium ſtipendia ſoluuntur ex hactenùs diſputatis.

Prima difficultas eſt, an Epiſcopi poſſint in concedendis diſpenſationibus aliiſque facultatibus aliquid in ſtipendia, & ſalaria ſuorum Officialium imponere. 1

Reſpond. cum Soto. *lib.* 9. *de iuſtitia. quæſt.* 6. *art.* 1. Prælatos omnes, qui habent ſufficientes redditus, teneri ex lege iuſtitię aſſignare ſuis officialibus certa, & ſufficiẽtia ſtipẽdia, ne cogantur à ſubditis aliquid ratione Miniſteriorum exigere non ſine ſcandalo, & turpis lucri, aut Simoniæ ſuſpicione, & periculo. Neque profectò Eccleſia tam amplos prouentus Prælatis aſſignauit, niſi quia ad ſua munia præſtanda pluribus Miniſtris egebant, quos proinde & alere, & ſtipendiis donare debebant. Quarè ſi quid exigant ad ſtipendia ſuorum Miniſtrorum, illud in ſuum commodum exigunt, quia liberantur onere ſoluendi ſtipendia debita. Miniſtri verò, qui ſufficiens ſalarium à Prælato capiunt, ſi quid deinde amplius à ſubditis exigant, peccant contra iuſtitiam, vt patet, non autem contra Religionem, niſi ſit peculiaris aliqua Eccleſiæ prohibitio intuitu Religionis facta: ſapienter autem Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. & Suar. *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 20. *n.* 15. exiſtimant in his plurimùm valere conſuetudinem; quando, vt dicebam, in peculiari aliquo caſu nihil fuit à iure definitum.

Secunda difficultas, an in ordinum 2

collarione aliquid ab Epiſcopo, aut eius Miniſtris exigi poſſit, aut ſaltem oblatum capi. Non quærimus de temporali dato in pretium collationis ordinum, in eo enim manifeſta foret Simonia, de qua diximus *quæſtione ſecund.* & latè Gregori. *lib.* 7. *Regiſtri. Epiſt.* 110. ſed de eo, quod alia quapiam ex cauſa daretur.

Reſpond. ex natura quidem rei nullam Simoniam committi, quoties aliquo alio titulo, & cauſa, quam ipſiusmet ordinationis exigitur, aut capitur: Eccleſiam tamen ad vitandam omnis mali ſpeciem plurima hac in parte ſtatuiſſe. Nam Gregorius in Synodo Romæ coacta ann. 13. Imperat. Mauricij indictione 13. 5. menſis Iulij contra quoſdam Romanæ Eccleſiæ prauos mores conſtituit, *Antiquam*, vt fatetur, *Regulam ſecutus, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum eſſe, neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam noua per ambitionem ſimulatio inuenit, appellatione Paſtelli; quia enim ordinando Epiſcopo Pontifex manum imponit, Euangelicam lectionem Miniſter legit, Confirmationis autem eius Epiſtolam Miniſter ſcribit, ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit vendere; ita Miniſter, vel Notarius non debet in ordinatione eius vocem ſuam, vel calamum vendere: pro ordinatione ergo, vel pallio, ſeu chartis, atque paſtello, eundem, qui ordinandus eſt, vel qui ordinatus eſt, aliqua dare prohibeo.* Addit tamen, ſi quid ſponte oblatum fuerit, accipi poſſe poſt acceptas chartas, & pallium; *quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit.* Ita Gregori. *libr.* 4. *Regiſtri. capite* 88. *ſiue Epiſtol.* 44. & refert Iuo *part. quint. capite* 109. & Gratian. 1. *quæſt. ſecund.* ſed mendoſe ſuo more; priorem enim partem tribuit Vrbano in Concilio apud Melfiam *capit. nullus.* poſteriorem *à capit. ſicut Epiſcopum.* Gregorio, cuius reuera eſt, aſſignat. Idem porrò Gregor. *Epiſt.* 110. *libr.* 7. ad Syagrium, alióſque Galliarum Epiſcopos, pluribus oſtendit, nihil ab ordinandis etiam in Eleemoſynas impendendum accipi debere. Nouiſſimè verò Trident. vt omnem hac in re peccandi occaſionem tolleret, *ſeſſ.* 21. *capite prim. de reformatione. Vt nihil pro collatione quorumcúnque ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum Epiſcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum Miniſtri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere poſſunt, dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo. Nec Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire poſſit, tunc enim gratis operam ſuam præſtare omninò decernit, contrarias taxas, & ſtatuta, ac conſuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potiùs abuſus, & corruptelæ Simoniacæ prauitati fauentes nuncupari poſſunt, penitus caſſando, & interdicendo: Et qui ſecus fecerint tam dantes, quàm accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant.* Huius decreti

decreti ſingulæ partes expendendæ ſunt.

Atque imprimis ad grauem culpam obligat iſta conſtitutio Synodalis, quandoquidem diuinam vltionem interminatur, quæ verba importare graues, & grauiores pœnas obſeruauit Paul. Fulc. *lib.* 1. *de viſitat. cap.* 31. *num.* 15. adiicit etiam Synod. incurri ab iſtis pœnas à iure latas, nimirum contra Simoniacos, quamuis hic non ſit propria Simonia.

Obſeruo ſecundo contrariam conſuetudinem appellari potiùs abuſum, & corruptelam Simoniacæ prauitati fauentem; ex quibus colligo, quod iam alibi monui, non eſſe Simoniam, ſed Simoniæ cauſam, occaſionem, aut velamen. Deinde, conſuetudo non eſt intelligenda de acceptione, aut petitione ſtipendij miniſtrorum, quandoquidem eam permittit ibidem Trident. vbi ſalarium non eſt ipſis conſtitutum; quod iterum ſtatim notabo: non eſt etiam intelligenda de iis, quæ ſponte offeruntur, quandoquidem id permittebat Gregorius, quamuis graues ob cauſas ſapienter illud ipſum modò prohibeat Synod. *viſum enim fuit, impunè graſſanti malo remedium paulò durius auſteriúſque adhibere.* Intelligenda igitur eſt ea conſuetudo de quibuſdam muneribus, quæ diuerſa pro ſingulis ordinibus, dari ſolebant tum Epiſcopo, tum miniſtris, & quæ exigebantur quoque non ſine onere ordinatorum, & Simoniæ ſuſpicione; quam etiam prauam conſuetudinem damnare voluiſſe Gregorium *locis citatis*, annotarunt Innoc. Cardin. Ancharan. aliíque *in cap.* 1. *de Simon.* Et ſanè vix mihi perſuadeo pro ipſamet collatione ætate Gregorij fuiſſe poſtulata pretia, ſed vario prætextu, inductas fuiſſe quaſdam præſtationes pro ſingulis ordinibus.

Tertio non modò hæc munera, & temporalia accipientes, ſed etiam dantes ligantur hoc decreto, & pœnis ſubiiciuntur, ac diuinæ vltioni, quia hæc ſunt correlatiua, & pœna accipienti impoſita dantem quoque afficere debet, quod notauit Ancharan. *in cap.* 1. *de Simonia. notabil.* 3. & Ioan. ab Anani. *argumento l. final. ff. de accepti.* Quare Gregorius *lib.* 4. *Epiſt.* 44. ordinantem, & ordinatum æquè arguit.

Quarto Epiſcopis prohibetur in quacunque collatione ordinum etiã tonſuræ Clericalis quidquam accipere etiam ſponte oblatum, quod directè, vel indirectè in eorum commodum, & vtilitatem cedat. Quarè antiquorum Canonum rigorem non modò retinuit, ſed etiam auxit Tridentin. tum prohibendo ſponte oblata, quæ illi accipere permittebant, tum antiquando omnem contrariam conſuetudinem; itaque neque forcipes, neque pectines, neque mappas, neque alia ſimilia præter cereum recipere queunt, vt deciſum fuiſſe refert Piaſec. *in praxi Epiſcop. part.* 1. *num.* 55. tum quia ex iis etiam, quæ Notario, aut aliis miniſtris iure aliquo obueniunt, nihil directè, vel indirectè vult peruenire ad Epiſcopum, in eiúſve commodum cedere. Itaque ſi tenebatur Epiſcopus Notario, aliiſve miniſtris ſalarium conſtituere, non poteſt illud negare, eò quod ſtipendia capiant ab ordinatis, quia indirectè proficeret ex collationibus ordinum. Nequit etiam partem eorum, quæ pro ſigillo, aut aliis quibuſdam dari fortaſſis iure poſſent, ſibi aſſumere, aut piis operibus, ad quæ ip-

ſe aliunde tenetur, impendere. Denique verba illa *quacunque ex cauſa* expendenda ſunt, quia non iam pro ipſis ordinibus, quod alibi ſæpiùs damnatum fuerat,ſed pro iis,quæ ordines circumſtant,quidquam accipere prohibetur.

Quinto Notarius, cui non eſt conſtitutum ſalarium, poteſt pro labore ſuo, charta,aliiſque neceſſariis ad ſcribendum pretium accipere, neque enim gratis laborare cogitur. Ita DD. *in cap.* 1. *de Simon.* & Cardin. Alexand. atque Turrecrem. *in cap.ſicut Epiſcopum.* 1. *quaſt.* 2. Angel. *ver. Simonia.* 3. *num.* 22. Sylu. *eod. ver. quaſt.* 8. Armilla *nu.* 32. Nau. *cap.* 25. *num.* 54. Suar. *lib.* 4. *de Simon.cap.* 53. *num.* 7. aliique, id enim apertiſſimè ſupponit Tridentinum, dum definit, quid in iuſtum ſtipendium capere poſſit. Quare reiicienda eſt Gloſſa, quæ *in cap.ſicut Epiſcopum*, non diſtinguit, an Notarius habeat ſalariũ, an non,nihilque omninò accipi vult, idque vt fiat curandum eſſe Epiſcopo. Quod etiam exiſtimauit Supplem. Gabriel. *in* 4. *diſt.* 25. *quaſt.* 2. *art.* 3. *dub.* 6. à quibus diſſentit Tridentin. & ſanè durius videtur, Notarium cogere ad præſtandam ſuam operam gratis, cuiuſcunque tandem culpâ ſtipendio careat. Deinde non damnandi ſunt Epiſcopi, qui hoc ſalarium Notario non exhibent, ſiue ex tenuitate redditũ, ſiue ex antiqua conſuetudine quam non reiicit Tridentinum, ſed potiùs probat, cùm permittit accipi decimam aurei partem pro ſuo labore, & aliis. Quamuis autem alicubi excedatur ea ſumma, vel quia non viget inibi Tridentina ſanctio, vel quia conſuetudo ipſi derogauit, non peccant in eo exceſſu, ſi moderatus fuerit, Notarij, quia res illa non eſt per ſe mala, & potuit induci conſuetudine ex Leſſio, *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 10. & Layman. *lib.* 4 *tract.* 10. *cap.vltim. num.* 40. Adde pro locorum & temporum varietate mutari neceſſariò eiuſmodi rerum, & pretiorum æſtimationes. Quodſi Notario merces, & ſtipendium conſtituta ſunt, peccat, ſi aliquid amplius exigat, niſi fortaſſis minus eſſet ſtipendium ipſi aſſignatum; committit verò apertam iniuſtitiam, & violat legem Eccleſiaſticam intuitu Religionis factam, atque adeò ſacrilegij alicuius reus eſt, immò & Simoniacum exiſtimat Suar. *cap.* 53. *cit.nu.* 8. Simonia Iuris Eccleſiaſtici, quod ego non cenſerem, etiamſi concederem eiuſmodi aliquam Simoniam dari, quia reuerà non accipit niſi in ſtipendium, ſtipendij autem exceſſus non poteſt violare niſi Iuſtitiam. Quod verò addunt aliqui, litteras iſtas teſtimoniales, aut dimiſſorias annexas eſſe conſequenter alicui ſpirituali nimirum ordini ad illum licitè capiendum, aut commodè exercendum, neque idcircò vllam aliam habere æſtimationem, quàm ratione ordinis, ad quem reſpectum dicunt; id, inquam, probat committi Simoniam propriam, & veram, ſi aliquid per modum pretij pro eiuſmodi litteris capiatur, & poſſe tantùm capi per modum ſtipendij, qua ratione id permittit Tridentinum. Neque nos aliud volumus, ſed dicimus peccatum exigendi iniuſtum ſtipendium, non eſſe niſi peccatum iniuſtitiæ, non autem Simoniæ.

Nihilominus vera Simonia erit, ſi pro ratione ordinis augeat Notarius ſuum ſtipendium, ita vt plus exigat pro dimiſſoriis v. gr. ad ſacerdotium, quàm ad Diaconatum, &

pro

pro Diaconatu, quàm minoribus ordinibus, quod ex communi Canoniſtarum aduertit Nauarr. *cap.23. numer.* 102. §. *vndecimo. ſub fin.* & Binsfeld. *in cap.* 1. *de Simon. quæſt.* 1. *con.* 5. quia cùm in omnibus iſtis æqualis ſit labor, æquale debet eſſe ſtipendium, idcircò ſi aliquid amplius in vno exigitur, id non iam ratione ſtipendij, aut laboris, ſed ipſiuſmet ordinis dignioris poſtulatur, in quo conſiſtit Simonia.

Denique pro ſigillo idem omninò dicendum eſt, fatentur enim DD. pro expenſis ceræ, & ſigillationis, atque ſtipendiis miniſtrorum, quibus id muneris incumbit, quidpiam exigi poſſe, niſi in aliquo caſu id ab Eccleſia prohibeatur, vt pro litteris ordinum, ſiue *Reuerendis*, vt vocant, prohibitum fuit à Tridentino, quod Notario pro omni ſuo ſtipendio etiam habita ratione ſigilli decimam aurei partem, vbi aliunde debitam ſibi mercedem non habet, aſſignauit.

Ad extremum moneo cum Leſſio, & Layman, nondum pleriſque in locis vſu receptam fuiſſe hanc Tridentini conſtitutionem, quarè inibi antiquis moribus inhærendum erit, videndúmque, ne aut alia ratione, quàm ſtipendij quidquam exigatur, aut violetur Iuſtitia, quæ ſtipendium, & operæ poſitæ pretium, ſiue miniſtri ſuſtentationem definire debet, quod in omnibus aliis diſpenſationum, litterarúmque quarumcunque, quibus aliqua licentia ſpiritualis, aut Eccleſiaſtica conceditur, ſcribendis, obſignandíſque ſeruandum omninò erit.

3 Tertia difficultas, an examinatores ad ordines, aut ad beneficia aliquid pro ſua opera poſſint exigere.

Reſpond. circa examinatores, quos ad examinandos, qui ad aliquam Parochiam promoueri cupiunt, in ſingulis diœceſibus ab Epiſcopo in ſynodo diœceſana deſignari iubet Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* ſic ab eodem Concilio ſtatui. *caueántque ne quid occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes incurrant, à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antè obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur.* Puniendos etiam eſſe dicit arbitrio Prouincialis ſynodi, coram qua rationem huiuſce rei reddere tenebuntur. Circa hoc Tridentini decretum

Dico primo committi Simoniam ab examinatoribus, ſi pro ſuo ſuffragio ferendo aliquid accipiant, erit enim pretium alicuius ſpiritualis, nempe inchoati cuiuſdam iuris ad beneficium. Vt Suar. *cap.* 22. *de Simon. num.*2. & alij adducti à Garcia 9. *part. de beneficiis. cap.* 2. *num.* 373. nóſque ipſi monuimus *ſuperiori conſect ar.* 2. 4

Dico ſecundo Simoniam, quam damnat Tridentinum in accipiente, & dante munus occaſione examinis, vel intelligendam eſſe de munere dato ad obtinendum, ferendúmve ſuffragium, vti cum pluribus DD. loc. cit. adductis interpretabamur, vel ſi de quacunque gratuita donatione placeat accipere verba Tridentini, non fore niſi Simoniam quandam Iuris Eccleſiaſtici, hoc eſt, vt nos exiſtimamus, analogam, & impropriam.

Dico tertio probabilius videri, eo decreto Tridentini prohiberi omnia munera, quæ etiam ad captandam 5

duntaxat

duntaxat beneuolentiam dari ſolent, maximè ſi ſtipendium ſibi ab Epiſcopo aſſignatum habent examinatores, & ſi ante latum ſuffragium donentur. Ita Suar. *lib.* 4. *de Simonia, cap.* 49. *num.* 7. Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 2. *diffic.* 2. *num.* 5. Barboſ. *allegat.* 60. *num.* 52. *de poteſtate Epiſcop.* & *in collectan. ad cap. cit. Trident. num.* 13. Homobon. *tract at* 1. *quæſt.* 27. qui tamen quoad le uia quæ poſt reddita ſuffragia dantur, contrarium exiſtimat, *quæſt.* 28. Garc. 9. *parte, de benefic. cap.* 1. *num.* 376. quia verba illa *occaſione examinis*, videntur aliquid aliud innuere, quàm pretium, aut mercedem approbationis, & ſuffragij, & excludit omnem titulum, qui ad eiuſmodi munera capienda, prætendi iure poſſet; timuit enim Synodus ne aut Simoniæ aut auaritiæ ſuſpicio, crearetur, aut occaſio daretur, aut ne minus ſyncera forent iudicia: magnam quippe vim habent ad flectendum animum munera, quare etiam poſt examen data, ſi tamen illius occaſione dentur, puto prohiberi contra Homobon. nam æquè valebunt ad corrumpenda iudicia, qui enim ſciuerit, ſe munera perfecto examine accepturum, tam ad illa obtinenda ſuffragium dabit, quàm ſi iam obtenta eſſent, immò & periculum maius eſt, ne minus ſyncerè iudicet, ne priuetur muneribus, quæ expectat, quàm ob ea, quibus ampliùs priuari nequit. In praxi tamen non damnarem eum, qui eiuſmodi munera, non in pretium examinis, & ſuffragij accepiſſet; neque exiſtimarem eſſe obnoxium pœnis à Conc. latis, quia probabilis eſt ſententia Ferdinand. à Caſtro. *diſp.* 1. *de Simon. punct.* 5. *num.* 3. quia nihil eſt, quod cogat nos interpretari hoc decretum, quod pœnale, & odioſum eſt de donatione merè liberali, & gratuita, illud enim *etiam ſponte oblatum* benè intelligi poteſt de pretio examinis non tantùm poſtulato, ſed etiam ſponte oblato, maximè cùm videatur duntaxat Tridentinum antiquos canones innouaſſe, qui pecuniam pro examinatione ad ordines accipere vetabant.

6 Dico quarto poſſe iſtis examinatoribus ſynodalibus aliquid loco ſtipendij ex fructibus beneficij vacantis aſſignari ab Epiſcopo. Ita Ferdin. *loc. cit.* Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 188. P. Ledeſma 2. *par. ſum. tract.* 7. *cap.* 1. *con.* 7. *circa* 33. *diffic.* Rapha. à Torre *tom.* 2. *de Religio. quæſt.* 100. *art.* 6. *diſp.* 3. qui plura Concilia Hiſpanica referunt, itáque in Hiſpania ſeruari teſtantur, contra DD ſuperiùs relatos, qui cum Garcia etiam iſta ſtipendia, ſicut & munera reiiciunt. Itáque declaraſſe ſæpiùs Congregation. refert Garc. *num.* 374. quò etiam trahit iura antiqua, quæ quidquam ex beneficiorum prouiſionibus, aut collationibus accipi vetant, atque ipſas etiam ſportulas; nihilque incommodi apparet, quod examinatores cogantur illud officium publicum gratis exequi. Verùm cùm in toto illo decreto nullum verbum ſit, quod reiiciat ſtipendium, non video, cur nos id reiiciamus: neque hæ declarationes ſatis authenticæ ſunt, aut cognitæ, quando in Hiſpania non ſeruentur, cùm tamen in cauſis Hiſpanis datæ fuerint; maximè cùm poſſint Epiſcopi de ſuo aliquid in ſtipendium dare, vt fatetur ipſe Garc. *num.* 379. cur igitur non poterunt illud idem ex beneficij vacantis prouentibus decerpere? neque enim inde aut proficit Epiſcopus, aut collator, aut periculum, ſiue ſuſpicio Simoniæ vlla erit.

Dico

Dico quinto examinatorem ſynodalem intereà dum vacat examini,& à choro abeſt, lucrari nihilominus quotidianas diſtributiones, non quidem ex rigore iuris, ſed ex quadam æquitate, atque conſuetudine; cùm enim tunc non inſeruiant ſuæ Eccleſiæ, nulla ratio eſt, propter quam habeantur pro præſentibus, vti argumentatur Moneta, 2. *part. de diſtributionib. quaſt.* 11. *numer.* 61. ideóque priuilegium illud obtinuit à Pontifice Sanctus Carol. pro diœceſi Mediolanenſ. quod refert Garc. 3. *par. de beneficiis. cap.* 2. *num.* 354. æquum tamen fuerit id iſtis examinatoribus indulgeri, ſiue ex ſtatuto, ſiue ex conſuetudine,ſiue ex Pontificio priuilegio;& idcircò Lælius Zechius iſtos lucrari eiuſmodi diſtributiones dixit *tract. de beneficiatis ſub fin.* vbi etiam declaration. Congregat. Cardinal. refert, ob quam conſentit in hanc opinionem Homobon. *tract.* 1. *quaſt.* 29.

8 Quarta difficultas, eáque admodùm grauis eſt, an ordinarij, officiales, aliíque, quibus à ſede Apoſtolica committuntur diſpenſationes Matrimoniales, poſſint pro ſua opera aliquid in ſtipendium capere. Ratio dubitandi eſt, quia mandatum Apoſtolicum hæc perpetuò verba continet. *Per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus depoſita per te omni ſpe cuiuſcunque muneris, aut præmij etiam ſponte oblati, à qua te omninò abſtinere monemus, &c. Volumus autem, quodſi ſpreta monitione noſtra huiuſmodi aliquid muneris, aut præmij occaſione dictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere temerè præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras.* Quæ poſtrema verba, priora illa interpretantur, quibus monitio duntaxat,& conſilium continebatur; cùm enim hæc vltima pœnam, eámque grauem infligant, ſupponunt culpam, atque adeò præceptum, & obligationem, quæ per eam culpam violetur. Vox porrò *muneris* excludit omnem liberalem donationem,& vox *præmij*, ſtipendium, & mercedem. Quare ita affirmat Garcias 8. *part. de benefic. capit.* 1. *numer.* 102. vbi & plures declarationes affert S. Congregat. Cardinal. quæ expreſſiſſimæ ſunt, & Vicarium aliquid accipere, neque pro examine teſtium, neque pro cæteris informationibus prohibent; Notario verò aurei, ſeu ducati partem aſſignant. Neque allegari poteſt contraria conſuetudo, illa enim inefficax eſt contra ſpeciale decretum, & præceptum Pontificis, qui omninò vult diſpenſationem illam gratis fieri. Quarè in hanc ſententiam eunt Nauarr. *conſil. vltim. de reſcriptis.* Genuenſ. *in praxi Neapolit. cap.* 25. *num.* 13. Leo *in theſauro fori Eccleſi. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 49. Zerola *in* 2. *part. praxis. ver. delegatus.* §. 2. & *ver. diſpenſatio.* §. 2. Ferdinand. à Caſtro. *tractat.* 17. *diſput.* 1. *de Simonia. punct.* 12. *numer.* 12. Gutierrez *de Matrimon. capit.* 128. *num.* 3.

Exiſtimo nihilominus cum Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſput.* 35. *num.* 11. qui *numero priori* viros doctos à ſe conſultos allegat. Sala. *tractat. de legibus. diſput.* 20. *ſect.* 10. *ſub fin.* Filliuci *tract.* 10. *par.* 3. *cap.* 10. *num.* 363. Bonacin. *tom.* 2. *quaſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 17. & *diſp. de Simonia. quaſt.* 4. §. 17. *num.* 3. Manriq. *part.* 1. *qq. vicarialium. quaſt.* 15. licitam eſſe conſuetudinem, quæ aliquid in ſtipendium iſtis miniſtris diſpenſationum permittit. primo quia Pontifex

in illis ſuis reſcriptis loquitur de munere, & præmio, quæ gratuita eſſent, & non debita. Hoc autem ſtipendium debitum aliquid eſt, & neque muneris, neque præmij veram rationem habet. ſecundo quia intentio Pontificis eſt, ne iudex muneribus corrumpatur; at verò ſtipendium iure, & conſuetudine debitum non abducit à recto tramite iudicem, qui ſiue pronuntiet validam diſpenſationem, ſiue inualidam propter cauſæ defectum, ſuo ſemper ſtipendio donabitur.

Tertio cap. *ſtatutum*. §. *inſuper. de reſcriptis in 6.* cuius obſeruationem videtur commendare Pontifex in illa clauſula ſua prohibēte munera; agit tantùm de iudice delegato ad componendam litem inter partes, qualis non habetur hoc loco. Et deinde illi quantum ad debitum ſtipendium contraria conſuetudo derogauit.

9 DICES conſuetudinem non valere contra interdictum, aut alias cenſuras, quoties præſcribit, ne eæ cenſuræ obſeruentur. *cap. cùm inter. de conſuetudine*, quia ex tali conſuetudine neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſrumperetur, vt ibid. dicitur; quæ ratio oſtendit, non modò in interdicto, de quo eo loco agitur, ſed in aliis quoque cenſuris hanc legem valere, vti ſapienter aduertit Hugolin. *de cenſuris Eccleſiaſt. tab.* 1. §. 11. *n.* 1. *&* 2. in iſtis porrò reſcriptis Pontificis infligitur excommunicatio omnibus ratione diſpenſationis exequendæ aliquid accipientibus; ergo nulla conſuetudo poteſt ea munera, aut ſtipendia permittere.

Reſpond. primo conſuetudinem legitimam non tolli, neque interrumpi per decretum, quod illius expreſsè non meminit; quod fatetur Ferdinand. à Caſtro. Hæc autem conſuetudo capiendi debiti ſtipendij legitima eſt, vt vides, & reſcriptum Pontificium ne quidem ſtipendij meminit; quare eius cenſura non cadit in capientes ſtipendia, ſed munera.

Reſpond. ſecundo cum Manriq. *quæſt.* 15. *cit. ſub finem.* conſuetudinem aliquando excuſare à cenſura; quod probat ex Aufer. *de poteſtate ſæcul. in Eccleſiaſt. Regul.* 3. *fall.* 12. & Ceuall. *in opini. com. contra comm. quæſt.* 619. *num.* 5. vbi de conſuetudine torquendi clericos per laicum loquuntur; hi enim laici tortores, & mandantes excommunicantur *cap. vniuerſitatis. de ſententia excommunic.* contrarium tamen pluribus in locis impunè fieri teſtatur Salcedo. *in practica criminali capit.* 125. *§. torqueri per laicum.*

Aduertendum tamen eſt primo in vtraque ſententia, non licere officiali, cui committitur hæc diſpenſatio matrimonialis, accipere etiam eſculenta, quæ breui conſumuntur, quod tamen permittitur iudici delegato *cap. ſtatutum. §. inſuper. de reſcriptis in 6.* quia ibi agitur de iudice delegato ad lites, cuius commiſſio cum diutiùs duret, & magni ſit laboris, atque adeò maiori ſtipendio digna ſit, hæc eſculenta, quæ breui conſumuntur, non poſſunt habere rationem mercedis, neque magni fieri ad corrumpendum iudicis animum: reſpectu tamen diſpenſationis, quæ facillimè mandari ſolet executioni, & breui tempore, eiuſmodi eſculenta maioris cuiuſdam momenti cenſebuntur. Deinde quia voces, quibus vtitur Pontifex, ſunt vniuerſales, nam *cuiuſcùnque muneris depoſita ſpe*, & *à quo omninò te volumus abſtinere*, omnia munera ſiue modica, ſiue maiora excludunt

dunt. Denique cùm huic iudici ad lites delegato non liceat à partibus ſtipendium capere, non decuit illi iſta etiam minima munera, & eſculenta prohibere; hic autem ſtipendij debiti receptio permittitur.

Secundo etiamſi ſequeremur priorem ſententiam, non teneretur officialis contra prohibitionem ſibi factam munera accipiens illa reſtituere. Ita Sanch. *diſp.* 35. *cit. num.* 13. quia Pontifex illi quidem infligit excommunicationem, nihil tamen addit, quo vel impediatur dominij tranſlatio, vel imponatur reſtituendi obligatio, vti fit in *cap. ſtatutum.* Et male Gutierr. *lib. de matrim. cap.* 128. *n.* 7. cenſet totam iſtam donationem eſſe inuoluntariam, eò quod fiat gratia diſpenſationis faciliùs obtinendæ.

Tertio Officialis expedita, perfectáque diſpenſatione aliquid muneris aut ſtipendij capiens non incurreret excommunicationem litterarũ Apoſtolicarum, quia non dantur ea munera ad obtinendam diſpenſationem, ſed ad quandam gratitudinem. Ita Sanch. *n.* 14. & Gutierr *n.* 9.

Quarto ſi diſpenſantes iſti debeant aliquod iter ſuſcipere ad teſtes examinandos, & inueſtigandam veritatem cauſarum propoſitarum, aut narrationis, aut ſi partes peterent tranſſumptum inſtrumenti, vt loquuntur, poſſet ſtipendium illius laboris capi, & expenſæ factæ ab officiali, aliiſque compenſari deberent. Ita Ferdinand. Garc. & alij.

10 Denique monet Ferdin. quæ dicuntur de diſpenſationibus matrimonialibus, non eſſe ad alias diſpenſationes amplianda, niſi earum reſcripta ſimiles clauſulas contineant.

In omnibus autem, etiamſi pro compoſitione bullarum nihil dandũ ſit, pro expeditionibus tamen, vt loquuntur, capitur ſtipendium. Garc. 8. *part. cap.* 1. *num.* 100.

CONSECTARIVM XIII.

An conſuetudo det ius accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali, ſiue an excuſet à Simonia.

Repetendum hoc loco eſt, veram, 1
& propriè dictam Simoniam, in qua datur temporale tanquam pretium ſpiritualis, intrinſecè, & eſſentialiter malam, atque adeò iure diuino, & naturali prohibitam eſſe, & proinde neque diſpenſatione vlla, aut lege Eccleſiaſtica, neque conſuetudine honeſtari poſſe; quare de conſuetudine, quæ permittat commutationem temporaliũ cum ſpiritualibus non diſputamus hoc loco. Quia tamẽ Eccleſia, quæ iam inde à primo ortu hoc monſtrum Simoniacæ prauitatis eliſit, vti ſæpiùs monet Gregori. vt omnes huius vitij radices funditùs euelleret, plures commutationes, donationes, atque exactiones ex ſeſe non malas prohibuit, & ſæpiùs Simoniæ pœnis mulctauit; alias verò quaſdam receptiones munerum temporalium permiſit, immò & iuſſit, quærimus quid in his omnibus valeat conſuetudo. Quod facilè quidem fuerit definire ex iis, quæ *in ſcientia canonica* in vniuerſum diſputauimus de iure conſuetudinario, vbi quomodo & antiquo iuri detrahere, & nouum inducere valeat conſuetudo, ſatis vidimus, eámq; doctrinam huic controuerſiæ diſceptandæ accommodare nemo non poteſt; quia tamẽ conſuetudines aliquid exigendi pro miniſteriis ſpiritualibus videntur aliquando à iure reprobari, aliàs probari, quid in ea dubitatione ſentiendum ſit, quærimus.

Obſeruandum porrò eſt, aliquando conſuetudinem, de qua agimus, originem habuiſſe ex liberalibus, & ſpontaneis fidelium oblationibus circa aliquas res pias, & ſacras ad diuinum cultum pertinentes: alias verò ortas eſſe ex poteſtate Eccleſiaſtica, quæ aliquid iuſto titulo exegit, & veluti tributum quoddam, ac onus fidelibus impoſuit ea in parte.

2 Dico primo conſuetudinem legitimam permittere, vt aliquid pro miniſteriis ſpiritualibus exigatur. Probatur ex cap. *Ad Apoſtolicam. de Simonia*. Innocent. enim III. in Concil. Lateranenſ. *cap. 66. prauas exactiones fieri prohibet, pias autem conſuetudines præcipit obſeruari.* Et vult quidem Sacramenta gratis miniſtrari, mandat tamen Epiſcopis *compeſcere, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.* vbi obſeruat Gloſſa, fideles cogi poſſe implorato brachio iudicis ad ſeruandam conſuetudinem, quæ ex pietate introducta fuit, vt aliquid detur pro ſepulturis, exequiis mortuorum, nubentium benedictionibus, aliiſque ſimilibus. Quod magno conſenſu tradunt ſcribentes in hoc caput. ſecundo Tridentin. *ſeſſ. 24. capit. 14. de reformat.* iubet Epiſcopis, vt inter pias, & prauas conſuetudines diiudicent, atque vt prauas reiiciant, pias retineant: aliquas igitur pias eſſe ſupponit. tertio quia poteſt iſta conſuetudo non eſſe intrinſecè mala, cùm ea non ferat, vt detur temporale tanquam pretium ſpiritualis; cur igitur ſi legitima ſit, id eſt, non reprobata à iure, non ſeruabitur?

3 Dico ſecundo conſuetudinem iniquam, & à iure reprobatam accipiendi temporale in miniſteriis quibuſdam ſpiritualibus, atque quibuſdam aliis caſibus, non excuſare à culpa ſiue Simoniæ, ſiue iniuſtitiæ, ſiue demum turpis alicuius lucri. Probatur, quia ea conſuetudo nequit contra legem, à qua reiicitur, præualere, vt cum Couarru. *lib. 3. variar. cap. 13. num.* 4. ex communi omnium ſenſu docuimus alibi. Deinde cùm iniqua ſit reuerà, lapſu temporis excuſari nequit. Adde, illam in hac materia idcircò à iure reprobari, quia vel Simoniam, vel iniuſtitiam, vel turpe lucrum aliquod continet, ſiue ex obiecto ſuo, ſiue ex circumſtantiis, ergo neque eius diuturnitas excuſabit à culpa, neque efficiet, vt iuri ipſammet reprobanti derogetur, quod alioquin fieri poſſe non negamus, diximúſque *loco citato*: inde neceſſariò ſequitur, iura, quæ damnant conſuetudinem aliquid exigendi pro ſpiritualibus, ſeruanda eſſe pro illis caſibus, in quibus loquuntur, & contra quamcunque conſuetudinem vires obtinere. Ita dicitur *cap. Non ſatis, & capit. cum in Eccleſia. de Simonia.* Tridentin. *ſeſſ. 24. cap. 14.* idcircò hæ conſuetudines abuſus, & corruptelæ ſæpiſſimè nominantur. Atque ita facilè diuerſa, contrariáque in ſpeciem iura conciliabis; quæ enim approbant iſtas conſuetudines, loquuntur de piis, & laudabilibus, vt *cap. Ad Apoſtolicam*; quæ autem reiiciunt, agunt de conſuetudinibus, quæ iniquæ, & inhoneſtæ ſunt, ſaltem in ſpeciem, ideóque offenſionem piis generant. Difficultas itaque reſtat in diſtinguenda laudabili conſuetudine ab iniqua circa materiam de qua agimus. Quare

Dico tertio conſuetudinẽ accipiẽdi 4

tempo

te nporale pro ſpirituali ottam ex pia dantium vcluntate laudabilem eſſe. Eiuſmodi porrò exiſtunt conſuetudines circa oblationes ſacras, & directè ad diuinum cultum ſpectantes. Ita DD. paſſim *in cap. ad Apoſtolicam. de Simon.* cum gloſſa *ibid.* Ratio eſt manifeſta, quia gratuita donatio pro ſpiritualibus nullam aut Simoniam, aut ſpeciem eius inducit, vti diximus *conſect.* 2. quandoquidem igitur hæc conſuetudo caruit omni vitio, dum primùm fuit inducta, ita etiam omnis vitij expers perſeuerauit. Confirmatur ex iis, quæ de piis fidelium oblationibus ad res ſacras diſputantur.

5 DICO quarto conſuetudinem exigendi temporale pro ſpirituali, quæ ab ipſo initio exactionem vſurpatam fuiſſe ſupponit, laudabilē tantùm eſſe, quoties neque ex ſuo obiecto, neque ex circumſtantiis & conditionibus ipſi appoſitis, Simoniam, iniuſtitiam, vel turpe lucrum continet, aut ſapit; tunc autem cùm non ſit contraria iuri, ab illo non reiicitur.

Hæc aſſertio à nemine negari poteſt, excludimus enim omnem inhoneſtatem ab hac conſuetudine, quæ aliunde oriri nequit, quàm ex eius obiecto, aut circumſtantiis, vnde aut reuerà iniqua ſit, aut ſaltem talis appareat, atque adeò creet aliquod ſcandalum. Omnis porrò malitia in hoc caſu non poteſt eſſe niſi vel Simoniæ, quia datur temporale in pretium ſpiritualis; vel iniuſtitiæ, quia exigitur ſtipendium ab eo, qui gratis miniſtrare tenetur, & iam ſua mercede, atque operæ pretio donatus eſt; vel denique turpis auaritiæ, quia licet neque Simoniam, neque iniuſtitiam vllam admittat, nihilominus lucrum quærit cum indecentia, & turpi cupiditate. Quodſi nullum horum in ea exactione, & conſuetudine reperiatur, ſatis fuerit ſi aliqua ſpecies iniquitatis appareat, itàque vulgò exiſtimetur, vt eam conſuetudinem reiiciamus. Quæ notæ prauæ conſuetudinis certiores ſunt, quam quas paſſim Canoniſtæ petunt ex vario fine exactionum iſtarum, quæ enim ad pium vſum vt pauperum ſuſtentationem, & ornatū Eccleſiæ primùm inſtitutæ fuerunt, laudabiles cenſentur; iniquæ verò, quæ propria exigentium commoda ſpectant, tametiam exactiones ad pios vſus ſ[illegible] ne prohibet Alexan. II. *Ep. ad Clerum Lucenſem*, quæ enim exigebantur à Clericis in Eccleſiæ ordinem aliquē cooptandis, ad Eccleſiarū fabricam, aut donaria, aut pauperes, damnātur. *Quia qui aliquid malè accipit, vt quaſi be è diſpē ſet, potius grauatur, quā iuuatur.* Quod citat ex ſcriptura, quæ tamen verba in ſcriptura non ſunt, ſed in Gregorio, *lib. 7. Regiſt. Epiſt.* 110 *ad Syagrium.* Quare vel nomine *ſcripturæ* intellexit Alexand. ſcriptores Eccleſiaſticos priores, aut prædeceſſorum Pontificum decretales; aut ſi ipſam ſcripturam, diuinam eius mentem, & ſenſum, non verba retulit. Et ſanè nemo cogi poteſt ad expendendum ad pios vſus, quod nullo modo dare tenetur, neque ille finis ſufficit ad inducendas iſtas aut conſuetudines, aut obligationes. Deinde quod petitur ad propriam vtilitatem in hac materia, non ſtatim iniuſtè, aut ſimoniacè petitur, quia peti poteſt propter extraordinarium laborem, aut ad ſupplendum defectum inadæquati ſtipendij, aut ad vrgentem aliquam neceſſitatem. Ex quibus etiam cauſis potuerit oriri conſuetudo, quæ proinde laudabilis erit. Itaque ex illa diuerſitate finis, ad quem iſta temporalia deſtinantur,

tur, non ſatis firmum indicium piæ, aut iniquæ conſuetudinis capi valebit, ſed potiùs ex eo quod neque ex obiecto, neque ex circumſtantiis eius, mala ſit conſuetudo, neque vllam Simoniæ, iniuſtitiæ, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem afferat.

6 Dico quinto vt conſuetudo exigendi temporale pro ſpiritualibus cenſeatur carere omni vitio, & talis eſſe, qualem ſuperiori aſſertione deſcripſimus, duo requiruntur. Primum eſt, vt reduci poſſit ad iuſtum ſtipendium ſuſtentationis, ita vt cùm primùm inducta eſt hæc conſuetudo, & illud temporale exigi cæptum, ita poſtularit Miniſtrorum indigentia, cui vt occurreret Eccleſia, permiſit quidpiam exigi à fidelibus, alioquin præſumetur ſaltem in foro externo, ab ipſo initio conſuetudinem iſtam fuiſſe Simoniacam, aut iniuſtam, cùm nullus alius fingi poſſit titulus exigendi ſubſidia temporalia pro miniſteriis ſpiritualibus, quàm iuſta ſtipendia Miniſtrorum, vti ſæpiùs monuimus: onus enim ad pium opus poteſt quidem imponi beneficio alicui, non autem perſonæ, niſi ad leuandam Eccleſiæ inopiam. Secundo requiritur, vt hæc exactio ab habente poteſtatem facta fuerit, nam priuata perſona non poteſt illud onus imponere, niſi ſtipendium ſui miniſterij neque lege, neque ipſa conſuetudine, neque ex communi æſtimatione definitum eſſet, tunc enim priuato pacto, quod diximus alibi, potuiſſet æſtimari, atque ita ſenſim induci conſuetudo, quæ tamen cæpiſſe præſumitur per primas exactiones, quæ ab Eccleſia, & ex eius authoritate à præſidibus factæ fuerint.

7 Dico ſexto non modò licitum eſſe ſacris Miniſtris aliquod temporale ex laudabili conſuetudine offerri, & poſtulari ſolitum exigere; ſed etiam teneri fideles ad præſtandum id, quod vi talis conſuetudinis exigitur; cauendum nihilominus erit, ne in modo exigendi peccetur.

Prima pars huius aſſertionis probata eſt, cùm enim in ea conſuetudine omnia honeſta ſint, omniſque Simonia, & malitia, eiúſque ſpecies abſit, cur eam ſequi non licebit, atque ita pro ſolemni more temporale illud exigere?

Secunda pars, teneri nimirum fideles ad præſtandum, quod vi illius conſuetudinis exigitur, tradunt omnes DD. *in capit. ad Apoſtolicam. de Simonia.* Vgolin. *de Simon. tab.* 1. *paragr.* 10. *numero* 1. 2. 7. & 11. Redoan. 3. *part. de Simon. capite* 16. *numero* 33. Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 210. *numero* 13. 14. & 24. Bellet. *diſquiſit. Clerical. part.* 1. *tit. de bonis Clericor.* §. 3. *numero* 21. Couarr. *lib.* 1. *varia. cap.* 17. *numer.* 3. Barboſa *in collectan. ad cap. ad Apoſtolicam*, vbi & alios dabit, & ſanè *in eo cap.* atque alibi ſæpiùs iubent Pontifices laudabiles iſtas conſuetudines ſeruari, atque ad id cogi volunt fideles ab Epiſcopis Quare ſenatus Pariſienſ. ann 1528. 4 Maij pronuntiauit contra aliquos, qui ad ipſum prouocauerant ab iudice Eccleſiaſtico tanquam abutente ſua poteſtate, eò quod ipſos compuliſſet ad ſoluendum oblationem conſuetam pro ſepultura, & iure ſuo vſum eſſe iudicem Eccleſiaſticum dixit. Ita refert Rebuff. *in Conco. tit. de publicis concubin.* §. *quia verò.* Ratio quoque euidens eſt, nam vel hæ conſuetudines ortum habuerunt ab exactionibus legitima poteſtate factis, vel ab ſpontaneis, & piis fidelium oblationibus; ſi primum, ſtatim apparet eadem

dem ratione qua licuit Eccleſiæ exigere primò iſta temporalia, atque ad ea exhibenda, & ſuppeditanda ſtipendia Miniſtris fideles cogere, licere quoque hodiè Miniſtris aſſignata ſibi ſtipendia repetere, atque conſuetudinem vſque adeò legitimam retinere, quæ non minùs obligat fideles, poſtquam diutiùs ſeruata fuit, quàm dum primum fuit inducta, immò & magis, cùm vires temporis interuallo acquiſiuerit. Si verò originem traxit ex liberalitate offerentium iſta temporalia in diuinum cultum, & Miniſtrorum ſuſtentationem, ac ſtipendia, iam poſteros obligat, qui ad eam ſeruandam à iudice Eccleſiaſtico cogi poterunt ex communi DD. in citatum cap. *ad Apoſtolicam.* Rebuff. *tract. in quibus caſibus iudices. num.6.* Bellet. *part. prim. cit. tit. de fauore Clericor. reali. §. vlt. num. 73.* aliique. quod idem de eleemoſyna erogari ſolita ſacerdoti, aut Eccleſiæ, docet Surdus, *de alimentis. tit.1.quæſt. 60. num. 6.* & *tit. 7. quæſt.9.num.18.* immò neque has laudabiles conſuetudines per contraria ſtatuta tolli poſſe affirmat Vgolin. *tab. 1. de Simon.§.10.n.3. & 7.* & Stephan.Grat. nuper allatus *cap. 210.n. 27.* Neque diſtinguendum eſſe inter Clericos diuites, & pauperes, quaſi iſti duntaxat poſſint hæc munera ex laudabili conſuetudine repetere, ſapienter monent iidem DD. ipſi quoque laici poſſunt eadem conſuetudine iura quædam præſcribere, vt ſepulturæ in certo loco, inſtruendi, ornandíque ſacellum, habendi oblationem, & pacem à ſacerdote, aliáque eiuſmodi. Ratio eadem eſt hoc loco, quæ de oblationibus, quarum ſoluendarum obligatio longa conſuetudine præſcribitur, vt Gutierr. *lib.2.Canonic.qq.cap.21.num. 140.* Suar. *tract.2. de Religion. lib.1. cap.5.* fuſiſſimè docent, quia qui diutiùs ſoluerunt iſtas oblationes, eo ipſo voluerumt ſibi iniicere obligationem eaſdem deinceps ſoluendi, vti latiùs diſputat *eo loco* Suar. & nos cùm de decimis, & oblationibus agemus, vbi & oſtendemus quomodo ex actu merè gratuito, poſſit aliqua eiuſmodi contrahi obligatio. Interim adi Suar. *loc. cit.* & Barboſ. *in Collectaneis ad cap. ad Apoſtolicam. de Simon. n. 13.* ſufficiat iure colligi hinc intentionem ſeſe obligandi ex diuturna conſuetudine præſtandi aliquid, quod liberè omninò, & gratuitò præſtitum initio fuit.

Tertia pars noſtræ aſſertionis erat, ne in modo exigendi peccaretur, in eo enim ſæpiùs ſolet eſſe aut Simonia, aut eius ſpecies, aut ſordida cupiditas, aut ſcandalum generari; quia aut exiguntur tanquam pretium miniſterij ſpiritualis, aut quia negantur ſpiritualia, niſi priùs data fuerint temporalia, quod prohibetur *in cap. in tantum.* & *cap. Audiuimus. de Simonia*, tanquam venditionis ſpeciem continens. & DD. *in ea cap. & in cap. ad Apoſtolicam.* atque Felin. *in cap. abolendæ. num. 7. de ſepulturis.* Idem quoque contingit, quando poſtulatur certa cautio, aut fideiuſſor pro capiendo illo temporali, antequam miniſtrentur ſpiritualia, dum quis nimia vi iſta exigit, dum cum ſcandalo priuat ſepultura v.g. aut Sacramentis pauperes, qui non habent vnde ſoluant eleemoſynam ſolitam; hoc enim ſcandalum creat, & plurima ſimilia committuntur, quæ ſordidum quæſtum in miniſterio ſacro demonſtrant.

CONSECTARIVM XIV.

Quid ſentiendum ſit de quibuſdam conſuetudinibus ſingularibus, probandæ, an improbandæ ſint.

Ex hac vniuerſali doctrina, & Regulis proximo Conſectario traditis, non difficulter intelligemus iura, quæ quaſdam conſuetudines probant, alias vero reiiciunt.

Primo conſuetudo offerendi aliquid pro exequiis, & ſepultura, bene dicendis nuptiis, aliiſque ſimilibus, laudabilis dicitur, & ſeruanda; quanquam exactiones pro iis fieri prohibeantur *cap. ad Apoſtolicam. de Simon.* nihilominus in Conc. Lateran. ſub Alexand. III. *cap. 7. & 8.* & refertur *cap. cum in Eccleſię, de Simonia,* damnantur, qui pro his omnibus aliquid requirunt, *& legem mortis longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tantò grauiora ſunt crimina, quanto diutiùs infelicem animam tenuerunt.* & *cap. ſuam. eod. tit.* Capellanus de Villa-franca, qui à ſuis Parrochianis pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium pecuniam exigebat, niſi à tanta præſumptione deſiſtat, Canonica pæna mulctari iubetur. & *cap. abolendæ. de ſepulturis.* abolendam conſuetudinem dicit Innoc. III. quæ aliquid exigi pro ſepultura permittebat.

Reſpond. iam nobis ex *quæſt. 6. conſectar. 6.* conſtare quomodo pro ſepulturis aliquid dari poſſit. Dico igitur laudabilem eſſe eam conſuetudinem, & probari *in cap. ad Apoſtolicam cit.* in aliis autem locis allatis in contrarium prohiberi exactiones primo quæ fiunt tanquam pretij debiti pro miniſterio ſpirituali, & ſpeciem venditionis habent; & ille eſt caſus *cap. cum in Eccleſia*, vbi illud ſcelus *horribile nimis* dicitur, & contraria conſuetudo *lex mortis*, & qui id crimen admittunt, *portionem habituri cum Giezi.* quæ verba propriam Simoniam in iis committi ſignificāt, ad quod opus eſt, vt temporale ſit in pretium ſpiritualis. ſecundo Simoniæ ſpecies eſt, quoties non exhibentur hæc officia ſpiritualia niſi priùs hæ oblationes afferantur, aut de illis præſtetur cautio. Quarè Innocent. *in cap. Abolendæ.* meritò queritur *abolendæ conſuetudinis peruerſitatem apud Montem-peſſulanum inoleuiſſe, vt decedentibus non prius permittatur effodi ſepultura, quàm pro terra, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium Eccleſiæ perſoluatur.* Exactio igitur illa, per quam negantur à Parrocho, aut alio quopiam Sacramenta, niſi priùs detur oblatio ſolita, Simoniam ſapit, vti iam monui cum Couarru. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 3.* Fagund. *in 5. Eccleſiæ precept. lib. 4. cap. 1. n. 8.* & idcircò vbique prohibetur. tertio Parrochus non poteſt, vti obſeruat Suar. *tract. 2. de Religion. lib. 1. cap. 5. num. 22.* priuata authoritate extorquere oblationem conſuetam, neque illum, qui dare recuſat, cogere, ſed rem ad Epiſcopum, & iudicem Eccleſiaſticum deferre debet, vti cauetur *capit. ad Apoſtolicam.* & idcircò Capellanus ille Villa-francanus damnatur *cap. ſuam. de Simonia*, eo quod à ſuis Parrochianis *minus licitè pecuniam exigeret, & extorqueret.* Quę duæ particulæ, *minus licitè, & extorqueret*, diligenter obſeruandæ ſunt, vt videas non reiici conſuetudinem petendi oblationes, ſed modum extorquendi.

Secundo conſuetudo accipiendi aliquid pro chriſmate, cap. *ea quæ. de Simonia,*

Simonia, atque aliis pluribus locis reiicitur.

2 Reſpond. nos hæc iura fuſiùs expendiſſe *quæſt. 6. concl.* 1. vbi oſtendimus idcircò reiectam fuiſſe talem conſuetudinem, quia vel Simoniam vel eius ſpeciem, atque turpem auaritiam continebat, vt ex modo Chriſmales illos nummos, præſtationem Paſchalem, Epiſcopalem, conſuetudinem Cathedraliciam (illis enim omnibus nominibus ſuam turpitudinem velabant) exigendi, ſatis conſtabit expendenti iura *eo loco* à nobis adducta.

3 Tertio de conſuetudine exigendi duos ſolidos ad Epiſcopi Cathedraticum diſputari poſſet; verùm cùm non ſola conſuetudine, ſed lege illud ius ſibi iam diu quæſiuerit, vt conſtat ex 10. *quæſt.* 3. *tota*, commodiùs de illo diſputabitur alibi; interim adi DD. *in eam quæſt.* 3. *cit.* & ſummiſtas in *ver. ius Cathedratici*, atque praxes omnes Epiſcopales, aut de officio Epiſcoporum ſcribentes.

4 Quarto circa conſuetudinem accipiendi procurationem dum Epiſcopi viſitant, aliqua quidem ſtatuit Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3 *de reformat.* & pœnas latas à Gregor. X. in Concil. Lugdun. vti refertur *c. exigit. de cenſibus in* 6. innouauit, aliquid tamen circa eandem conſtitutionem immutauit, quæ omnia expendentur opportuniori loco, neque enim ita propriè ſpectant ad Simoniam, ſi quæ in iſtis peccantur, ſed potiùs ad auaritiam, & grauamen fidelium.

5 Quinto Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 14. ſuſtulit omnem prauam conſuetudinem etiam particularium Eccleſiarum conſtitutione firmatam, in electione, nominatione, præſentatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia prouiſione ſiue ad miſſione, ad poſſeſſionem alicuius Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficij Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas, apponēdi certas conditiones, aut deductiones fructuum, ſolutiones, promiſſiones, compenſationéſque illicitas, turnerum lucra, aliáque eiuſmodi, quę in pios vſus non conuertuntur; & tales ingreſſus Simoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habere ſignificat.

Ex quibus 1. colligitur, pro collationibus, inſtitutionibus, & poſſeſſionibus nihil poſſe exigi, neque ipſas ſportulas, vt ex communi DD. quos dabit Garcias 8. *par. de benefic. cap.* 1. *n.* 75. conſtat, & ex declarationibus Congregat. Concilij, quas refert *ibid.* Garc. maximè vna Gerundenſi euidenter deducitur. Quarè neque Epiſcopus, neque Vicarius eius aliquid pro collationibus beneficiorum accipere poterit etiam parum, contra Zech. *de republ. Eccleſ. cap.* 23. *de Vicario Epiſcopi, num.* 4.

Secundo conſuetudo exigendi aliquid à nouo Canonico pro ingreſſu, aut poſſeſſione, quod cedat in vtilitatem aliorum Canonicorum, aut beneficiariorum, aliarúmve perſonarum ipſius Eccleſiæ, tanquam Simoniaca reiicitur à Trident. *l. cit.* quod Pius V. in ſua conſtitutione, quæ incipit, *durum nimis*, data pridie Kalend. Iulij an. 1570. confirmauit: & ſanè antiquo iuri conſenſit hac in parte Trident. nam *cap. Iacobus. de Simonia.* conſuetudo exigendi prandium à nouo Canonico reiicitur.

Tertio non licet aliquid exigere in commodum menſæ capitularis v. gr. ad reparationem ipſius, quia illud cadit in commodum ipſorum Canonicorum. Itaque declarauit Cōgregatio illud *c.* 14. Concil. interpretata, vti refert

fert Garc. *cap.* 1. *cit. num.* 90. Quarè conſtitutio vt nouus Canonicus certam ſummam det, cuius pars menſæ capitulari, pars fabricæ, pars Capellaniæ, & pueris chori miniſtris cedat Simoniaca cenſetur.

Quarto quæ omninò in pios vſus, puta fabricam Eccleſiæ, eius ornatum, pauperum eleemoſynas, & nullo modo in Canonicorum, aliarúmve Eccleſiæ illius perſonarum vtilitatem cedunt, ex diuturna conſuetudine capi, & poſtulari poſſunt; quia id apertè habet Trident. & illa conſuetudo, cùm nullam Simoniæ, aut auaritiæ ſuſpicionem generet, laudabilis eſt. Itáque docent paſſim omnes, & declarauit Congregatio in vna Segobienſi 2. Iulij. 1590. dabit Barboſ. *cap.* 15. *de Canonic. num.* 30.

Quinto conſuetudo, ne groſſam fructuum nouus Canonicus percipiat, niſi per aliquot annos inſeruierit, non pugnat cum hoc decreto Tridentini, & laudabilis eſt Barboſa *in collectan. ad illud cap.* 14. *num.* 3. & varias declarationes, atque deciſiones Rotę, maximè quando hi fructus poſt obitum debentur eorum hæredibus, adducit Garcias 2. *parte de benefic. à numer.* 138.

Sexto conſuetudo Eccleſiæ Lugdunenſis, quod Canonici nullos fructus percipiant, donec fuerint initiati ſacris, laudabilis eſt, neque cum Tridentino pugnat. Ita pro Eccleſia Aſtenſi reſpondit Congregatio 6. Maij. 1617. quod refert Barboſa, *cap.* 15. *de Canonic. n.* 34. quia Conc. prohibuit ne duntaxat pro collatione beneficij, aut poſſeſſione ſolueretur, quod non fit in hoc caſu.

Septimo dulciaria, & conuiuia ſunt prohibita à Trident. ex antiquo iure nuper allato. Vide Zerol. *in praxi. part. ſecund. ver. poſſeſſio beneficij. paragr.* 15. & de his conuiuiis Innoc. II. in Synodo Romana *cap.* 2. & refertur *cap. vltim.* 1. *quæſt.* 3.

Octauo poterit quidem Epiſcopus iuſta ex cauſa onus beneficio imponere quandiu vacat, & partem aliquam fructuum aliis applicare, atque ita deinde beneficium cum eo onere conferre, vti diximus aliàs. Trident. enim tantùm agit de onere, quod nouo beneficiario imponitur ad obtinendum ingreſſum, ſeu poſſeſſionem ſui beneficij.

Nono refert Rebuff. *in praxi. tit. quot modis beneficia acquirantur. n.* 13. & *in concord. tit. de public. Concubinar.* §. *quia verò*, Senatus Pariſienſis decreto cautum fuiſſe, ne vltra aureum exigerent Epiſcopi pro collationibus. Id verò ita intelligendum eſt, vt non tribuant actionem pro exigua illa ſumma. 2. vt id capiatur pro notario, aut aliis expenſis, non verò pro ipſamet collatione; neque enim probauit Simoniam ſuo decreto Senatus, quandoquidem vt *ibid.* teſtatur Rebuff. vetuit anno 1521. 4. Iunij ne quid *pro iucundo aduentu*, hoc eſt pro inita poſſeſſione exigatur.

CONSECTARIVM XV.

De quibuſdam aliis conſuetudinibus dandi aliquid pro Ordinibus ſacris, & admiſſione in Clerum.

Pergimus examinare quaſdam antiquas conſuetudines circa ordinationes, & receptiones in Clerum, quæ aliquando probatæ, aliàs improbatæ fuerunt, quod ex regulis *Conſectar.* 13. traditis facilè definies.

Primo igitur qui in Eccleſiæ alicuius

lius Clerum admittebantur, ſoliti erant illi bona ſua offerre, quod de Ambroſio tradit Paulin. in eius vita, atque etiam de Marcione, qui ducenta ſeſtertia donauit Tertullian. *de præſcripti. cap.* 30. & eiuſmodi oblationes probauit Iuſtinian. *nouell.*56.*ad Memnam.* & *nouell.*123. *cap.* 16. *& cap.* 2. quamuis Clericis ſingularibus dare prohibuerit. Damnauit tamen deinde Alexand. II. *cap. ex multis.* 1. *quæſt.* 3. ad vitandam eam Simoniæ ſpeciem, quæ quibuſdam apparebat. Septima quoque Synodus *cap.* 5. idcircò id prohibet, quia plerumque fiebat, vt hi, qui aliquid Eccleſiæ contulerant, cæteros tumore quodam elati contemnerent. Itaque non tam reprehendit Synod. donationes factas ab ordinandis, quàm iſtorum ordinatorum deinde temeritatem, & ſuperbiam, vti obſeruat Zonar. & Balſamon.

2 Secundo electi Epiſcopi pauperiori plebi congiarium facere ſoliti erant; ſanè in eam rem tria millia ſolidorum Romano Pontifici, cæteris Patriarchis duo millia pauperibus diſtribuenda indixit Athalaricus Arrian. apud Caſſiodo *lib.* 9. *Epiſt.* 15. vbi tamen ſeueriſſimè Simoniam damnat; immò vt eam remoueat, ita edicit, nam plurimi ambiebant Epiſcopatum eiuſmodi promiſſionibus, ſic enim ſuffragia corrogabant. Quarè vetuit Athalaricus ne maior ſumma eâ, quam definiuerat, daretur, aut promitteretur. Vides tamen ſub ea eleemoſyna latuiſſe ambitum, & mercimonium quoddam ſacræ dignitatis, & idcircò grauiter in ipſam inuehitur Gregori. *Epiſtol.* 112. *ad Syagrium Auguſtodur. libr.* 7. *indiction.* 2.

3 Tertio ſolemnis fuit quoque mos exhibendi tum populo, tum Eccleſiæ conniuia à recens electis, aut conſecratis Epiſcopis, atque etiam à Clericis ſuis fratribus, ſiue eiuſdem Eccleſiæ Clericis. Immò ſic aliquando ſuffragia ſibi ambiebant, vt ex Sidon. *libr.* 4. *Epiſt.* 25. *ad Domnulum.* Conc. Carthagin. III. *cap.* 42. & African. *capit.* 20. Turon. *lib.* 5. *Hiſto. Franc. cap.* 47. & *lib. de vitis Patrum. cap.* 6. Thom. Vvalſinghan. ad ann. 1304. colligitur. Quia tamen tum inde quærebatur ambitiosè dignitas ſacra, tum ea onera imponebantur tanquam debita, ita vt alioquin non admitterentur in Clerum, ſublata eſt ea conſuetudo, vti diximus *Confect. ſuperiori in* 7. *caſu.*

Quarto conſuetudo dandi pecuniam Imperatoribus, eorúmque Miniſtris vt Pontifices, & Epiſcopi conſecrari poſſent, impia erat omninò; excuſabantur tamen Pontifices, qui iniuſtam vexationem redimere cogebantur; aduerſus quam declamat Gregori. *in pſalm.* 4. *Pœnitential.* quod verò impiè Chriſtiani Imperatores vſurparunt, id deinde Turcæ ſunt æmulati, qui etiam infandum hoc tributum à Patriarchis hodiè exigunt. 4

Quinto fuit conſuetudo offerendi ordinantibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutergia; quæ omnia exigi prohibentur à Synodo Pictaui. ſub Paſchal. II. *an.* 13. & Londin. ſub Honorio II. *cap.* 2. 5

Sexto pro inſinuatiuis, quæ *ἐμφανιστικὰ* dixerunt Græci, hoc eſt, nomine inſinuationis, & admiſſionis in eandem Eccleſiam aliquid dari ſolebat iis, qui nouum Clericum, aut Canonicum, aut Epiſcopum, aliúmve comitabantur, & in poſſeſſionem mittebant, quod præterquam in maiori Eccleſia Conſtantino- 6

politana fieri prohibuit Iuſtin. *Nou.* 56. *in præfat.* & *cap.* 1. & *nou.* 121. *c.* 16. Richard. Alban. legatus Apoſtolicæ ſedis apud Iuon. *Ep.* 133. in cuius Eccleſia vigebat ea conſuetudo, de illa queritur, quam etiam damnat Innoc. III. *cap. ſicut. de Simonia.* & *cap. in tantum. eod. titul.* Alexand. III. *cap. cum in Eccleſia. ibid.*

QVÆSTIO XIX.

De Simonia in Beneficiis Eccleſiaſticis.

HAnc controuerſiam magnam partem hactenus diſceptauimus, tum *q.* 2. ad quam proprie ſpectabat, tum *quæſt.* 8 & *q.* 11. & 12. in qua de beneficiorum commutationibus, collationibus, & renuntiationibus Simoniacis quàm plurima tradidimus, tum denique *q.* 14. & *q.* 17. *proxima*, vbi de gratuita donatione, redemptione vexationis & aliis contractibus circa beneficia, an Simoniaci forent, diſputauimus; quia tamen quædam alia ſuperſunt explicanda, factũrum me pretium operę exiſtimaui, ſi ea diligentiùs hoc loco pertractarem, & principia certa, ex quibus tota iſta controuerſia de Simonia beneficiali dirimeretur, noſtro more traderem.

PROPOSITIO VNICA.

Beneficium Eccleſiaſticum formaliter ſumptum inuendibile eſt ex natura rei, ac materia Simoniæ, ſicut & omne ius percipiendi redditus Eccleſiaſticos ex ſacro, & ſpirituali miniſterio proueniens.

EXPOSITIO, ET CONFIRMATIO propoſitionis.

Repetendum eſt ex alibi dictis, Beneficium Eccleſiaſticum eſſe ius percipiendi certam partem prouentuum Eccleſiaſticorum, competens Clerico ratione miniſterij alicuius ſpiritualis, ideóque in beneficio diſtinguimus primo titulum, ſiue miniſterium ſpirituale, cui Clericus aliquis deſtinatus eſt, ſecundo ius quod ratione illius tituli, & miniſterij habet ad prouentus temporales, tertio prouentus ipſos Primum illud ſpirituale omninò eſt, atque adeò inuendibile, & materia Simoniæ propriè dictæ, quod per ſe euidens eſt, & omnes æquè conſentiunt. tertium temporale eſſe conſtat. ſecundum verò nimirum ius percipiendi hos prouentus Eccleſiaſticos temporales, ſi in ſe præcisè conſideretur, & quatenus abſtrahit à miniſterio ſpirituali tanquam à ſua cauſa, ſed ſolùm quatenus facultas quædam moralis redditus temporales ex bonis Eccleſiæ capiendi, eſt quidpiam temporale; relatio enim non poteſt denominati niſi à ſuo termino, quando ab eius fundamento præſcindimus: ſi verò hoc ius ſpectemus quatenus progerminat à miniſterio ſpirituali, & ratione ipſius duntaxat conuenit Clerico, prorsùs ſpirituale eſt, aut ſaltem ſpirituali conſequenter annexum, & quamuis ſit quidam veluti effectus miniſterij ſpiritualis, videatúrque cauſam æquiuocam, qualis hoc loco fingi debet, producere poſſe effectus inferioris ordinis, quàm ipſa ſit, ideóque miniſteriũ ſpirituale poſſe conferre ius merè temporale, nihilominus cum ius ſit quoddam ens cónotatiuum, & eſſentialiter dicat ordinem

tum

tum ad terminum ad quem eſt, tum ad cauſam à qua eſt, ſicut relatio ad ſuum fundamentum, & connotatio ad ſubiectum connotans, quoties ex aliqua ratione ſpirituali, & ſacra prodit, ſpirituale & ſacrum eſt ſaltem conſequenter, vti quæſt. 9. fuit expoſitum. Poteſt porrò hoc idem ius ad emolumenta temporalia, & prouentus Eccleſiaſticos non modò conſiderari per præciſionem à miniſterio ſpirituali ratione cuius conuenit beneficiato, ſed etiam prout aliam quãdam cauſam habet quàm titulum ſpiritualem, ſiue ſacrum miniſterium; etſi enim debeatur ſacris miniſtris ſua ſuſtentatio, & eam ob rem data ſunt à fidelibus bona Eccleſiæ, tamen neque miniſtri habent ius ad hos potiùs prouentus, quàm ad alios, neque ad hanc quantitatem: Et prætereà non ſacris tantùm miniſteriis, ſed aliis quoque in Eccleſia neceſſariis inſeruire debent, atque in varios vſus expendi ab Eccleſia poſſunt, & ab eius œconomis, & diſpenſatoribus diuerſis perſonis varias ob cauſas etiam temporales diſtribui, modò tum fidelitas, tum æquitas in ea diſtributione in fideli domus Dei diſpenſatore non deſideretur.

2 Ex his perſpicua fit propoſitionis noſtræ ſententia. Aio enim beneficium formaliter ſumptum, & vt eſt ius ad bona Eccleſiaſtica procedens ex ſacro miniſterio eſſe materiam Simoniæ propriè dictæ, ſiue ex iure naturali, & diuino, & non ſolùm Eccleſiaſtico, quod non modo in beneficiis verum eſſe contendo, ſed in omnibus aliis; quotieſcunque enim ius aliquod ad temporalia, habebit pro immediata, proxima, & adæquata ſui cauſa, aliquid verè ſacrum, & ſpirituale, toties vt ſic erit materia Simoniæ, cum eadem in eo caſu, atque in beneficio ratio valeat; appello autem tunc beneficium formaliter ſumptum, quia in definitione beneficij, & præbendæ ius iſtud continetur, vti conſtat ex *cap. dilecto. de præbendis*, vbi præbenda ſæpiùs ius ſpirituale nominatur. Qua de re vide Seluam *de benefi. par. 1. quæſt. 1. num. 5* Mandoſ. *in Regulam 21. Cancella. quæſt. 4. num. 2.* Gonzal. *ad Regulam 8. Canc. Gloſſ. 1. num. 61.* & ſanè non eſt ius duntaxat ad miniſterium ſacrum exercendum, quamuis enim, vt ſtatim dicam, hoc ius merè ſpirituale ſit, & ſeparabile ab altero percipiendi temporalia, quod præciſè ſumptum, vti monebam, temporale eſt; tamen ſi fiat ea iurium iſtorum ſeparatio, diſſoluitur ratio beneficij, quæ vtrumque iſtud ius complectitur, aut potiùs quod eſt ius ad redditus temporales debitos ratione ſui miniſterij; atque ita eſt aliquid ſpirituale tendens ad temporale. Sic igitur ſumptum beneficium formaliter, dico eſſe materiam Simoniæ. In hac porrò propoſitione affirmatiua includitur contraria negatiua, nempe ius ad emolumenta temporalia ſi ſeparetur à miniſterio ſpirituali, à quo oritur, & propter aliquam aliam cauſam conferatur, vti conferri poteſt, non eſſe materiam Simoniæ propriè dictæ, hoc eſt, ex iure naturali, & diuino, ſed ex Iure Eccleſiaſtico duntaxat, cùm facta ea ſeparatione non ſit iam ampliùs ſpirituale ius iſtud, neque per ſe, neque per connexionem, neque eſſentialiter, neque accidentario. Atque hac diſtinctione compono diſſidentes Theologorum, & Canoniſtarum ſententias; Theologi enim, qui cum Caietano *tom. 2. opuſc. tract. 9. de Simonia. quæſt. 1.* & *in ſumma. ver. Simonia.* Victor. *relect. de Simon. num. 44.* Soto. *lib. 9. de iuſti-*

tia. queſt. 5. *art.* 2. & *queſt.* 7. *art.* 1. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 2. *queſt.* 7. & aliis communiter contendunt eſſe Simoniam diuini iuris, accipiunt beneficium formaliter pro iure percipiendi prouentus Eccleſiaſticos propter officium ſpirituale, in quo fundatur, & cui eſt inſeparabiliter annexum in ratione beneficij, cùm officium ſpirituale, ſiue obligatio ad illud exercendum non ſit ius aliquod propriè loquendo, ſed potiùs obligatio, & onus, atque fundamentum & cauſa beneficij, ac iuris pronentuum. Canoniſtæ verò cum Gloſſa *in cap. ex parte. ver. dimittere. de off. delegati.* & *in cap. cum pridem. ver. illicitè. de pactis.* Nauarr. *cap.* 23 *num.* 108. *in dicto* 7. *in nouiſſima editione*, retractans quæ quondam docuerat. & alij apud Tuſch. *litt. S. con.* 250. & 252. *num.* 8. & Garc. 1. *part. de benefic. cap.* 2. *num.* 9. qui & illis *num.* 12. adhæret, ſolius iuris poſitiui Simoniam agnoſcunt; ſed nomine beneficij intelligunt ius ad emolumenta Eccleſiaſtica, quod cùm ſit aliquid in ſe temporale, æque vendi poteſt, atque calix conſecratus. Quæ vtraque ſententia vera eſt, vt dixi, prout conſideramus in beneficio ius prouentuum temporalium, de quo ſolo controuerſia mouetur, connexum cum re ſpirituali, aut ab ea ſeparatum, ita vt ex ea ſeparatione, aut connexione ſequatur neceſſariò, vendito iure iſto ad temporalia, vendi ſimul miniſterium ſacrum, cui connexum eſt, aut propter ſeparationem iam factam non vendi. Idcircò in mea propoſitione dixi beneficium formaliter ſumptum, & ius ex ſpirituali miniſterio proueniens, eſſe inuendibile. Atque mediam hanc noſtram ſententiam docent Theologi recentiores. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 24 Ferdinand. à Caſtro. *diſp.* 3. *de Simon. tract.* 17. *punct.* 13. *nu.* 5. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltimo.* §. 5. *nu* 44. neque aliud voluit Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 4. & Valent. *loc. cit.*

Probatur verò vtraque pars noſtræ propoſitionis; Et prima quidem, nimirum ius illud ad emolumenta temporalia connexum cum officio ſpirituali, à quo procedit, atque adeò beneficium formaliter eſſe inuendibile ex natura rei, quia quoties aliquid etiam temporale eſt ita connexum cum ſpirituali, vt eo vendito, neceſſariò vendatur ſpirituale cui connexum eſt, ipſum temporale vendi nequit etiam iure diuino, licet tota illa connexio fuerit ex ſola inſtitutione humana, inde enim habetur, hanc connexionem poſſe humana authoritate, per quam poſita fuerat, deſtrui, quamdiu tamen ea perdurabit, illicita, & Simoniaca erit ex natura rei talis venditio, quod ex Regula Paſchalis, *c. ſi quis obiecerit.* 1. *queſt.* 1. fusè probauimus *queſt.* 2. *in vltima parte propoſitionis vniuerſalis*, vbi & oſtendimus diſcrimen inter ea, quæ alicui ſpirituali connectuntur conſequenter, & quæ antecedenter tantùm: priora enim illa ita ſe habent, vt ipſis venditis vendantur quoque illa, quibus eo modo annectuntur; quod non contingit in iis, quæ ſunt tantùm antecedenter annexa ſpiritualibus: atqui in venditione beneficij, & iuris ad prouentus temporales venditur quoque neceſſariò miniſterium ſacrum ratione cuius illud ius clerico competit, & non ſoli prouentus temporales, ſed illud ius quod eſt in clerico ad tales prouentus: illud autem ius eſt connexum cum miniſterio ſacro, in quo fundatur, & ſicut nequit vẽdi relatio, quin venda-

tur

tur fundamentum, in quo eſt ſimilitudo imaginis ad exemplar, ſiue figura facta, cuicúmque tandem rei impreſſa fuerit, ita neque hoc ius ſine ſuo fundamento. Quodſi dicas, eſſe duo iura, & vnum ab altero ſeparari, atque adeò ſine altero vendi, & beneficium quidem non ſecundum ſe totum vendi, ſed ſecundum aliquam ſui partem, nimirum ſecundum ius ad emolumenta temporalia, ſicut venditur calix conſecratus ſecundùm materiam, & formam, non ſecundum conſecrationem, ideóque non totus, & in ſenſu compoſito venditur; iam aliam definitionem, & eſſentiam beneficij compingis, in quo tamen non eſt aliud ius ad temporales redditus, quàm illud quod ex ſacro miniſterio prouenit, quodque vt ſic participat ſpiritualitatem, & trahit ſecum venditionem talis miniſterij, quandoquidem per tuam venditionem, non acquirit ius emptor ad hos prouentus niſi ratione illius ſacri miniſterij, quod idcircò venditum fuit neceſſariò vnà cum iure, quod illi ſoli conuenit; quarè longè diuerſa eſt ratio iuris patronatus alligati alicui fundo, & calicis conſecrati; hæc enim ſunt annexa ſpiritualibus antecedenter, id eſt præcedunt ipſa ſpiritualia, quæ illis iam in ſuo eſſe conſtitutis accidunt; quarè ſicut antecedenter ad ſpiritualia habent ſuum eſſe, ita etiam ſuam æſtimabilitatem ſortiuntur independenter à ſpiritualibus vt pote poſterioribus, quorum nulla prorsùs habetur ratio in iſta venditione, & æſtimatione. At verò quæ conſequuntur ad aliquid ſpirituale, cùm habeant totum ſuum eſſe dependenter ab illo, & in produci, & in conſeruari, ab ipſo quoque pretium, & æſtimabilitatem ſortiuntur; quarè ſi venditur hoc annexum conſequenter, ſpirituale quoque, cui annexum eſt, venditur, quandoquidem prius illud vendi nequit, ſicut neque transferri ſine iſto, neque fingi poterunt duo contractus, quorum vnus ſit gratuitus circa ſpirituale, alter oneroſus circa temporale conſequenter annexum: quia ſicut per gratuitum illum contractum non acquiritur ſolum illud ſpirituale quod datur, ſed etiam temporale illi connexum conſequenter, & quod ex ipſo neceſſariò profluit ſiue ex natura rei, ſiue ex inſtitutione; ſicut dato fundamento datur relatio, & data imagine datur ſimilitudo, ita vendito conſequenter connexo, venditur id, cui connectitur, & ſine quo exiſtere nequit, quod verius multò eſt in iſtis moralibus; inde factum reor, vt Patres eiuſdem criminis damnent vendere *altare*, & *decimas*, & *vendere Spiritum Sanctum.* Ita Gregori. VII. *lib. 6. Regeſti. in indice Concilij eo anno habiti.* Concil. Rhem. ſub Leone III. & Carolo Magno, *cap. 21.* acquirere *gradum* & *Eccleſiam.* In Concil. Moguntin. ſub Arnulpho, *cap. 5.* & ſub Rabano *cap. 12. acquirere Eccleſiam*, & beneficium, idem ſunt, ſicut & in Turon. ſub Carolo. *cap. 15.* & *cap. presbyter. 1. quæſt. 1.* quod Gratian. ex Gregorio adducit, at verò *cap. altare. ead. quæſt. 3.* ex Paſchali II. refert: niſi dicas, Paſchalem hæc ſicut & alia quamplurima ex Gregorio fuiſſe mutuatum. Polycarp. verò *lib. 3. tit. 9.* citat idipſum ex Concil. Toletano. Nempe exiſtimarunt hi PP. res Eccleſiæ, aut decimas, ſiue ipſam Eccleſiam, & gradum aut dignitatem miniſtrandi in Eccleſia, & altari, atque regendi Eccleſiam ita coniungi, vt vnum ſine altero vendi non poſſet, atque vnà ſimul vendi Spiritum Sanctum,

ſiæ, & prouentuum ipſius, ſeparatum à miniſterio ſpirituali, à quo in beneficio tanquam à radice quadam progerminat, vendi poſſe ex natura rei, & non eſſe materiam Simoniæ propriæ, ſed analogicæ ex iure ſolùm Eccleſiaſtico, perſpicua manet, eámque communis ſententia Canoniſtarum adſtruit. Cùm enim ius illud præciſè, & in ſe ſpectatum ſit temporale, & totam ſuam ſpiritualitatem in beneficio participet ex connexione cum ſacro miniſterio, ſiue titulo ſpirituali, ſublata ea omni connexione, temporale remanebit, atque adeò ex ſua natura vendibile; tota difficultas eſt, an iſta ſeparatio realis eſſe debeat, an per ſolam intentionem, & præciſionem, fieri poſſit, & à quo. Sed hæc omnia faciliùs exponentur *in conſectariis.*

QVÆSTIO XX.

CONSECTARIA

Ex propoſitione ſuperiori.

Conſectar. I. Pontifex poteſt præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic ſeparatam vendere.

Conſect. II. Pontifex nequit vendere beneficium.

Conſect. III. An Epiſcopus poſſit præbendam beneficij vendere, aut aliquo titulo pro ipſa pecuniam exigere.

Conſect. IV. An priuatus collator, aut reſignans poſſit vendere beneficium quod confert, aut reſignat ratione emolumenti temporalis, quo ſe priuat, & in alium transfert, ac proinde pro eo damno temporali quod patitur, quidpiam exigere.

Conſectar. V. Vtrum præſtimonia ſint materia Simoniæ.

Conſect. VI. An Capellaniæ ſint materia Simoniæ.

Conſect. VII. An commendæ ſint materia Simoniæ.

Conſect. VIII. An coadiutoriæ ſint materia Simoniæ.

Conſect. IX. An hoſpitalia ſint materia Simoniæ.

Conſect. X. An ius patronatûs ſit materia Simoniæ.

Conſect. XI. An penſiones beneficiorum ſint materia Simoniæ, & an vendi, aut redimi poſſint.

Conſect. XII. Soluuntur aliqui caſus ſingulares.

Conſect. XIII. An officia temporalia Eccleſiaſtica vendi, & alienari poſſint abſque Simonia.

Conſect. XIV. Quo iure vendatur Clericatus, & Auditoriatus Cameræ in Curia Romana.

Conſect. XV. An pactio oneroſa, ſiue tranſactio ad componendam litem beneficialem, ſit Simoniaca.

CONSECTARIVM I.

Pontifex poteſt præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic ſeparatam vendere.

1 Primum iſtorum nemo negabit, ſi attendat talem præbendam connexam eſſe cum tali officio ſpirituali, Eccleſiæ ſolius arbitrio, debet enim duntaxat ſacro miniſtrò ſuam ſuſtentationem, quam ſi aliunde habeat, poterit omnes prouentus illi ratione miniſterij ſacri aſſignatos retinere, & cui voluerit applicare, atque ita titulum ſine præbenda conferre; quia vt ait Abbas *in cap. cum ſuper. num. 2. de conceſſ. prebendæ.* præbenda non facit Canonicum, ſed collatio iuris ſpiritualis,

tualis, alioquin Clericus, immò & Laicus, cui redditus Eccleſiaſtici per modum penſionis perpetuæ aſſignarentur, eſſet Canonicus, & beneficiatus. Deinde fatetur idem Abb. *in cap. Relatum. num. 2. de prebendis* ex ſolo iure Canoniæ, aliquem accipere poſſe ius ſuffragij in capitulo, quamuis Canonicam omnibus redditibus vacuam acceperit, ſed nondum dicetur habere beneficium, quod idem quoque Abbas aduertit *in cap. noſtra. n.1. de reſcriptis.*

2 Hæc porrò ſeparatio præbendæ, ſiue iuris ad redditus temporales à Canonica, ſiue titulo, ſine ſacro miniſterio, iuſtas ob cauſas fieri poteſt duobus modis. primo actualiter, & realiter. ſecundo virtualiter. Primum contingit, quando vel Pontifex extinguit illum titulum, & beneficium, vel redditus beneficij, aut partem duntaxat ipſorum ſeparat, & alicui ſub alio titulo ſiue ſpirituali, ſiue non ſpirituali confert, vt in decimis, quæ Principibus conceduntur, & in annualibus præſtationibus, ſiue annatis, quas in, prouiſione quorundam beneficiorum ſibi Pontifex in ſedis Apoſtolicæ ſubſidium ſumit, in quibus malè Simoniam eſſe dixit Duaren. *libr. 6. de ſacris Eccleſiaſt. myſter.* quæ omnia commodiùs alio loco explicabuntur. Hoc etiam modo imponitur beneficiato penſio, in illa enim eſt, & reperitur actualis ſeparatio partis fructuum beneficij ab ipſo beneficio, non in perpetuum, ſed ad tempus aliquod, puta vitam penſionarij. Imponitur autem beneficiario onus ſoluendi eiuſmodi penſionem, quia cùm bona, ex quibus ſoluenda eſt, non fuerint in perpetuum diſtracta à beneficio, viſum fuit commodius, ſi eorum adminiſtratio relinqueretur ipſi beneficiario cum eo onere ſoluendi penſionem ex illis, vt exacto tempore ſeparationis faciliùs denuò vniri beneficio poſſent. Idcircò beneficiarius reuera non eſt niſi adminiſtrator illius partis bonorum ſui beneficij, niſi quatenus ea diſtractio, quæ ad certum aliquod tempus facta eſt, non cenſetur perfecta, & integra.

Altera ſeparatio eſt implicita, & virtualis, non formalis, quæ vel ſola intentione fit, vel eodem ſaltem actu cum beneficij & tituli collatione; quia nimirum pars aliqua fructuum ſeparatur à beneficio, quod confertur, & ſimul cum ipſa collatione beneficij datur beneficiato illa eadem pars ſeparata; atque hæc omnia fiunt vno, eodémque actu, qui virtualiter multiplex eſt, nempe confertur beneficium, ſeparatur ab illo pars aliqua fructuum, & illa confertur beneficiato ipſi, non titulo tamen beneficij, & tanquam aliquid ipſius beneficij, ſed ſicut alteri donaretur; immò & aliquando redimit ipſe beneficiarius eam penſionem, aut eam partem bonorum ſeparatam à beneficio ſibi collato: quia igitur hæc ſeparatio præbendæ partialis, fit ſimul cum collatione tituli, & beneficij, & non per actus realiter diſtinctos; idcircò dicitur ſeparatio virtualis, & implicita, cùm tamen ſit vera, & realis ſeparatio, quod enim ſimul, aut diſtinctis temporibus à collatione beneficij, aut per diſtinctos actus fiat, nihil omninò refert, cùm ſemper eiuſdem rationis exiſtat, eundémque habeat effectum. Quod autem à

Pontifi

Pontifice ſupremo bonorum omnium diſpenſatore eiuſmodi virtualis, & implicita ſeparatio fieri queat, nemo dubitabit, opinor, qui conceſſerit eidem Pontifici actualem, & formalem ſeparationem eiuſmodi bonorum Eccleſiaſticorum à titulo ſpirituali, cum vtraque ſit vera, & realis ſeparatio, vti monebam, eoſdémque habeat effectus, & in eo tantùm differant, quod vna magis expreſſa ſit, atque adeò euidentior, & vſitatior, minúſque pios offendat, cùm altera vix vnquam ſine ſcandalo poſſit adhiberi.

3 Secunda pars noſtri conſectarij, præbendam ſeparatam ſemel à titulo ſpirituali poſſe vendi à Pontifice, probata manet ex propoſitione vniuerſali, cùm iam nihil ſpirituale vendatur, ſed aliquid merè temporale, quale eſt omninò præbenda, facta ea, quam explicui ſeparatione, quod in ſingulis illis ſeparationis modis ſingillatim oſtenditur.

Et primo quidem, quando Pontifex extinxit omnem ſpiritualem titulum & ſpirituale officium, vel obligationem ad illud, præbenda remanens, & ius ad bona temporalia Eccleſiæ nihil amplius habet ſpiritualitatis, quarè nihil omninò ſpirituale ſiue per ſe, ſiue per connexionem venditur.

Secundo impoſitio penſionis, per quam ſeparatur pars aliqua fructuum beneficij, non eſt venditio beneficij, vti patet; non enim illa pars fructuum datur à beneficiario in pretium beneficij ſibi collati, ſed pars bonorum Eccleſiæ deſumpta ex eo beneficio, applicatur alicui iuſtas ob cauſas, & licet Pontifex ſibi illam retineat, non dicetur vendere beneficium, ſed partem bonorum Eccleſiaſticorum, quorum eſt ſupremus adminiſtrator, ad congruam ſuam ſuſtentationem transferre.

Maior difficultas eſt in ſeparatione virtuali duntaxat, & implicita, an videlicet poſſit Pontifex imponere penſionem beneficio quod confert, & ſimul æſtimare valorem illiús, ipsúmque à beneficiato ſibi aut alteri recipere, quod eſt vendere penſionem anticipatè ipſimet beneficiato, qui reuerà non dat pretium beneficij ſibi collati, ſed redimit penſionem in ea collatione beneficio ſuo impoſitam. Totam hanc venditionem, ſiue redemptionem penſionis culpa vacare exiſtimant Suar. *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 24. *à num.* 25. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. n.* 44. Filliuc. *tract.* 45. *cap.* 5. *num.* 16. Ferdinand. *punct.* 13 *num.* 4. hócque omninò volunt omnes Canoniſtæ, qui Simoniam in beneficiis contendunt eſſe iuris ſolùm Eccleſiaſtici, & à Pontifice non incurri. Probatur autem noſtra aſſertio, quia nihil ſpirituale venditur, ſed fructus iam extracti à beneficio, & ius ad illos ſic extractos percipiendos. Quænam igitur fingi poteſt ea in venditione Simonia? Neque dicas. Imponi onus beneficiato, nempe redemptionem penſionis impoſitę. Reſpondeo enim, conferri gratis omninò beneficium, quamuis non conferatur niſi volenti acceptare penſionem impoſitam, & redemptionem eius; ſúntque hic duo contractus, & ſicut vſura non eſt, nolle mutare pecuniam, niſi quis tibi mutuet triticum, quia nulla imponitur obligatio in futurum, ſed ſolùm petitur actus iuſtæ venditionis in præſenti, quod non eſt aliquid pretio æſtimabile ſupra mutuum, eſtque ſolùm concomitantia duorum

contractuum,qui non miſcentur: ita licet non conferatur beneficium niſi illi, qui reſeruatam portionem reddituum, & à titulo ſpirituali ſeparatam redemerit, non propterea venditur beneficium, ſed gratis datur, & ſimul venditur temporale commodum ab officio ſpirituali ſeparatum per legitimam poteſtatem.

Hæc tamen venditio penſionis impoſitæ, & fructuum ſeparatorum à miniſterio ſpirituali, quamuis, vt oſtendi, Simoniaca non ſit, iniuſta nihilominus eſſe poterit, ſi nimirum Pontifex plus exigeret, quàm fructus illius valeant, omnibus expenſis;immo & Simoniæ ſuſpicio vehemens exiſteret, quia cùm non acciperetur pro fructibus, qui ſunt minoris valoris, pro ipſa collatione, quæ gratuita eſſe omninò debet, poſtulari videbitur exceſſus ille ſupra valorem portionis à beneficio ſeparatæ.

CONSECTARIVM II.

Pontifex nequit vendere beneficium.

Id tandem ex ſuperioribus ſequitur, quia ſi beneficium, vel præbenda non ſeparatur à miniſterio ſpirituali, iam venditur illud ius ſpirituale, quod competit ratione ipſius, atque ita committitur Simonia iuris diuini; ſi autem fiat ea ſeparatio vel actualis, vel virtualis, quam hactenùs deſcripſimus, non venditur ipſum beneficium. Addo vix Pontificem poſſe vnquam vendere fructus beneficiorum virtualiter tantùm & ſola intentione ſua ab officio ſpirituali ſeparatos, eo modo, quo explicuimus, nempe imponendo penſionem, & obligando ad redemptionem beneficiatum, vt illi portionem ſeparatam concedat; quia ſic datur pretium Pontifici, ne aut ſeparet fructus, aut illos iam virtualiter ſeparatos reſtituat beneficio, illique denuò vniat, quod eſſet Simoniacum, venderet nimirum Pontifex vſum ſupremæ illius ſacræ, & ſpiritualis poteſtatis, à qua habet, vt hæc bona variis illis modis diſpenſare poſſit:ſi verò pretium ſolius portionis iam ſeparatæ quam ipſimet beneficiato vendit, accipiat, cùm hæc ſeparatio implicita ſit, & non ſatis appareat facta fuiſſe non ſine graui ſcandalo, exiſtimabitur ipſummet beneficium vendidiſſe. Adde vix vnquam fingi poſſe iuſtam aliquam cauſam huius venditionis, quæ pro arbitrio Pontificis facienda non eſt, alioquin aperitur via Simoniæ; ideóque Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis, *tractat. an Papa labem Simoniæ incurrere poſſit*, dixit, *facere Eccleſiaſtica beneficia vendibilia, eſt denigrare vniuerſalem ſtatum Eccleſiæ.*

CONSECTARIVM III.

An Epiſcopus poſſit præbendam beneficij vendere, aut aliquo titulo pro ipſa pecuniam exigere.

Imprimis certum eſt, non poſſe Epiſcopos ſine Simonia contra ius diuinum vendere beneficia, cùm ne id quidem liceat Pontifici, eò quòd ſimul vendatur aliquid ſpirituale, vti ſuit hactenus explicatum.

Secundo attenta natura rei, & amplitudine poteſtatis Epiſcopalis poſſent illi disiungere fructus beneficij à beneficio, & de illis deinde ita diſtractis eodem modo, quo de merè temporalibus diſponere, ſiue facere, 1

cere, vt ius ad illos aliter, quàm medio iure, & miniſterio ſpirituali acquireretur. Illud denique temporale emolumentum ſibi, aut alteri ex iuſta cauſa applicatum, demum vendere. Ita Suar. *cap.* 24. *lib. de Simonia. num.* 35. quia nihil eſt in eo toto negotio, quod ſuperet facultatem Epiſcopalem ſecluſa omni lege poſitiua, cùm enim Epiſcopus ſit caput ſuæ Eccleſiæ, eſt quoque bonorum illius diſpenſator, neque ſecluſo iure poſitiuo pendet ab alio, quàm Pontifice, qui eam poteſtatem poteſt limitibus certis continere.

Tertio hæc tamen diſtractio bonorum beneficij ab ipſo beneficio, prohibetur Epiſcopo, ex communi DD. ſententia. *titul. vt Eccleſiaſtica beneficia dentur ſine diminutione*, & Concil. Lateranenſ. ſub Alexand. III. *capit.* 7. quod refertur *cap. prohibemus. de cenſibus*, vetat Epiſcopis, aliiſque Prælatis *nouos cenſus imponere Eccleſiis, aut veteres augere, aut vllam partem reddituum ſuis vſibus appropriare.* Et in Concil. Turonenſ. vti refertur *cap. maioribus. de praebend.* maiora beneficia in ſua integritate permanere oportet, & minimas præbendas ſectionem non pati. & *cap. vacante*, repetitur illud idem ſtatutum Turonenſe, & præbendam minuendam eſſe negatur, niſi in duas propter copiam prouentuum, diuidatur. Quia tamen iura iſta non ſunt ita clara, vt adimant omnem facultatem Epiſcopis aliqua onera imponendi beneficiis, ac partem aliquam fructuum ipſorum in pium aliquod opus applicandi, quod de Eccleſiæ Cathedralis fabrica docent Gloſſa Maryni. & Ioan. Andre. *in cap. ſi propter. de reſcriptis. in 6.* imponere etiam illos poſſe temporariam beneficiario penſionem, quamplurimi docent, quibus nos adhæſimus alias: ius præterea annatarum habet alicubi Epiſcopi, vt alibi dicam. Idcircò vt abſtineam ab hac quæſtione, ſcilicet, an Eccleſia ſuſtulerit Epiſcopis omnem facultatem diſtrahendi prouentus à beneficiis, & iuſtam ob cauſam in aliquem alium vſum pium, atque Eccleſiæ commodum conuertendi, ſiue in vtilitatem ipſius Epiſcopi cedat, ſiue non, quod totum alibi diſquiretur:

Duo mihi certa ſunt hoc loco. 2
Primum, Epiſcopum quoties poterit annuam penſionem, aut aliud eiuſmodi onus imponere beneficio, vnde ſequatur diſtractio partis alicuius reddituum illius, qui per aliquot annos in opus quoddam pium inſumendi ſint, poſſe quoque ab ipſo initio collationis beneficij computare valorem penſionis impoſitæ, aut reddituum in aliud opus deſtinatorum, atque illum à beneficiario exigere abſque vlla Simonia. Ita poſt multam conſultationem cum viris ſapientibus ait ſe reſpondiſſe Maior *in 4. diſt. 25. quaeſt. 2. ad 2.* & poſita illa facultate imponendæ penſionis, aut applicandi fructus beneficij in pium vſum concedit Suar. *cap. 24. cit. n. 37.* & ſequitur neceſſario ex dictis, facta enim fuit ſaparatio vel actualis, & formalis, vel ſaltem virtualis, & implicita partis præbendæ à titulo ſpirituali; ergo vendita ea parte præbendæ iam auulſa, & ſeparata à ſacro miniſterio, & à iure ſpirituali ex illo procedente, nihil prorſus ſpirituale venditur, neque proinde committitur Simonia, & aliunde non violatur lex Eccleſiaſtica; igitur nullo modo peccatur.

Secundo certum eſt, magnum eſſe 3
periculum turpis lucri, immò & Simoniæ in hac petitione pecuniæ

CCc 3 à

à beneficiato, maximè quando cedit in commodum ipſiuſmet Epiſcopi collatoris, ideóque niſi tota res admodùm perſpicua ſit, nunquam hanc pecuniæ exactionem, & ſimultaneam redemptionem oneris impoſiti conſulendam eſſe, quod etiam monuit Major, præterquam quod vitandum eſt ſcandalum, quod ſine dubio inde creabitur, cùm pauci iſtas diſtractiones virtuales, & eiuſmodi ſubtiliores diuiſiones nouerint, aut diſtinguere poſſint, & Simoniam in eiuſmodi collationibus committi, iure merito ſuſpicari valeant.

CONSECTARIVM IV.

An priuatus Collator, aut Reſignans poſſit vendere beneficium, quod confert, aut reſignat ratione emolumenti temporalis, quo ſe priuat, & in alium transfert, ac proinde pro eo damno temporali, quod patitur, quidpiam exigere.

1 Reſpond. ex noſtra propoſitione vniuerſali ſequi, Simoniam in hoc caſu committi, cùm enim præbenda, ſiue fructus beneficij ſint illi annexi, & miniſterio ſacro, atque ſpirituali ab Eccleſia, non poteſt priuatus beneficiarius, aut quis alius illos ſeparare; quare non conferet aliud ius ad percipiendos hos fructus temporales, quam illud ipſum quod habet, illud autem naſcitur ex officio ſpirituali, atque adeò ſpirituale eſt, & innendibile, nec quidquam obſtat, quod poſſit locare eos fructus etiam ad vitam ſuam ſecluſa lege poſitiua, atque adeò anticipatè pretium illorum accipere, & tunc vel emptori, vel alteri tradere gratis beneficium cum reliqua parte fructuum, quam ſibi reſeruarat; quia cum conductor fructuum illos non percipiat niſi nomine, & vice beneficiati, maneántque etiam poſt eam diuturnam locationem annexi titulo beneficij, quod confert totum ius ad illos, ſtatim atque hic beneficiatus ſuum beneficium alteri tradiderit, ſimul tradet ius ad eos prouentus, qui eos repetet à conductore, neque obligari poterit, vt illis careat; aut ſi iſte collatarius, vel reſignatarius ſit ipſemet conductor, iam proprio nomine poſſidet illos fructus, neque collatori, aut reſignanti, à quo illos conduxerat, tenetur reddere, & poteſt anticipatum ipſorum pretium repetere; vnde beneficiarius, qui anticipato pretio locat fructus ſui beneficij in longiſſimum tempus, aut ad vitam, cùm tamen habeat animum dimittendi beneficium, facit iniuriam aut conductori, aut ſucceſſori, immò & committit Simoniam, ſi obliget ſucceſſorem ad non repetendos fructus à conductore toto illo tempore, quo durabit locatio facta ante collationem, aut reſignationem.

2 Non eſt etiam quod obiiciat beneficiarius, ſe poſtulare pecuniam duntaxat in compenſationem damni temporalis, dum collatione, aut reſignatione ſui beneficij priuat ſe emolumento temporali; nam poterat vitare illud damnum retinendo beneficium, ſibi igitur imputet; deinde cum careat onere, & obligatione ſacri miniſterij, propter quod dabantur iſti prouentus temporales, non patitur damnum, quia iactura illa temporalis compenſatur obligationis carentia. Denique cùm poſſit etiam ab Eccleſia obtinere eiuſmodi

modi iacturæ compenſationem aliquam legitimam, non debet ſua authoritate illam ſibi vindicare, & dimiſſo titulo, neceſſarium omninò eſt, vt quæ illi connexa ſunt emolumenta dimittantur, quod in omnibus aliis contingit. Et ſanè nulla vnquam committeretur Simonia in beneficiis, neque enim vllus dicet ſe accipere pro titulo beneficij, & iure ſpirituali, ſed ſolùm pro præbenda, & temporali emolumento, quod in beneficio reperitur; neque vllus tam ſtupidus erit, qui non animo, & intentione iſta ſeparet, diuidatque iſtos contractus.

CONSECTARIVM V.

Vtrum præſtimonia ſint materia Simoniæ.

Reſpond. eſſe, quia vel ſunt vera beneficia, vt communior ſententia poſt Pij V. Bullam hodiè cenſet, vel ſaltem habent officium aliquod diuinum, propter quod dantur, nempe recitationem horarum Canonicarum, ad quam modò obligantur ex Pio V. cùm igitur ea functio ſpiritualis det ius ad certam illam partem prouentuum ex pinguioribus beneficiis ſeparatam ad alendos Clericos, vt in gradu Clericali proficiant, reuerà vendi non poterunt, quin vendatur aliquid ſpirituale. Ita Suar. *lib. 4. de Simon. cap. 25. ſub fin.* Ferdinand. *punc. 13. diſp. 3. de Simon.* Filluc. & alij paſſim. Confirmaturque ex eo quod ex Bulla Pij V. eodem modo quo beneficia conferri debeant, & inaudita ſit iſta venditio in Eccleſia. Antiqua verò præſtimonia, quæ erant penſiones temporariæ aſſignatæ Clericis, vel vt in ſtudiis alerentur, vel in ſubſidium terræ Sanctæ; neque beneficia erant, vt diximus alibi, neque vera materia Simoniæ.

CONSECTARIVM VI.

An Capellaniæ ſint materia Simoniæ.

Reſpond. alias eſſe Capellanias authoritate Epiſcopi inſtitutas, quæ verè Eccleſiaſtica beneficia ſunt, alias verò quæ pendent ex ſola inſtituentis voluntate, & ſunt quædam legata relicta cum obligatione dicendi certum Miſſarum, aut precum numerum, quæ neque beneficia Eccleſiaſtica ſunt, neque eorum more reguntur, & idcircò laicæ Capellaniæ nominantur, vt fusè diximus *tractat. de beneficiis.* Priores illæ Capellaniæ ſunt materia Simoniæ propriè dictæ, vt patet ex propoſitione noſtra: non verò poſteriores & Laicæ, ſed ſalaria quædam, & ſtipendia Miſſarum, idcircò poſſe abſque Simoniæ labe pecuniâ obtineri dixit Ferdinand. à Caſtro, *tractat. 17. diſputat. 3. punct. 13. numer. 14.* cum Gonzales *in Regula octau. Cancella. gloſſa. 5. numero 25.*

CONSECTARIVM VII.

An Commendæ ſint materia Simoniæ.

Diſtinguendum etiam hoc loco eſt inter Commendas Clericales, & Militares. In prioribus commendantur alicui Clerico Eccleſiæ cum ſpirituali ipſarum adminiſtratione, ratione cuius fructus, aut earum pars deſignantur commendatario. Aliæ verò ſunt commendæ militares, quibus commen

mendantur Eccleſiæ alicui, ſed in auxilium, aut defenſionem, aliúdve auxilium,& miniſterium temporale, titulo mere laico. Priores illæ ſiue perpetuæ ſint,ſiue temporariæ,materiam Simoniæ contra ius diuinum continent, quia conſiſtunt in adminiſtratione ſpirituali, cui annexum eſt ius ad prouentus, ita vt titulus in quo fundatur eiuſmodi ius, ſit functio ſpiritualis, ſicut in beneficiis. Quarè eodem modo in earum, atque beneficiorum venditione committetur vera, & propriè dicta Simonia; cùm ea venditio intelligi nequeat ſine venditione adminiſtrationis, vel iuriſdictionis ſpiritualis,quæ in ea commendatione delegatur, quando eſt temporaria, vel abſolutè traditur, quando eſt perpetua. Commendæ militares cùm ad nullam ſpiritualem functionem dentur, etiamſi non niſi perſonis Eccleſiaſticis, & Religioſis etiam profeſſis dentur, non ſunt materia Simoniæ, & pecunia comparari poterunt, dantur enim in ſtipendium militiæ,& præmium laborum: neque profeſſio Religionis eſt titulus, cui annectantur illa ſtipendia, aut bona, ſed conditio perſonæ;neque inde fit, vt quæcunque ſolis Clericis, aut Religioſis dari poſſunt,ſint annexa titulo ſpirituali, ſi non dentur ad functionem Clericalem, quæ hoc loco nulla eſt; obligatio enim ad certas preces non eſt ex vi commendæ, ſed ex Religioſa Regula; facultas quoque in ſuis commendis præſentandi ſacerdotem, qui ſacra miniſtret, eſt quoddam ius patronatus annexum commendæ,quod quidem non poteſt vendi. non tamen facit commendam inuendibilem, ſicut neque fundum, cui ſæpiùs annectitur. Atque ita ſentiunt Rodriq. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 61. *num.* 12. Vega. 2.*part.ſum. cap.*101. *caſu* 52.Ferdinand.*punct.*13.*cit.num.* 13.Suar *lib.*4 *de Simon.cap.*27. *n.*8. qui omnes benè tamen aduertunt, etſi harum commendarum militarium venditio Simoniaca non ſit,fore tamen iniuſtam, & illicitam, quia non ſunt inſtitutæ, neque permiſſæ aut Magiſtris generalibus Ordinum, aut Principibus vt vendantur, ſed vt diſtribuantur benè meritis, & ſecundum ordinum ſtatuta, ſunt enim bona Eccleſiaſt ca, quibus Eccleſia poteſt quas libuerit inſtas conditiones apponere, & reuerà magna ex ea venalitate perturbatio, & offenſio orietur; poterit tamen illarum diſpenſator imponere aliquid agendum nouo Commendatario, vt profectionem in Africam, aut expeditionem aliquam militarem, quia ad ſimiles actiones ex inſtituto ſuæ Religionis tenentur.

CONSECTARIVM VIII.

An Coadiutoriæ ſint materia Simoniæ.

Reſpond. eſſe, quia cùm ſint facultates exercendi officium, quod proprietarius exercere nequit, atque aliquando cum futura ſucceſſione, continent functionem ſpiritualem,& ius quoque ad obtinendum deinde illud beneficium, quando conceduntur cum futura ſucceſſione,& idcircò in illarum venditione aliquid ſpirituale neceſſariò venditur, ſicut de commendis Clericalibus dicebamus. Ita Suar. *cap.* 27. *cit. num.* 5. Fillluc. eum de more ſublegens, contra Ferdinand.*punc.* 13.*cit. n.*14. vbi ex eo, quod hæ Coadiutoriæ non ſint beneficia,negat in earum venditione committi aliquam Simoniam iure Eccleſiaſtico punibilem. Verùm quidquid

fit

ſit de iure Eccleſiaſtico, & foro externo, ſatis nobis eſt committi Simoniam propriam, & contra ius diuinum propter rei ſpiritualis venditionem. Quod addit Ferdinand. nullam eſſe Simoniam, ſi aliquid in ſuſtentationem concedentis Coadiutoriam detur, aliò pertinet, idque nos vltrò fatemur; cùm enim Coadiutus beneficium adhuc retineat, tametſi illud adminiſtrare nequeat, ex eiuſdem beneficij redditibus ſuſtentari debet. Sed de his egimus alibi fuſiùs.

CONSECTARIVM IX.

An hoſpitalia ſint materia Simoniæ.

Repetenda ſunt hoc loco, quæ de hoſpitalibus diximus diſputantes *de beneficiis*: quædam ſunt hoſpitalia priuata authoritate inſtituta, quæ neque Eccleſiaſtica beneficia ſunt, neque materiam vllam Simoniæ continent, vti omnes fatentur; etiamſi enim ſint pia loca, id eſt, ad pietatem ordinata, nullam tamen adminiſtrationem ſpiritualem important, ſed omninò temporalem, piam tamen & Religioſam. Alia ſunt hoſpitalia Epiſcopi authoritate inſtituta, quæ, vti diximus aliàs, cenſentur inter loca Religioſa. *C. ad hac. de Religioſis domibus.* Hæc autem ſunt iterum in duplici differentia, quædam enim Laicis committuntur ad eam piam, & Religioſam adminiſtrationem, quamuis habeant ſibi annexas Capellas, aut Eccleſias, atque etiam decimas percipiant. Quædam autem reuerà vel ex fundatione, vel ex conſuetudine dantur in titulum perſonis Eccleſiaſticis. Priora illa non ſunt beneficia, vt patet ex perſonis quibus committuntur, ſed ſunt officia quædam Religioſa: poſteriora illa naturam beneficij imitantur, & vel Eccleſiæ, ac beneficia ſunt, vel alicui Eccleſiæ, aut beneficio accedunt; quæ omnia loco citato explicuimus. Ex quibus difficultas propoſita ſoluitur; nam hoſpitalia, quæ vel beneficia ſunt, vel illorum naturam imitantur, dantúrque in titulum, atque ſpiritualem adminiſtrationem includunt, ſunt materia Simoniæ, & vendi nequeunt. Ita Selua. *de benefic.* 1. *part. quæſt.* 3. *num.* 3. & 4. & 28. & 2. *part. quæſt.* 11. *n.* 14. Rebuff. *in praxi. tit. de deuolution. num.* 73. Ferdinand. *diſp. de Simonia. punc.* 13. *num.* 15. Suar. *cap.* 27. *citato. num.* 11. Alia verò hoſpitalia quæ habent ſolum regimen temporale, ſollicitudinem v. gr. infirmorum, atque curam bonorum, & reddituum hoſpitalis, non ſunt materia iuris diuini, cùm ea adminiſtratio tota temporalis ſit, vt dixi, & nulli prorsùs officio ſacro connexa; ſi quas enim annexas habent Capellas, ſunt veluti patroni earum, neque patronatus venditur, etiamſi adminiſtratio, cui annexus eſt, vendatur. Iure tamen Eccleſiaſtico inuendibilia ſunt talia officia adminiſtrandi hoſpitalia iſta, quia *cap. Saluator.* 1. *q.* 3. prohibetur vendi quælibet adminiſtratio Eccleſiaſtica, vt inferiùs explicabimus: hîc autem eſt eiuſmodi adminiſtratio, quandoquidem talia loca, eorúmque bona Eccleſiaſtica, & Religioſa ſunt, vti diximus. Itáque docent Suar. *numero vlt. cap.* 27. Gonzales *in Regulam* 8. *Cancella. gloſſa* 5. *paragr.* 4. *num.* 22. Ferdinand. *l. citato*, qui alios dabunt.

CONSECTARIVM X.

An ius patronatus ſit materia Simoniæ.

Reſpond. hoc ius eſſe ſpirituale, quod latè oſtendimus *tractatu de beneficiis:* quarè non modò materia eſt Simoniæ ex iure Eccleſiaſtico inductæ,ſed propriæ,atque ex iure diuino,& naturali, vt *ibid.*inferebamus; quomodo autem acquiri poſſit venditione,aut præſcriptione fundi,cui annexum eſt,aliaque quę ad hanc Simoniæ diſputationem ſpectare quoque potuiſſent,*ibi.*pluribus diſputauimus.

CONSECTARIVM XI.

An penſiones beneficiorum ſint materia Simoniæ, & an vendi, aut redimi poſſint.

Reſpond. pro diuerſitate, & natura penſionum, de quibus agemus alibi, rem iſtam facilè definiri ex noſtra propoſitione vniuerſali.

1 Dico igitur primo penſionem laicam, & merè temporalem, quæ aſſignatur etiam laico propter officium aliquod temporale præſtandum aut præſtitum Eccleſiæ, eſſe vendibilem,neque conſtituere materiam Simoniæ, cùm in ea nihil prorsùs ſit ſpirituale, quod vendi dicatur, ſiue ſubiectum ipſius, ſiue finem ſpectes. Atque ita ſentiunt omnes contra Rebuff. *de pacifica poſſeſſio. numer.* 34. quamuis enim materia, vt ita dicam remota huius penſionis, ſint fructus beneficij, ex quibus decerpitur hæc penſio. non confert tamen illi vllam ſpiritualitatem, neque facit,vt ſit annexa titulo ſpirituali, ſed potiùs ſupponit ab eo auulſam eſſe per legitimam poteſtatem, qua ratione decimæ,vbi Principibus in ſubſidium aliquod legitimum conceſſæ ſunt ab Eccleſia, non ſunt aliquid deinceps ſpirituale,quandiu in eo ſtatu permanent, & idcircò venduntur, & redimuntur. Stylum tamen Curiæ ferre vt non redimantur, neque vendantur inconſulto Romano Pontifice teſtatur Azor.*tom.*2.*lib.*8.*cap.*10. *quæſt.* 10. vbi & alios allegat, qui idcircò in ea venditione priuata authoritate facta aliquã Simoniam iuris Eccleſiaſtici agnoſcunt. Sed mihi neque ſatis conſtat de eo Curiæ ſtylo, neque ille facit ius, neque ſaltem extra Romanam Curiam quoad forum internũ obligare videtur,vti diximus aliàs.

Dico ſecundo penſionem Clericalem, quæ aſſignatur Clerico ad miniſterium aliquod ſpirituale exercendum, ſiue ea perpetua ſit, ſiue temporaria, eſſe ſpiritualem, & materiam Simoniæ. Hanc penſionem ſtipendiariam vocat Suar. *lib. de Simonia cap.* 26. *numero* 20. & eam duplicem facit, vnam quæ eſt impoſita beneficio, Epiſcopatui verbi gratia pro titulari Epiſcopo, vt in Pontificiis muneribus iuuet proprium Epiſcopum, pro viſitatore, concionatore, & ſimilibus, ſiue ea penſio ſit pro illo munere duntaxat impoſita, ſiue alicui perſonæ particulari illud munus gerenti, & quamdiu illud geret, ſemper enim ipſi manebit obſtrictum beneficium ad talem penſionem dandam in ſtipendium, & ſuſtentationem; euidens porrò eſt eiuſmodi penſionem annecti ſpirituali miniſterio, ſicut in beneficio dicebamus de præbenda. Non poterit itaque vendi, niſi vendito eo miniſterio, vt dicebamus de venditione beneficij: neque 2

que licebit eam redimere, quia ſic extingueretur obligatio penſionarij ad talem functionem ſpiritualem exercendam, quam tamen extingui non poſſe, & debere manere ſupponimus. Quodſi penſionarius retenta ſua tota obligatione ad munus ſpirituale præſtandum, vendat ſuam penſionem, aut de illa cum beneficiato paciſcatur, ea non erit niſi venditio, aut locatio fructuum penſionis, aut penſionis ipſius materialiter ſumptæ, pro qua annuatim percipienda poteſt ſimul vna aliqua ſumma capi, vt patet.

Quædam verò alia eſt penſio ſtipendiaria, quam idem Suar. *n.* 21. perſonalem vocat, quia non eſt beneficio impoſita, ſed beneficiato, ſiue potiùs quam ipſemet beneficiatus ſibi imponit, dum certum ſtipendium aſſignat ſibi in ſacris miniſteriis cooperanti, de qua penſione eadem planè ratione, qua de aliis ſtipendiis ſacrorum miniſtrorum ſentiendum eſt; itaque iure exigetur à miniſtro, & de ea paciſcetur beneficiatus, vt augeat, aut minuat intra latitudinem iuſti ſtipendij, niſi fortaſſis iam illud à ſuperiore definitum eſſet neque enim poſſet partem ipſius ſibi retinere, niſi omninò volente ſtipendiario, alioquin & iniuſtitiam committeret, immò & Simoniam, ſi vt illi miniſtro potiùs, quàm alteri miniſterium illud ſacrum committeret, ſtipendium definitum minueret.

3 Dico tertio penſiones Clericales, quæ non dantur quidem niſi Clericis, non tamen ad ſacrum miniſterium, ſed alias ob cauſas, non eſſe materiam Simoniæ, & ſpectato antiquo iure vendibiles eſſe. Ita Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 26. Leſſi. *cap.* 35. *dubit.* 22. Ferdinand. *punct.* 13. *citato.* fuitque ea ferè veterum ſententia, qui ferè exiſtimarunt penſionem non eſſe aliquid ſpirituale, quod intelligunt de his, quæ non dantur propter ſacrum miniſterium, neque ad illud obligant, & ſunt Clericales ſimplices, vt aliqui appellant; vel, vt alij malunt, mixtæ, quia Clericis quidem duntaxat aſſignantur, qua ex parte ſunt quodammodo ſacræ, & non laicæ; quia tamen non reſpiciunt ſpiritualem functionem vi illarum faciendam, ſed alias cauſas, non ſunt omninò ſpirituales, ſed mixtæ. Dantur autem primo ad ſuſtentationem Clerici pauperis, ſecundo ob ſenium Parrochi, alteriúſve beneficiati, qui nequit ampliùs deſeruire Eccleſiæ, & ideò in eius locum alter ſufficitur cum onere penſionis, tertio propter litis beneficialis amicam compoſitionem, ſiue tranſactionem, quarto propter beneficij reſignationem. Has igitur omnes penſiones vendibiles eſſe, cùm nihil ſpirituale, quod in illis neceſſariò vendatur, contineant, oſtenditur primo in penſione aſſignata ſeni Parrocho, quia vt vidit Caietanus *tomo primo, opuſc.* 31. *reſponſ.* 9. non datur ad officium ſpirituale præſtandum, ſed ad alimenta ex gratitudine quadam; neque quidquam facit, quòd aliàs hic Parrochus officia ſpiritualia præſtiterit; tum quia non datur penſio tanquam debita ratione præteriti officij, cuius mercedem, ſiue ſtipendia, ac ſuſtentationem tunc percepit, quare officium illud eſt tantùm conditio, ſine qua non exhiberetur illi ea gratitudo; tum quia ius ad prouentus temporales non cenſetur ſpirituale niſi quando obtinetur, & conſeruatur

mediante officio ſpirituali pręſtando, non autem iam præſtito. Ratio diſcriminis eſt, quia quando officium ſpirituale præſtandum eſt, ius in prouẽtus temporales, non eſt immediatum, ſed ſolùm mediàte officio ſpirituali, ideóque ius illud vendi nequit niſi ſimul vẽdatur ius radicale, fundamẽtale, & primarium, ex quo ius illud immediatum in prouentus naſcitur; quando autem officium ſpirituale, quod eſt fundamentum iuris proximi, & immediati in fructus, præſtitum iam eſt, ius illud eſt iam acquiſitum, & eſt immediatum, ac merè temporale, neque ampliùs connexum rei ſpirituali, quæ tranſiit tum quoad ſe, tum quoad ſuam obligationem ſimile officium præſtandi, vti ſupponimus in noſtro caſu. Confirmatur, quia ex officio ſpirituali poreſt naſci dominium, & poſſeſſio temporalis, vt videmus in omnibus beneficiatis qui ſunt domini, & poſſeſſores temporales fructuum perceptorum ex ſuis præbendis propter officium ſpirituale à ſe præſtitum. Cur igitur etiam non poterit ex officio ſpirituali præterito ius etiam temporale proximum, & immediatum ad aliquid temporale procedere? Quamuis igitur ex quadam gratitudine propter miniſterium Eccleſiæ exhibitum ſeniori Parrocho aliqua pars fructuum beneficij in annuam penſionem reſeruetur, ea penſio non erit ſpiritualis, ſicut neque eleemoſyna, quæ eiuſmodi Parrocho intuitu benè geſti officij ab alio quopiam donaretur, fieret ſpiritualis.

Eodem modo de penſione, quæ in ſuſtentationem Clerico pauperi aſſignatur, dicendum eſt, neque enim ea magis ſpiritualis dici poteſt, quàm legatum relictum pauperi Clerico: quia in his omnibus Clericatus ſe habet tantùm concomitanter, & vt diſpoſitio ſubiecti; titulus autem, vt vocant, ſiue finis, atque cauſa motiua donationis eſt paupertas, quam tamen non placet ita ſubleuare, niſi in Clerico. Itaque totum illud ius immediatè confertur perſonæ, in qua tamen conditio quædam ſpiritualis requiritur, non autem annectitur titulo ſpirituali, vti fieret, ſi quicunque hanc conditionem, aut titulum haberet, tale ius eo ipſo ſibi compararet; vt ſi in aliqua Eccleſia omnis Clericus haberet ius centum libras prouentuum Eccleſiaſticorum percipiendi; tunc enim hæc penſio daretur ipſi, vt ita dicam, Clericatui, ipſique annecteretur, atque adeò fieret ſpiritualis per connexionem, conſequeretur enim ad eiuſmodi ſpiritualem titulum, quod non fit, quando immediatè confertur perſonæ, licet in ea conditio ſpiritualis requiratur.

Tertia penſio, quæ datur in compoſitione litis, & quarta quæ ob reſignationem beneficij, ſunt etiam merè temporales, vt vides, & facilè rationes allatæ ipſis accommodari poſſunt.

Ex his ſequitur, nullam Simoniæ materiam hoc loco reperiri, & has penſiones ex natura rei vendibiles eſſe, vti contendebamus. Addidi idem dicendum eſſe ſecundum ius antiquum, quia nullibi legitur prohibitio contraria, & qui ſunt in contraria ſententia, eam tantùm probant ex ſtylo Curiæ Romanæ, de quo an antiquitùs fuerit, certum non eſt; inde verò tantùm habetur, vti iam monui, puniri tanquam Simoniacos, qui vendiderint eiuſmodi penſiones, teſte Tolero, *lib. 5. cap. 91.*

Dico quarto iure nouo Pij V. in motu proprio an. 1571. qui incipit. 4

pit. *Ex proximo.* omnes penſiones Clericales, ſiue ſolis Clericis aſſignatæ, ſpirituales ſunt, atque adeò materia Simoniæ, & iure diuino inuendibiles. Ita Suar. Leſſi. Layman. Ferdinand. aliíque paſſim Quia Pontifex illa ſua conſtitutione omnes Clericos penſionarios obligauit ad officium B. Virginis recitandum eodem prorſus modo, & ſub eodem onere, quo tenentur beneficiati ad horas Canonicas. Vnde ſequitur, eiuſmodi penſiones annexas eſſe titulo ſpirituali, atque ea in re imitari naturam beneficiorum, & idcircò eſſe inuendibiles, vt ipſa beneficia, quod enim tota iſta connexio ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, non impedit, quominus quamdiu ea durat, quæ ſic connexa ſunt ſpiritualibus conſequenter, faciant materiam Simoniæ propriiſſimè dictæ, vti ſæpiùs fuit explicatum. Hæc tamen Bulla pluribus in locis recepta non eſt, maximè in Gallia, & vulgò ignorari, atque nunquam in praxin redactam eſſe teſtatur Leſſius; idcircò ius nouum illius Bullæ minimè à nobis conſiderandum eſt.

5 Dico quinto omnes iſtas penſiones Clericales, non ſpirituales, ſed mixtas propria authoritate redimi poſſe. Ita Caietan. *opuſc.* 31. *tom.* 1. *diſp.* 10. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 92. Laym. Ferdinand. Leſſi. *locis citatis.* Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *quæſt. vltima.* Binsfeld. *in cap. de Simonia. quæſt.* 2. *con.* 3. qui omnes, aliíque ſecluſo ſtylo Curiæ contrarium faciente, & ſpectata rei natura ita affirmant, contra Nauarr. *cap.* 23. *n.* 111. Suar. *cap.* 26. *cit.* Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 4. §. 13. *num.* 9. & alios, qui id maximè contendunt ex iure nouo Pij V. vbi eæ penſiones redditæ ſunt ſpirituales per connexionem cum ſpirituali officio.

Nihilominus probatur noſtra aſſertio, quia id quod hoc loco emitur, non eſt penſio ipſa, vti fuſiùs exponit Valent. ſed immunitas ab obligatione ſoluendi penſionem; quarè vt videamus, an ea venditio ſit Simoniaca, parum intereſt, quod ea penſio ſit ſpiritualis, aut temporalis, clericalis, aut laica, & quod detur propter functionem ſpiritualem, aut aliquam aliam cauſam, cùm ipſa penſio non ematur, ſed immunitas ab ea præſtanda, quæ immunitas non eſt quidpiam ſpirituale, vt patet, ſed eſt liberatio ab onere temporali, ſiue retentio partis fructuum beneficij: ſi quis enim pecunia redimeret onus, & obligationem ſoluendi decimas, vti quotidie fit, non dicitur emere aliquid ſpirituale, etiamſi decimæ ſint vectigalia quædam, & præſtationes debitæ Clericis titulo ſpirituali. Deinde illa immunitas ſoluendi partem fructuum beneficij deſtinatam penſionario, non magis ordinem dicit ad aliquid ſpirituale, quàm ipſimet fructus; hi autem nullum eiuſmodi ordinem habent, neque fiunt ſpirituales, ideóque vendi poſſunt. Quod autem inde ſequatur beneficium, ſiue ius, quod remanet beneficiato, extendi ad partem fructuum, ad quam antea non extendebatur, non facit Simoniam, quia id omninò per accidens eſt ex immunitate beneficij anteà grauati.

Obiicit Suar. Simoniam committi in eo, quod poſt Pij V. conſtitutionem non poſſit redimi penſio, quin obligatio penſionario impoſita faciendi miniſterij ſpiritualis extinguatur, quod fieri nequit priuata authoritate, ita vt penſionarius ſe exoneret illo officio, & tamen ſibi retineat totum illud temporale, quod non

datur niſi ratione officij ſpiritualis, nimirum recitationis Horarum Beatæ Virginis, & in ea venditione reuerà venditur ſpiritualis ille titulus, non vt transferatur in redimentem, ſed vt extinguatur & pereat, ſicut qui emit chartam, vt illam laceret, aut comburat: quodſi ita redimatur penſio, vt penſionarius ſemper retineat obligationem ad penſum ſpirituale perſoluendum tunc non committitur Simonia, quia eſt tantùm locatio, aut venditio fructuum, quos ſimul accipit pro ſtipendio officij ſingulis diebus, ac toto illo tempore tollendo. Denique aliud eſt renuntiare officio, & commodo ſimul quod ex eo officio prouenit, quod fit ab eo, qui gratis remittit penſionem ſibi conſtitutam; aliud verò renuntiare miniſterio ſpirituali, & tamen ſimul velle percipere commodum temporale, quod non niſi ratione illius officij ſpiritualis percipi poteſt, quod quis neget eſſe aliquid iniquum, & inordinatum? atqui hoc fit à vendente ſuam penſionem beneficiario illam redimenti, liberat enim ſe onere recitandi officium B. Virginis, vt ſupponitur, & tamen percipit penſionem titulo ſolius illius recitationis debitam; nam anticipatè recipit valorem illius. Non videtur igitur poſt eam conſtitutionem Pij V. vbi ea viget, licita eſſe ea redemptio penſionis propria authoritate facta, quando enim accedit conſenſus Pontificis, qui poteſt onus ſpirituale extinguere in penſionario, nulla poteſt eſſe dubitatio.

7 Reſpond. primo hinc ſequi duntaxat, obligari penſionarium ad recitationem officij B. Virginis ſibi impoſiti per aliquot annos, quibus redemptæ penſionis valor adæquatur. v.g cum ſoleat quinque annatis redimi penſio, qui quinque annorum penſionem ſimul accepit, per quandam anticipationem, tenebitur quinque illis annis conſequentibus fungi officio ſpirituali, ratione cuius penſionem percepit, atque ita erit ſeruanda proportio.

Reſpond. ſecundo non probari à Suar. redemptionem hanc Simoniacam eſſe, falsò enim ſupponit, emi obligationem illam ad officium ſpirituale, non vt acquiratur, ſed vt extinguatur, ſicut qui emit chartam, vt eam comburat: iam enim monuimus cum Valent. non emi extinctionem illius officij ſpiritualis, immò neque ipſam penſionem, ſed immunitatem ab onere temporali, quo grauatum fuerat beneficium, ad quam ſequitur quidem extinctio ſpiritualis officij, cuius ſtipendium erat illa penſio; hoc tamen per accidens eſt, quis enim diceret, illum eſſe Simoniacum, qui diſtraheret prædium, cuius fructus erant deſtinati fundationi Capellæ, atque dilaceratis inſtrumentis fundationis, cauſa eſſet, cur etiam perirent omnes prouentus Capellæ, atque ita capellanus priuatus ſuis ſtipendiis, nulla deinceps obligatione teneretur faciendi ſacri officij? iniuſtus quidem ille foret, non tamen Simoniacus. Quodſi iure aliquo ſibi prædium illud datum in fundationem Capellæ vendicaret, vt quia priùs ſibi oppigneratum, aut lege ſubſtitutionis, aliáve ratione oppigneratum, aut malè alienatum, etiamſi ſimul ex ea emptione ſequeretur extinctio beneficij, neque iniquitas eſſet in ea emptione, quia emptor vtitur ſuo iure, neque Simonia, quia nihil emitur ſpirituale etiam ad illud

deſtruen-

deſtruendum; quamuis ex ea emptione temporalis ſequatur neceſſariò extinctio alicuius ſpiritualis, nempe ſacri miniſterij & obligationis ad illud præſtandum. Tota igitur inordinatio hoc loco eſt, quod penſionarius accipiat penſionem, & ſtipendium pro officio ſpirituali, quod tamen neque facit, neque facere tenetur poſita illa redemptione. Quare

Reſpond. tertio penſionarium in redemptione penſionis non accipere à beneficiario redimente anticipatam ſolutionem penſionis ſibi debitæ, illa enim non eſſet redemptio, vt patet. Et ſanè tunc teneretur ad præſtandum officium, cuius iam anticipatum ſtipendium accepit; quod vnum probat argumentum Suaris; accipit igitur penſionarius pretium oneris, & grauaminis impoſiti beneficio in eius fauorem, quamuis non potuerit ipſe vti commodo illius oneris, niſi præſtaret officium aliquod ſpirituale, quod ex ipſa inſtitutione penſionum manifeſtum fit, diſtracta enim fuit authoritate Pontificis portio aliqua fructuum beneficij in alimenta, & ſuſtentationem alicuius Clerici, quem tamen noluit Pontifex frui illa parte beneficij fructuum, niſi cum certis quibuſdam conditionibus, & obligatione recitandi quaſdam preces, quarum precum ſtipendium reuerà non eſt penſio aſſignata, quandoquidem eum in finem non fuerit deſtinata, vnde aliàs penſionarij iſti, ad nulla eiuſmodi ſpiritualia officia tenebantur, ad aliqua tamen ſubinde viſum eſt illos obligare, vt quandoquidem bonis Eccleſiaſticis alebantur, aliquod ipſi officium exhiberent, non tamen in ſtipendium horum officiorum dati ſunt hi prouentus, quamuis eos non faciant ſuos, ſi deſint officio ſibi impoſito ex nouo iure. Dum igitur beneficiatus redimit penſionem, non ſoluit tantùm anticipatè ſtipendia debita ratione miniſterij ſpiritualis penſionario; ſed verè emit libertatem ab onere ſibi impoſito, quo quidem extincto, non tenebitur etiam penſionarius obligatione officij ſpiritualis, quod ratione prouentuum Eccleſiaſticorum, quos capiebat, facere debebat. Et ſanè ſi quis legaſſet centum aureos annuos Clericis alicuius Eccleſiæ, ea tamen conditione, vt ſacrum certo quodam loco, certíſque diebus celebraretur, alioquin non gauderent illo legato, & hæres vellet illud legatum redimere, quis obligaret per eam redemptionem, hos Clericos ad idem officium præſtandum, niſi tabulis ipſius redemptionis ita caueretur? nempe quia iſta redemptio non fuit ſolùm anticipata ſolutio huius legati, tunc enim maneret integra ſua obligatio Clericis, ſed eſſet redemptio vera illius oneris impoſiti hæreditati, quamuis illud legatum conditionatum eſſet reſpectu legatariorum, eóſque ad certas conditiones obligaret: quod idem prorsùs dico de iſta liberali donatione partis fructuũ beneficij facta clerico, cum aliqua conditione tamen alicuius actionis ſacræ exhibendæ, ſi ea frui velit, quam eleemoſynam, & donationem vtpote grauem beneficio excutere poterit illam redimendo beneficiarius, & non tantùm anticipatè ſoluendo: ideóque manet exolutus obligatione ſua penſio

penſionatius, ſicut & legatarius, quia & penſio, & legatum poſt illam redemptionem ampliùs non percipiuntur ab ipſis.

Monent porrò DD. omnes cum Garc. 1. *part. de beneficiis. cap.* 5. *num.* 23. ſtylum Curiæ non ferre iſtas redemptiones propria authoritate factas, ſed eas vt Simoniacas damnare.

CONSECTARIVM XII.

Soluuntur aliqui caſus ſingulares.

Ex ſuperiori conſectario facilè explicabis varias quæſtiones quas circa venditionem, & tranſlationem penſionum proponit Bonac. *diſp. de Simonia. quæſt.* 4. §. 13. conſulendum enim eſt ius antiquum vel nouum, vbi Pij V. Bulla viget. Diſtinguendum quoque forum internum ab externo propter ſtylum, qui harum penſionum venditionem, redemptionémque inconſulto ſummo Pontifice reiicit. Quarè eo monito dato, abſtineo à variis DD. ſententiis; nam alij ex iure nouo, alij ex iure antiquo loquuntur, alij quid faciendum ſit ſpectato ſtylo Curiæ dicunt, alij aliter de natura harum penſionum ſentiunt.

1 Primo circa tranſlationem penſionis in alium, certum eſt, neminem ita ſua authoritate illam transferre poſſe, vt beneficium maneat obligatum alteri; ſed tantùm quamdiu ipſe vretur illo iure, alius percipiat fructus penſionis, quæ eſt potiùs locatio, quàm tranſlatio. In illo autem caſu, quo Titius qui impetrauit penſionem pro ſe, vel pro alio, quem nominare vellet, cedit penſionem Caio cum reſeruatione fructuum per aliquot annos: Putat Bonacin. incurri Simoniam à Titio; mihi non ita videtur, vbi non eſt recepta Bulla Pij V. quia reuerà non dat niſi quid temporale Caio, cuius partem ſibi quidni retineat annuente Caio?

Secundo capitulum vicario, quem conſtituit in aliqua Parochia ſibi vnita, relinquit omnes decimas, alióſque prouentus modò ſibi ſingulis annis centum aureos reddat; deinde aliud pactum init cum eodem vicario, vt ſtatim ab initio redimat onus totius penſionis 500. aureis, aut dimidium 250. aureis, ita vt deinceps ſingulis annis teneatur ſoluere tantùm 50. aureos, quæritur an ſit Simoniaca illa pactio? Non enim erit iniuſta, quod enim ipſo fortaſſis primo anno moriturus ſit vicarius iſte, neque vnquam percepturus, quod eo initio donat, non facit iniuſtitiam, cùm etiam fortaſſis diutius victurus ſit, atque ita priuabitur capitulum per multos annos ſua penſione, & annuo prouentu. Cùm igitur ſit æquale periculum commodi, & incommodi ratione vtriuſque contrahentis, contractus erit iuſtus, vt in redemptione cenſus vitalitij quotidiè contingit. quod ad Simoniam autem, illam negat ſapienter Layman *cap. vltim. tract.* 10. *lib.* 4. *num.* 49. modò vicarius ad eam redemptionem non obligetur; Nam reuerà redimitur aliquid merè temporale, nempe pars fructuum, quam capitulo ſingulis annis debebat iſte vicarius, non debebit vero ad hanc redemptionem obligari vicarius, quia cùm vicaria, maximè perpetua, ſit beneficium, aut eius naturam imitetur, debet ſine pactione, & obligatione, quæ de iure non inſit, conferri, alioquin committitur Simonia ſaltem iuris, vt appellant Eccleſiaſtici. 2

3 Tertio pactum per quod reſignatarius

tius ſe obligat ad redimendam penſionem reſeruatam reſignanti, Simoniacum eſt, cùm imponat reſignatario onus pecunia æſtimabile, & quod de iure non ineſt, vti diximus aliàs cum Leſſio *capit.* 35. *numer.* 124 Gigante *quæſt.* 87. *de penſionibus*. Garc. 11. *parte de beneficiis, cap.* 3. *num.* 172. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 95. & aliis paſſim.

4 Quarto Epiſcopus, qui grauatus eſt penſione præſtanda Concionatori, Simoniacus eſt, ſi munus Concionatoris cum ea obligatione tribuat, vt patiatur ſtatim redimi penſionem. Ita Suar. *capit.* 26. *num.* 20. Layman, *loco citat.* quia concionum muneri imponit onus pecunia æſtimabile.

Quinto Titius qui Caium ad Parrochiam promoueri curat, ea conditione vt redimat penſionem, quam ex ea Parrochia percipit ipſe Titius, Simoniam committit, quia imponit Caio onus temporale.

CONSECTARIVM XIII.

An officia temporalia Eccleſiaſtica vendi, & alienari poſſint abſque Simonia.

1 Reſpond. & dico primo nullam in ea venditione committi Simoniam propriè dictam, ſiue contra ius naturale, & diuinum. Ita omnes. Quia hæc officia merè temporalia ſunt, ſicut & eorum actiones, vti expendenti conſtabit. Neque dicas, conferri per iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quæ ſpiritualis eſt, tum quia *quæſt.* 6. diximus actiones iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quatenus eſt eminenter politica, vti hoc loco, eſſe merè temporales; tum quia non emitur aut iuriſdictio Eccleſiaſtica, aut eius collatio, ſed ipſum officium temporale circa res Eccleſiæ, earum verb. gratia adminiſtratio temporalis, & tuitio.

Dico ſecundo lege nihilominus 2
Eccleſiaſtica ſanctiſſimè prohiberi horum officiorum temporalium venditionem; Nam *can.* 2. Concil. Chalcedonenſ. exauthorat illos, qui pecuniis corrupti aliquem ordinibus ſacris initiant, aut in Cleri numerum aſciſcunt, aut in Canonem Eccleſiaſticum promouent: ordinatos verò, aut in Clerum adſcriptos, aut in Canonem ea ratione promotos à dignitate, & curatione, ſiue adminiſtratione, quam pecuniis adepti fuerant, excidere, & alienos eſſe iubet. Huius turpis lucri mediatorem, & ſequeſtrum, ſi fuerit Clericus, exauthorari; ſin autem laicus, aut Monachus, anathematiſari mandat. In quo Canone ſapienter aduertunt Balſam. & Zonar. tres gradus diſtingui eorum, qui in Canone Eccleſiaſtico cenſentur, ſiue vt loquitur Synodus, ſunt Canonis τοῦ κάνονος, quorum duo priores in Clero quidem ſunt, poſtremus autem eorum, quamuis ad Canonem Eccleſiaſticum pertineat, in Clerum tamen non adſcribitur; quia reuerà Clericus non eſt, neque aut ordinatur, aut charactoriſatur, ſed promouetur tantùm. In ſupremo igitur gradu ſunt Epiſcopi, chorepiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui ordinantur χειροτονοῦνται. In ſecundo ſunt cantores, lectores, præſides, ἄρχοντες, & cæteri, qui charactere ſignantur σφραγίτονται. Sic enim Balſam. & Zonaras exponunt, quod dicit Canon aliquem eorum, qui in Clero numerantur τῶν κλήρῳ καθηριθμημένων. Nomine verò characteris intelligo

EEe ipſum

ipſum characterem Clericalem, qui in minoribus ordinibus confertur, & quem hi Scholiaſtæ nomine quoque χειροτονίας ſignificari volunt, eò quod iſta impreſſio characteris σφραγὶς non fiat ſine manus impoſitione διὰ χειρός. In vltimo ordine ſunt œconomi, chartularij, parimunarij, & ſimiles, qui promouentur προβάλλονται; promotio autem προβολὴ fit ſine impoſitione manuum, & ſine characteris impreſſione διὰ σφραγῖδος τελεῖται: & idcircò per ordinationem & impoſitionem manuum, atque characteris Clericalis tribuitur dignitas ἀξία; per promotionem autem curatio φρόντισμα duntaxat. Nihilominus ſanciunt PP. ordinationem, & characteris impreſſionem, ſiue numerationem in Clerum, & promotionem, ſiue recenſionem in Canonem Eccleſiaſticum gratis, & ſine pecunia fieri; alioquin iubent, ordinantes, & ordinandos χειροτονοῦντας, καὶ χειροτονουμένους, characterem tribuentes & recipientes σφραγίζοντας, ἢ σφραγιζομένους, promouentes denique, & promouendos προβαλλομένους, ἢ προβληθησομένους deponi, fiat, inquiunt, quiſque iſtorum alienus à dignitate, & curatione ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, quam pecuniis acquiſiuit χρήμασιν ἔτυχεν. Hunc porrò eundem Canonem allegat, atque ex eius præſcripto eiuſmodi officia vendi prohibet Vrban. II. in ſua decretali, quam ferè integram dabit Gratian. *cap. Saluator.* 1. *quaſt.* 3. idem denique cauetur *cap. conſulere. de Simonia.* Non inquiro autem diligētius hoc loco, quodnam ſit munus defenſoris, œconomi, caſtaldi, aduocati, iudicis, vice-domini, manſionarij, maioris-domus, aliáque officia, quæ partim in illo canone Chalcedonenſ. partim in Vrbani decretali, partim in aliquot canonib. 89. *diſt.* numerantur, & quæ dubio procul vendi prohibentur. De his enim commodior erit alibi diſputandi occaſio. Moneo duntaxat, inter hæc officia Eccleſiaſtica inuendibilia ex Eccleſiaſtica lege iure merito numerari à Suar. *libr. de Simonia. capit.* 29. munus ſacriſtæ, ſiue theſaurarij, & rerum ſacrarum cuſtodis, atque etiam primicerij, cuius meminit *C.* 1. 15. *diſt.* continet nempe aliquod miniſterium Eccleſiaſticum, & quod ad diſciplinam, & œconomiam Eccleſiaſticam magis quodammodo ſpiritualem ſpectat; eſt enim magiſterij quædam authoritas ad minores Clericos inſtruendos, & chorum dirigendum, vbi tamen nulla eſt iuriſdictio ſpiritualis, cum aliquando etiam laicis committi ſoleat. Officium ſacriſtæ habet adminiſtrationem quandam rerum Eccleſiæ; Vrbanus verò ex mente Chalcedon. canonis, omnem eiuſmodi adminiſtrationem vendi prohibet. Denique hi omnes ſunt in Canone Eccleſiæ, & ipſis φρόντισμα conuenit.

3 Dico tertio in hac nihilominus venditione contra prohibitionem Eccleſiaſticam facta non reperiri, niſi peccatum turpis lucri, & quæſtus, quod impropria quadam locutione Simoniam nominauit Vrbanus II.

Hanc aſſertionem non idcircò tantùm ponimus, quia nullam exiſtimamus dari veram Simoniam ex ſolo iure poſitiuo, vti *quaſt.* 3. *conſect.* 4. fuſiùs diſputauimus, ſed etiam quia licet eiuſmodi Simoniam lege Eccleſiaſtica inductam concederemus, ea tamen non repetiretur hoc loco, cùm Eccleſia prohibuerit

eiuſmodi

eiuſmodi venditionem officiorum Eccleſiaſticorum ad vitandum turpe lucrum, non autem Simoniam. Quod mihi manifeſto colligere videor ex Canone Chalcedonenſ. qui ſapienter diſtinxit ordinationem, & promotionem pecuniis factam; nam in illa venali *κειροτονίᾳ*, quo nomine ſignificat etiam *σφραγίδα*, & accenſionem in Clerum, ait Gratiam non venalem *τὴν ἄπρατον χάριν* deduci in venditionem *εἰς πρᾶσιν καταγᾶθαι*, in quo eſt vera Simonia: promotionem autem in Canonem fieri dicit turpis lucri gratia, *δι' αἰσχροκερδίαν οἰκείαν*: Cùm enim in ea promotione per pecunias comparata, nihil ſacrum, & non venale vendatur; Simonia non eſt, ſed turpe lucrum *αἰσχροκερδία οἰκεία* deinde ſubiungit, non eſſe proficiendum ex promotione, & ordinatione, quæ fit per mercimonia, *ἐκ τῆς κατ' ἐμπορίαν χειροτονίας, ἢ προβολῆς.* vbi voce *ἐμπορίας* vtitur Canon, quia illa ordinationi, & promotioni iſti communis eſt, cùm gratiæ, & rei ſacræ venalitas, ſiue Simonia ſoli chirotoniæ, ſiue manuum impoſitioni conueniat. Denique cum pænam ſequeſtro, & veluti proxenetæ huius mercimonij infligit, ait, illum eſſe mediatorem & turpibus, & nefariis lucris interuenire *μεσιτεύων τοῖς αἰσχροῖς, καὶ ἀθεμίτοις λήμμασιν.* vides igitur non niſi infamem auaritiam hoc loco damnari, non autem Simoniam.

4 Neque dicas, Vrban. in ſua decretali apertiſſimè damnare Simoniæ venditionem iſtam. Reſpond. enim, Vrbanum cum eodem modo de venditione rerum Eccleſiæ, quo nomine eius bona mobilia, & immobilia intelliguntur, loquatur, atque de venditione iſtorum officiorum, & in vtraque Simoniam agnoſcat, non poſſe exponi de Simonia etiam Eccleſiaſtica, quam in ea rerum Eccleſiaſticarum diſtractione, nemo hactenus agnouit. Itaque plura excogitarunt DD. circa hæc Vrbani verba, quæ expendit Barboſ. *in collectaneis ad cap. Saluator.* 1. *quæſt.* 3. ſanè illa diſtinctio, quam ibi adhibet Pontifex, dum ait, Simoniam eſſe vendere res Eccleſiæ in proprium lucrum, & non ob hoc ad quod ſunt inſtitutæ, difficilis omnino eſt; an enim qui ad bonum Eccleſiæ vendit eadem, non erit Simoniacus? cum illa intentio, & diſtinctio pretij in pios vſus nihil faciat ad Simoniam, quæ in venditione rei ſpiritualis conſiſtit; præterquam quod Vrban. res Eccleſiæ, atque bona ipſi à fidelibus oblata inter dona Dei, & Spiritus Sancti, quæ pecuniâ poſſideri nequeunt, connumerat. Quare duo in Simonia diſtinguenda ſunt. primum eſt auaritia, & infamis lucri cupiditas: alterum eſt venditio, & æſtimatio rerum ſpiritualium, quod ex priori tanquam ex praua radice naſcitur, quod in ipſo Simone oſtendit pluribus eo loco Vrbanus, aitque illum per ambitionem, & auaritiam quæſtus deliquiſſe. Vnde fit, vt non ſolùm Simoniam nominent aliquando PP. æſtimationem rerum ſpiritualium, ſed omnem illam auaritiam, quæ nos impellit, vt lucrum, & pecuniam ex rebus quibuſcunque Deo dicatis quæramus, execrabilem auaritiæ ardorem nominat Innocent. *cap. vltim.* 1. *quæſt.* 3. cum igitur res Eccleſiæ in proprium tantùm lucrum, & non in vſus, ad quos inſtitutæ ſunt, aliquis diſtrahit, in eo turpi quæſtu Simonem æmulatur, atque adeò Simoniacus

 dici

dici poteſt, non quod res ſpirituales vendat, ſed quia Simonia tunc in ampliori quadam ſignificatione vſurpatur, pro quocunque turpi lucro circa res quomodocunque ſacras, & Eccleſiaſticas, quia in his ſimilitudinarium quoddam ſacrilegium eſt in commutationibus, atque in ratione quadam communi, ſed analoga cum Simonia conuenit. Quod verò obiicit Suar. *cap.* 29. *num.* 15. hinc ſequi, nunquam probari poſſe ex iure Simoniam committi, quia illud licebit de turpi quæſtu interpretari, atque Simoniæ vocem de eius radice expon re; facilè ſoluitur, nam ex ſubiecta materia, & rebus circa quas Simonia committi dicitur in ſingulis caſibus, ac demum ex variis circumſtantiis iudicabimus, an ſermo ſit de propria Simonia, an de impropria duntaxat. Placet nihilominus, quod obſeruat Suar. *ibid. num. vltim.* Vrbanum per res Eccleſiæ intellexiſſe adminiſtrationes Eccleſiaſticas rerum ipſius, illæ enim vendi dicuntur, quando officia, quibus annexæ ſunt, venduntur; immò non venduntur, emuntúrve illa officia niſi propter lucrum, quod ex cura rerum Eccleſiaſticarum obuenire poteſt.

CONSECTARIVM XIV.

Quo iure vendatur Clericatus, & Auditoriatus Cameræ in curia Romana.

Reſpond in his duobus officiis diſtinguendam eſſe iuriſdictionem Eccleſiaſticam quæ Clerico, & Auditori confertur, ab emolumento temporali illi coniuncto. Iuriſdictio neque venditur, neque vendi poteſt à Pontifice, cùm ſit aliquid ſpirituale ex quæſt. 6. At verò emolumentum temporale per ſe ſpectatum vendibile eſt, coniunctum autem ſpirituali iuri, ac iuriſdictioni conſequenter, vendi nequit, alioquin ipſamet iuriſdictio venderetur. Quare Pontifex hæc duo iure tantùm Eccleſiaſtico connexa, ſeparat, & iuſtas ob cauſas confert iuriſdictionem retéro ſibi temporali emolumento, quod ſimul vendit illi ipſi, cui contulit iuriſdictionem, à qua diuulſum, & ſeparatum fuerat tale emolumentum, vti in beneficiis explicauimus in noſtra propoſitione vniuerſali. Ita Suar. *lib. de Simon. cap.* 20. *num.* 6. & *cap.* 14. *num.* 28. Ferdinand. à Caſtro. *diſp. de Simon. pa.* 12. *num.* 7.

CONSECTARIVM XV.

An pactio oneroſa, ſiue tranſactio ad componendam litem beneficialem, ſit Simoniaca.

1 Explicanda paucis eſt natura tranſactionis ex iis, quæ de contractibus diſputantes fuſiùs aliàs tradidimus. Eſt igitur tranſactio, de re dubia & controuerſa, pactio non gratuita. Ita Panormitan. *in Rubric. de tranſaction.* Syluelt. *ver. tranſactio.* & Molina. *tractat.* 2. *diſputat.* 556. & aperè colligitur ex *l.* 1. *ff. de tranſactionib.* & *l. tranſactio. C. eodem.* Dicitur pactio non gratuita, quia vtrique tranſigenti onus aliquod imponitur, vni quidem, vt iure quod prætendit, cedat; alteri, vt illud ius, aut rem ſibi ceſſam compenſet. Si enim vni res dubia abſque vllo onere, aut compenſatione concederetur, eſſet vel donatio, vel compoſitio. Hinc

l. 38.

l. 38. C. de transaction. dicitur, *transactio nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo minimè procedit*. Eſt prætereà tranſactio de re dubia, ſi enim alterutri tranſigenti conſtaret, eſſe alterius, iniuſta, & inualida foret tranſactio, tum in conſcientia, tum etiam in foro externo. *l. in ſumma. ff. de condict. indebiti.* & *l. præſes. C. de tranſaction.* ſi actor tranſegit ſciens rem ad alterum pertinere, tranſactio erit ipſo iure nulla ex Panorm. *cap. ſuper eo. de tranſaction. ſub fin.* ſi autem reus tranſegit ſciens rem ad actorem pertinere, valida quidem erit tranſactio in foro externo, actor tamen vti poterit actione doli, vt ea tranſactio reſcindatur. *l. ſub prætextu. 1. C. de tranſaction.* quam actionem biennio durare affirmat *ibid.* gloſſa. Addidi hanc rem non modò dubiam, ſed etiam controuerſam eſſe debere; ita vt vel lis de ea mota ſit, vel moueri ſaltem poſſit, tunc locum eſſe tranſactioni manifeſtò colligitur ex *l. 2. C. de tranſaction. Propter timorem litis*, inquit, *tranſactione interpoſita pecunia rectè cauta intelligitur.* Idipſum etiam nomen ipſum tranſactionis ſonat, ſic enim dicitur, quaſi ſit tranſitio actionis, eò quod nimirum tranſeat, ſiue recedat ab actione ſibi competente; idcircò etiam obſeruat Cuiac. *lib. 10. obſeruat. cap. 30.* de tranſactionibus tractari poſt titulum *de in ius vocando*, eadem ratione, qua & *de cautionibus iudicio ſiſti*, quia ſcilicet in ius vocati non dimittuntur, niſi vel cauerint iudicio ſiſti, vel de re tranſegerint *l. 5. §. vlt. ff. qui ſatiſd. cog. l. neque de in ius voc.* & quia etiam hi, qui cauerunt iudicio ſiſti, non aliter ea obligatione liberantur, quàm ſi ad diem venerint, vel ante eum diem tranſegerint. Et prætereà non alia ratione poſt editam actionem, vel etiam hodie poſt vocationem in ius, ei vnde petitur, datur conſultandi tempus, quàm vt ſit ei interim ſpatium amicè cum aduerſario de omni controuerſia tranſigendi. *nou. 23.* ideóque Baſilica non malè in *l. 1. D. de edēdo* cedere accipiunt pro διαλύσασθαι. Igitur tractatui *de edendo*, & *de in ius vocando*, rectè applicatur is, qui eſt *de cautionibus iudicio ſiſti*, & *de tranſactionibus*, quæ rem dubiam, & controuerſam, ſiue lis iam intentata ſit, ſiue proximè intentanda, ſiue denique intentari poſſit, prout materia poſtulat, vnde fit, non poſſe tranſigi circa rem, de qua lata eſt ſententia, ſi iam tranſierit in rem iudicatam. *l. ſi cauſa C. de tranſaction.* & *l. eleganter. ff. de condict. indebiti*, quia res illa ampliùs dubia non eſt, niſi propter aliquod remedium, vt reſtitutionem in integrum, denuò eadem de re controuerti poſſit, aut ignoretur, ſententiam eſſe latam. quia ſatis eſt haberi rem dubiam à tranſigentibus, dum contrahunt, etiamſi reuerà dubia non ſit. Ex his porrò ſequitur, tranſactionem eſſe contractum onerosum, & quoties in materia beneficiali, aut alia quapiam ſpirituali fit, rem illam ſpiritualem, de qua diſceptatur, vni relinqui, & alteri in eius compenſationem aliquid aliud dari ex pacto, & obligatione, ideóque diſtinguitur ab amica compoſitione, quæ eſt gratuita donatio, in ea enim vnus alteri cedit gratis totum ſuum ius actionis, & rem de qua controuertebatur; quam licitam eſſe in omni controuerſia ſpirituali, nemo negabit; habetúrque *in cap. ſuper eo. de tranſactionibus*, vbi *ſi inter ſe gratis, & amicabiliter componunt, nequaquam ſacris Canonibus obuiare dicuntur.* Quia nimirum Canones, qui illicitas pactiones in ſpiritualibus reiiciunt, nequaquam huic

amicabili compoſitioni repugnant, vt *ibid.* interpretatur gloſſa. Neque ea in re Prælati authoritas requiritur, quod obſeruauit Panorm. *in illud caput*; niſi fortaſſis aliqua noua, aut inſtitutio, aut collatio facienda eſſet: hinc enim non vi tranſactionis, ſed ratione nouæ collationis ſuperioris authoritas requireretur. Tota igitur noſtri Conſectarij difficultas eſt in oneroſa tranſactione circa ſpiritualia, an ea licita ſit, an verò Simoniaca.

2. Dico igitur, omnem tranſactionem in qua dimittitur ſpirituale pro temporali, Simoniacā eſſe. Ita Canoniſtæ in *cap. ſuper eò. de tranſaction.* Summiſtæ *ver. tranſactio*, quibus omnes Theologi conſentiunt. *Tranſigi ſuper re ſacra* (inquit cap. *ſuper eo*) *litigioſa non poteſt: etenim res ſacra vt poſſideantur, aliquo dato, vel retento, ſiue promiſſo, ſpeciem credimus habere Simoniæ.* Ratio perſpicua eſt, quia in ea tranſactione reperitur permutatio temporalis pro ſpirituali, ita vt vnum ſit compenſatio alterius; ius enim ſpirituale ceditur illi, quod vel eo carebat, vel non niſi dubium illud habebat; quare ceſſione ſui collitigantis illud iam firmiter retinet, & in compenſationem dat aliquid temporale, quæ eſt manifeſtiſſima Simonia.

Hinc fit primo, vt non liceat data pecunia tranſigere de Iuriſdictione ſacra litigioſa; idcircò Cæleſtin. III. *cap.* 10. *de tranſact.* tranſactionem, per quam cella quædam eximebatur à ſubiectione matricis Eccleſiæ ſub onere cenſus alicuius annui, *Simoniacam iniquitatem continuiſſe* dicit.

Secundo non licet componere litem beneficialem dando pecuniam actori, vt deſiſtat, aut dando illi beneficium, & recipiendo pecuniam. Idcircò Alexand. III. *capit. conſtitutus. de tranſaction.* irritam dicit tranſactionem, per quam controuerſia circa Capellam de Stratis ſopita fuerat; eò quod ſpeciem contineret Simoniæ. Quomodò verò penſio, aut aliquid aliud ab iudice arbitro poſſit imponi, ſtatim inquiram.

Tertio pro iure patronatus, aut iure præſentationis non licet tranſigere dato aliquo temporali. Idcircò Luc. III. *cap. 9. de tranſaction.* litem inter laicos, & Religioſos de præſentatione ita compoſitam vt laicis maneret præſentatio, Religioſis verò noua, vel maior portio obueniret, cùm priùs vel nullam, vel minorem tantùm haberent, pactionem Simoniacam dixit.

Quarto tranſigere de reliquiis, aliiſve rebus ſpiritualibus, & ſacris data pecunia, eodem modo Simoniacum eſt, vt patet.

Quinto idem dicendum eſt de rebus temporalibus, quæ annectuntur etiam antecedenter ſpiritualibus, ſi enim ratione ſpiritualis annexi, aliquid detur in ea tranſactione, reuerà committitur Simonia.

Dico ſecundo; tranſactio, in qua vnum ſpirituale datur pro alio proportionato extra materiam beneficialem, non eſt Simoniaca. Ita paſſim tradunt Canoniſtæ *in cap. ſuper eo. de tranſaction.* eſtque ratio manifeſtiſſima ex his, quæ fusè diſputauimus *quæſtion.* 11. de pretio Simoniaco, quod neceſſariò debet eſſe aliquid temporale, ſi enim eſt aliud ſpirituale, nulla fit iniuria rei ſpirituali, pro qua datur, in qua tamen iniuria rationem, & prauitatem Simoniæ conſtituebamus: idcircò diximus *in pluribus conſectariis* 3.

ctariis permutationem rerum ſpiritualium inter ſe minime Simoniacam eſſe ex natura rei. Si verò agamus de iure Eccleſiaſtico, quod aliquam Simoniam ſaltem analogam, & impropriam, & quæ iiſdem pœnis cum vera Simonia ſubiaceat, conſternit; *ibidem* oſtendimus illud non loqui niſi de commutatione beneficiorum, quam idcircò in noſtra aſſertione excepimus; omnia autem iura quæ reiiciunt omnem pactionem circa ſpiritualia, explicanda eſſe monuimus cum gloſſa *in cap. quam pio. 1. quæſt. 2. ver. pactio.* de pactione inhoneſta, in qua nimirum datur turpiter temporale pro ſpirituali in eius iniuriam; in hac autem tranſactione, in qua vnum ſpirituale datur pro alio, cum reperiatur quędam commutatio, ſeruari oportet omnes conditiones neceſſarias ad permutationem ſpiritualium inter ſe *quæſt. cit.* à nobis allatas *in conſectariis*, maximè vt ſpiritualia ſint eiuſdem ordinis, & proportionata; nam ſi annexum ſpirituali commutetur cum purè ſpirituali, aut ſpirituali annexum antecedenter cum ſpirituali annexo conſequenter; ſuſpicio erit Simoniæ, eò quod ſpirituale videatur dari pro temporali connexo.

Non requirebam verò in mea propoſitione authoritatem ſuperioris ad iſtam tranſactionem ex vi tranſactionis ſolius, non apparet enim, cur ea poſtuletur ad purgandam Simonię labem, quæ nulla prorsùs apparet: Si tamen res ſpiritualis, quæ datur in compenſationem, nequeat conferri ſine authoritate Epiſcopi, aut contineat bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, aliúdve ſimile, tunc ex eo capite adeundus quidem erit ſuperior, non tamen vi tranſactionis, quod vnum contendebam.

Hinc fit primo vt iſta tranſactio fieri poſſit inter Epiſcopos contendentes de iuriſdictione, vt vnus verbi gratia ſibi partem vnam retineat, alter aliam; aut vni iuriſdictio, alteri prouiſio beneficiorum maneat, aut alternatim viſitent. Secundo in lite decimarum poſſunt de earum diuiſione inter ſe conuenire. Tertio in ſimili controuerſia reliquiarum ſimilis quoque diuiſio fiet, aut omnes vni relinquantur. Alter verò vel alias reliquias, vel quid aliud ſpirituale in compenſationem conferat: videndum tamen ne theca reliquiarum detur in eiuſmodi compenſationem, illa enim eſt aliquid temporale, & ratione illius committeretur Simonia.

DICO tertio tranſactionem in materia beneficiali, in qua vnum beneficium detur pro alio, aut aliquid ſpirituale, fieri non poſſe abſque conſenſu ſuperioris, alioquin committitur Simonia impropria iuris poſitiui. Ita DD. paſſim *in cap. conſtitutus. de tranſactionib.* contra Barboſam, *in collectan. ad illud caput*, eò quod omnia iura, quæ tranſactionem ſuper beneficio litigioſo damnant, loquantur tantùm de ea tranſactione, in qua aliquid temporale datur pro beneficio litigioſo, non verò quando datur aliud beneficium, aut quidpiam ſpirituale, quod & ipſe fateor Vnde ſentio cum Barboſa ex iuribus illis non poſſe probari communem ſententiam, quam tamen mihi perſuadet prohibitio commutationis beneficiorum priuata authoritate factæ, quam fuſiùs oſtendimus q. 12. in pluribus conſectariis; commutationem verò in hac tranſactione includi, nemo non videt, præterquam quod in his noua aut reſignatione, aut collatione opus eſt; quæ omnia conſenſum ſuperioris requirunt. 4

Quarè pactio, vt litigans retineat pingue

pingue beneficium, de quo lis eſt, & collitiganti tenue tradat, aut vt vnus ſibi partem beneficij retineat, alteram tradat, aut collitigantem in Vicarium, aut Coadiutorem aſſumat, aut penſionem illi ſoluat, aut ſi controuerſia ſit de pluribus beneficiis, vt quiſque collitigãtium vnum retineat; hæ, inquam, pactiones priuata authoritate factæ, illicitæ ſunt. Si tamen duo beneficiati habeant litem viciſſim ſuper beneficio alterius, poterit vnus cedere liti, modò alter cedat, quia tunc non fit tranſactio ſuper beneficio, ſed ſuper iure litigandi, quod nullo iure prohibetur. Ita Suar. *lib. de Simon. cap.* 50. *num.* 15. Bonac. *diſp. de Simonia. quæſt.* 4. §. 15. *num.* 8.

5 Dico quarto tranſactionem in materia beneficiali fieri poſſe authoritate Epiſcopi ſolius, aut etiam arbitratorum, modò ex natura ſua Simoniaca non ſit.

Prima pars de authoritate Epiſcopi, patet ex eo quod permutatio beneficiorum fieri poſſit authoritate Epiſcopi ex *quæſt.* 12. hic autem eſt quædam permutatio, vti diximus. Deinde nullibi prohibetur ea tranſactio, immò probari videtur in ſimili de iure decimarum. *cap. ſtatuimus, de tranſactionibus.*

Secunda pars de arbitris, ſiue illi ſint iudices ordinarij, aut delegati cauſæ, ſiue non ſint; traditur à Suar. *cap.* 51. *cit. ſub fin.* Ferdinand. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punc.* 19. *ſub fin.* Bonac. *paragr.* 15. *cit.* atque aliis communiter quia nullibi reperitur id eſſe prohibitum; cùm tamen tota iſta cauſa, de qua agitur, ſit Eccleſiaſtica debebunt hi arbitratores eſſe Clerici, quod Reginald. *lib.* 23. *fori. num.* 257. & alij obſeruant. Si tamen ea cauſa vel mixti fori eſſet, vel ex priuilegio, aut alia quapiam ratione apud laicos iudices diſceptaretur, poſſent & ipſi laici eligi in arbitratores Neque difficultas eſt hoc loco, quando in tranſactione non imponitur alteri parti onus aliquod temporale, tunc enim quæritur, an iſti arbitratores non Epiſcopi poſſint illud imponere, quod ſtatim dicam.

Dico quinto Epiſcopum poſſe ita dirimere litem beneficialem, vt vni beneficium litigioſum adiudicet cum onere ſoluendi alteri, vel onus aliquod temporale, vel etiam penſionem annuam. In Hoſtienſ. Panorm. aliique *in cap. niſi, de præbendis.* Suar. *cap.* 51. *num.* 17. Ferdinand. & Bonac. *locis cit.* & qui plures alios dabunt Gigas *quæſt.* 6. *de penſion. num.* 3. & 4. & Garc. 1. *pa. de benefi. cap.* 5. *à n.* 295. omnes enim qui aliquo caſu concedunt Epiſcopo facultatem imponendi penſionem, maximè agunt de hoc caſu concordiæ, & pacis, vti loquuntur Et *in cap. niſi. de præbendis.* compoſitio eiuſmodi expreſſiſſimè approbatur, ideóque gloſſa negat conſimilem textum illi reperiri in toto iure. 6

Neque Simonia vlla committitur, quia non imponitur retinenti beneficium iſtud litigioſum, temporale eiuſmodi onus, aut penſio in pretium, & compenſationem beneficij, ſed alias ob cauſas, nimirum in compenſationem laborum, & expenſarum, quas in litigando fruſtra faceret, in neceſſariam ſuſtentationem perſonæ, quæ à iure, & actione deſiſtit in bonum pacis, & concordiæ, quæ ipſi etiam tranſigenti vtilis eſt.

Dico ſexto hanc penſionem annuam imponi poſſe in iſta tranſactione ad vitam penſionarij, ita vt tranſeat etiam ad ſucceſſores ipſius beneficiarij, ſi decedat ante penſionarium, quod eſt, illam imponi beneficio, non tantùm beneficiario. Ita Gigas *q.* 6. *de penſion.* 7

penſion. & *q.* 85. Panorm. Cardin. alióſque referens. Redoan. 2.*part.de Simon. cap*.4. *numero* 14. & *cap*. 21. *num*.36.Suar. *cap*.51. *cit*. Ferdinand. *tract*.17.*diſp*.3.*punct*.19.*num*.5.contra Azor.2.*part*. *lib*.8 *cap*.6. *quæſt*.1. Garc.1.*part.de benefic.c*.5. *num*.334. Reginald.*lib*.23. *num*. 259. Bonac. *diſp.de Simon.quæſt*.4.§.15.*num*.9. & alios à Barboſ. relatos *in c. niſi eſſem. de præbendis,num*.7. quia in *cap.de cætero.de tranſaction*. dicitur, penſionem impoſitam per tranſactionem iuridicam,non durare vltra vitam ſoluentis. Igitur ſi Epiſcopi authoritate fuiſſet impoſita, potuiſſet excedere vitam ſoluentis Et fruſtrà obiicitur *cap. niſi de præbend.* vbi Pontifex compoſitionem factam ab arbitris, vt beneficium maneret vni litiganti cum onere ſoluendi certam pecuniam collitiganti,approbat,modò perſona beneficiarij maneat obligata, non autem ipſum beneficium.Nam ea penſio impoſita fuerat à ſolis iudicibus arbitris, non autem ab Epiſcopo,cui ſoli concedimus hanc poteſtatem onerandi penſione beneficium. Neque ratio, quæ illo loco redditur à Pontifice,fauet aduerſariis, nimirum ne facta videatur aliqua ſectio fructuum beneficij, quod æquè fieret, ſi Prælatus eiuſmodi penſionem imponeret;nam negamus, hanc ſectionem eſſe prohibitam iuſtas ob cauſas Epiſcopis, ſed ſolùm aliis iudicibus, aut arbitris, neque ex eo textu contrarium colligunt aduerſarij.

Dices:cap. *veniens.de tranſaction.* tranſactio quædam circa decimas,niſi confirmata fuerit authoritate Apoſtolica, inter perſonas potiùs, quàm ipſas Eccleſias facta fuiſſe dicitur; vt igitur Eccleſias, & beneficia tranſactio oneret, authoritas Apoſtolica requiritur.

Reſpond. eo *cap*. agi de imminutione perpetua decimarum, ita vt Monachi de duabus carrucatis terræ, quas in dominio S. Mariæ de Marchia tenebant, tertiam tantùm decimarum partem exoluerent; mirum itaque videri non debet, ſi Pontifex compoſitionem, per quam ius alicuius Eccleſiæ in perpetuum minuebatur, voluerit authoritate Apoſtolica confirmari.

Dices 2.nullam eſſe cauſam,propter quam oneretur beneficium, itàque penſio tranſeat ad ſucceſſorem, quandoquidem agitur tantùm de iure huius beneficiarij. Reſpond.ius ad hoc beneficium non poſſe tranſire niſi dubium, & litigioſum ad ſucceſſores, quandiù iſte collitigans non ceſſerit ſuæ actioni, aut de illo iure diſceptare poterit. Quarè ea compoſitio ſpectat etiam ad ſucceſſorem huius beneficiarij,qui alioquin à collitigante moleſtiam pati,& in ius vocari poſſet; igitur manent eædem cauſæ imponendæ penſionis ad vitam penſionarij collitigantis.

Dico ſeptimo hanc penſionem imponi non poſſe ab Epiſcopo, ſi collitigantes priùs de ea inter ſeſe conuenirent.Ita Garcias plurimos adducens 1.*part.de benefi.c*.5.à *n*.341. 7

Probatur,quia in *cap.niſi.de præbendis*, dicitur, *non ex pactione partium, ſed ex iuſſione iudicum*,imponi potuiſſe penſionem, de qua ibi in tranſactione litis ſuper quodam Prioratu. Ratio eſt, quia præſumitur in præuia illa conuentione Simonia; hæc tamen pactio debet eſſe abſoluta, & non tantùm conditionata,ſine ſuppoſito conſenſu ſuperioris, cui rem totam exponere volunt, neque ante illum conſenſum quidquam paciſcuntur. Ita Vgolin. *tab*. 1.° *de Simonia, capite* 28. *paragr*. 2. *numero* 2. Suar.

FFf *lib*.

lib. de Simon. cap. 51. *numer.* 20. de la Torre. *de Religione*, *quæſt.* 100. *art.* 5. *diſput.* 12. & Bonac. *diſput. de Simon. quæſt.* 4. *paragr.* 15. *n.* 10. neque ſanè video, cur partes nequeant petere ab Epiſcopo, quod ipſe facere poteſt, nequeunt vero, niſi priùs inter ſe de eo tractauerint. Qua ſimili ratione argumentabamur de permutationibus beneficiorum. *q.* 12. in *cap.* autem *conſtitut. de tranſact.* pactio inter collitigantes abſoluta fuerat, & omninò firmata, *fide præſtita*, hoc eſt, vti interpretatur gloſſa, iuramento, idcircò *tanquam Simoniæ ſpeciem continens* irritatur. Idem dico de duabus illis tranſactionibus reprobatis *in cap. præterea.* 1. *&* 2. *eod. titul.* nam priuata authoritate, & ſine Epiſcopi conſenſu omninò firmatę fuerant: quod idem dico de pactione dandi tres marchas argenti à Monachis de Acia Clerico cuidam, vt liti cederet, ita enim abſolutè pacti fuerant, illicitè omninò, & Simoniacè, & voluerunt deinde tam iniquæ pactioni robur à ſede Apoſtolica arceſſere, quod Alexand. III. iure merito recuſauit *cap. cum pridem. de pactis.* neque video, cur ex his capitibus Suar. colligat penſionem temporalem, non poſſe imponi ab Epiſcopo, aut iudice delegato, ad inſtantiam partium, id enim non ferunt iſtæ Pontificum reſponſiones, vt vides.

9 Dico octauo arbitratores electi ad componendam litem beneficialem, non poſſe quidem imponere penſionem annuam retinenti beneficium, abſque conſenſu Epiſcopi, poſſe tamen onus temporale imponere ſiue ipſi ſint iudices ordinarij, ſiue delegati, ſiue arbitratores, alij electi. Et primo quidem penſionem non poſſe imponi ſine ordinarij conſenſu, docent Suar. & Ferdinand. *locis citatis*, aliíque paſſim; quia ius nullibi id concedit, & alioquin iſta penſio quæ eſt veluti quædam ſectio beneficij, ipſam authoritatem Prælati ex ſua natura deſiderat.

Secundo quoad onus temporale à quibuſcunque arbitratoribus electis, etiam non cauſæ iudicibus imponi poſſe probatur ex *cap.* 2. *de arbitris.* vbi arbitri non erant iudices, ſed alij quidam Clerici, illi autem aliquam præſtationem temporalem præſcripſerant, mandátque Pontifex, vt compellantur partes ad ſeruandum illud arbitrium, ſi fuerit æquitate ſubnixum; poterit igitur eſſe æquum tale arbitrium, vti aduertit *ibidem* Panorm. atque ita ſentiunt Suar. Ferdinand. Bonac. aliíque.

QVÆSTIO XXI.

De Simonia confidentiali.

PRima difficultas quid ſit Simonia confidentalis.

II. Quibus modis committatur.

III. quænam ſit eius materia.

IV. Quibus actionibus committatur.

V. Quodnam ſit pretium in hac Simonia.

VI. Quo iure prohibita ſit confidentia.

Hæc Simonia in ſolis beneficiis reperitur, & quamuis eius aliqua veſtigia in iure commmuni liceat obſeruare, damnata tamen maxime fuit à Pio IV. in Bulla anno 1564. 17. Calend. Nou. anno 5. eius Pontificatus, quæ incipit, *Romanum Pontificem.* quam deinde confirmauit, & declarauit Pius V. anno

no 1568. die 5. Ianuar. & iterum anno 1569. Calend. Iunij, quæ incipit, *intolerabilis.* ex quibus, quæ ad hanc Simoniam ſpectant, explicanda ſunt.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid ſit Simonia Confidentialis.

Omiſſis igitur variis definitionibus, quas expendit Flamin. *quæſt.* 1. *de confident, à numero* 46. hæc omnium mihi commodiſſima videtur. *Confidentia beneficialis* eſt, quæcunque reſignatio, collatio, prouiſio, aliáve procuratio beneficij Eccleſiaſtici cum expreſſo, vel tacito pacto, vt is, cui tale beneficium procuratur, elapſo aliquo tempore ipſimet procuranti, conferenti, reſignanti, & alio modo prouidenti, vel alteri perſonæ à procurante deſignatæ reſtituat, vel certam penſionem, aut partem fructuum illi, aut alteri præſtet. Vel, *Simonia confidentialis*, eſt reſignatio, aut prouiſio quæcunque beneficij, retento ſibi, aut alteri iure regreſſus, ingreſſus, vel acceſſus, aut penſione annua, aliáve parte fructuum reſeruata. Quæ poſterior definitio breuior, & clarior eſt.

1 Dixi igitur, hanc Simoniam conſiſtere in reſignationibus, & prouiſionibus quibuſcunque beneficiorum, nempe dum renuntiat quis ſuo beneficio cum pacto illud iterum repetendi, aut vt alteri, quem deſignat, aut deſignabit, reſtituatur. Per prouiſionem autem beneficij intelligo præſentationem, electionem, collationem, confirmationem, aliúmve omnem modum prouidendi, aut procurandi beneficium; in his enim omnibus actionibus poteſt committi confidentia, ſi nimirum ille, qui eligitur, confirmatur, nominatur, præſentatur, & quomodocunque recipit beneficium, promittat ſe collatori, præſentatori, commendanti, conferenti, & quomodocunque procuranti beneficium, reſtituturum, aut alteri, quem deſignabit, aut ſaltem partem aliquam fructuum reſeruaturum.

Secundo requirebam pactum tacitum, vel expreſſum, quia ſine eiuſmodi pactione, non erit Simonia, quamuis ſit aliqua ſpes recuperandi beneficium ſibi, aut alteri, aut obtinendæ alicuius partis fructuum; immò etiamſi procuretur beneficium ea intentione, niſi intendatur obligatio in accipiente illud reſtituendi. Ita Nauarr. *cap.* 23. *num.* 109. Suar. *lib. de Simon. cap.* 43. *numero* 12. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *numero* 95. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 22. Flamini. *quæſtio. prima de confident. numer.* 49. *& ſeq.* vbi vult prouideri beneficium cum pacto, modo, vel conditione tacita, aut expreſſa; & fuſiſſime *quæſtio.* 26. vbi plures alios, & Rotæ deciſiones refert. Probatur, tum quia Simonia non fit ſine pacto, ſaltem externa, & quæ punibilis eſt; interna autem non intelligitur ſine voluntate obligandi alium ad dandum ſpirituale pro temporali, aut è contrario; tum quia confidentia ſonat ſimultaneam fidem, & conſilium, ac conuentionem. Præterea in ipſa conſtitutione Pij V. *paragr. itidem,* ſi ordinarius, vel alius collator contulerit beneficium Eccleſiaſticum, quouis modo vacans ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum pro arbitrio collatoris &c. contra iuris communis ordinationem diſponatur. 2

Malè autem obiiciuntur à Maſcard. 3 de

de probat.con. 1306. & aliis, verba eiuſdem Pij V. *paragr. quare nos volentes. Vt ſi quis ea intentione receperit beneficium, vt illud in cauſa regreſſus* &c. *dimittat, reus ſit huius Simoniæ*: Nam ea verba declarantur per ſubſequentia à nobis allata *ea conditione* tacita, vel expreſſa. Quod in omni iure fieri colligitur ex *l. ſi ſeruus plurium. §. vlt. ff. de legat.* 1. deinde id intelligitur de intentione conferentis nota ei qui recipit, qui illi intentioni videatur aſſentiri,& impoſitam ſibi obligationem, eo ipſo quod admittit beneficium ea intentione ſibi collatum; idque ſatis indicant ipſa verba Pontificis, & totius Bullæ tenor, quandoquidem accipientem beneficium eiuſmodi intentione ſibi datum, damnat Simoniæ, & omnibus eius pænis illum ſubiicit; quod abſurdum omninò foret, vti argumentatur Gabriel *Conſili.*172.*num.*4. cum intentio vnius partis non poſſit nocere alteri ipſam ignoranti, & bonam fortaſſis habenti, eſtque vulgatiſſima Regula, Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *Regula.*74 *ff.de Regul. iuris.* quin immò ex ipſo contextu conſtitutionis, colligitur iſtum recipientem beneficium,& qui fidem ſuam obligat alienæ voluntati, magis peccare, cùm ad eum præcipuè dirigantur; non poteſt autem dici quis aut peccare, aut retinere in confidentiam beneficium ex aliena tantùm voluntate ſibi ignota. Addit denique Nauarr. *cap.*23. *num.* 110.*notab.*6.probata ſola ea intentione præſumi Simoniam, atque adeò puniri in foro externo. In *conſil.* tamen 27. *de Simon. numero* 2. id retractat,negátque præſumi Simoniam niſi aut probetur ſimilis intentio recipientis beneficium, aut ſaltem illi notam fuiſſe intentionem illud procurantis. Faceturque Flamini. *illa quæſt.* 26. dubiam eſſe mentem Pontificis, illúmque conſulendum, vt nouis litteris eiuſmodi verba declaret. Ex hac porrò neceſſitate pacti taciti, vel expreſſi ad committendam Simoniam confidentialem plurima infert Flamini. tota illa *quæſtion.* 6. quæ tu ipſe facilè colliges, eo enim omnia ſpectant, vt quoties erit tantùm aut ſpes, aut intentio, aut voluntas recuperandi ſibi, aut aliis beneficium prouiſum, aut etiam animus illud ad voluntatem prouidentis dimittendi, nulla ſit Simonia neque conuentionalis defectu pactionis, neque etiam mentalis defectu voluntatis obligandi ad eam dimiſſionem, immò niſi ſit confidentia, ſpes, aut animus, vt dimittatur beneficium indigno, non erit praua ea intentio, ſpes, aut fiducia, ſecluſa intentione obligandi ad talem dimiſſionem.

SECVNDA DIFFICVLTAS

Quibus modis committatur Simonia confidentialis.

Quatuor aſſignaui in ſuperiori 4
definitione. Primum eſt, quando prouiſor quomodocunque beneficij Eccleſiaſtici ſibi, aut alteri retinet ius regreſſus ad illud, hoc eſt, rurſus illud recuperandi in euentum, quo reſignatarius, aut de beneficio prouiſus, naturaliter, aut ciuiliter præmoriatur, aut fiat Epiſcopus, aut penſionem non ſoluat, aut ob aliquam aliam conditionem.

Secundum eſt ingreſſus,cum beneficium

ficium alteri reſigno ante captam eius poſſeſſionem, ſeruato mihi iure ingrediendi illam poſſeſſionem, poſita quadam conditione, vt ſi præmoriatur reſignatarius, aut ſi aliud beneficium obtineat, aut ſi coniugem ducat.

Tertius modus dicitur acceſſus, quando ita confertur alteri beneficium, vt mihi fortaſſis modò incapaci illud obtinendi, ſeruetur ius, quo, vbi primum ſublata fuerint impedimenta ſiue ætatis, ſiue alia quæpiam, liceat propria authoritate beneficium eiuſmodi accedere, aut accipere. In quibus omnibus modis eſt in prouidente beneficium ius quoddam repetendi illud ſibi, aut alteri; in accipiente autem eſt onus, & obligatio, ſeu ſeruitus quædam, per quam tum beneficium manet ipſi obligatum, tum nouus beneficiarius, ſiue reſignatarius, aut quomodocunque illud accipiens tenetur illud dimittere certo quodam tempore, aut poſita certa conditione, vt prouiſor, aut quem ipſe deſignauerit, ad illud ingrediatur, regrediatur, aut accedat.

Quartus modus eſt, quando procuratur alicui beneficium, vt ex eo penſio ſibi, aut alteri ſoluatur, aut pars fructuum retineatur. Circa hunc porrò modum diſputatur, an quando penſio. aut pars fructuum ipſi dimittẽti reſeruatur, ſit Simonia, de qua agimus; an verò quando alij iſta ſoluuntur, hoc enim poſtremum affirmat Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 12. §. 1. Nauarr. *conſil.* 76. *num.* 6. in *additionibus* autem *ad conſi.* 78. dicit, hanc Pij V. Bullam ita intellectam, & vſu receptam fuiſſe. Garc. *part.* 11. *cap.* 3. §. 2. *num.* 193. teſtatur in quibuſdam Romæ impreſſis legi *alij, vel aliis*, non autem *illi, vel aliis*, vti eſſet legendum, vt reſeruatio fructuum, aut penſionis dimittenti beneficium in ea conſtitutione damnaretur, ſequiturque Menoch. *de arbitra. centu.* 6. *caſu addito* 566. *num.* 8. & omninò tenet Leſſi. *cap.* 35. *dub.* 16. & Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 75.

5 Contraria nihilominus ſententia certior videtur, eamque tradit Flamini. *quæſt.* 27 *de confident. num.* 99. Maſcard. *con.* 1312. aliàs 1307. & ſibi non ſatis conſtans Nauarr *conſil.* 75. *de Simon. num.* 1. & *conſil.* 78. Menoch. *lib.* 5. *de præſumpt. præſum.* 9. *num.* 8. Garc. *cap. cit. num.* 194. Suar. *lib. de Simon. cap.* 43. *num.* 6. Ferdinand. *diſp.* 3. *de Simon. punct.* 18. *numer.* 6. quia Bulla Pij IV. id diſertè exprimit, ideóque Leſſius negat ea in parte illam receptam fuiſſe, ſed quo fundamento non liquet. Deinde non videtur ratio propter quam reſignatio cum conditione, vt prouiſus partem fructuum ad vtilitatem, aut arbitrium cedentis, vel alterius dimittat, Simoniaca ſit, & reſeruatio ſimilis penſionis non ſit. Addo vnam ex coniecturis, ex qua probatur iſtam Simoniam eſſe, ſi reſignans poſt reſignationem fructus percipiat; quæ coniectura malè omninò aſſignaretur à Pontifice, ſi nulla eſſet confidentia in reſignatione cum pacto, vt fructus dentur reſignanti. Denique illa verba, *alij vel aliis*, ipſum etiam reſignantem comprehendunt, diriguntur enim ad recipientem beneficium cum illo onere, & obligatione, vt penſionem, vel partem fructuum alij, vel aliis ſoluat; per alium intelligit reſignantem, qui alius eſt à recipiente; per alios autem ſignificat quoſlibet à reſignante diuerſos.

Dantur quidam & alij modi, quibus in foro externo præſumitur, aut probatur iſta Simonia, de quibus

infrà : in foro autem interno non committitur niſi modis aſſignatis, quos Leſſi.ad duos reuocat, nimirum cùm procuratur beneficium alicui, vt illud procuranti, aut alteri aliquando renuntiet. ſecundo quando procuratur beneficium cum reſeruatione penſionis, aut fructuum.

DIFFICVLTAS III.

Quænam ſit materia Simoniæ confidentialis

6 Hæc aſſignatur in conſtitutionibus Pontificiis, *Eccleſiæ, Monaſteſteria, & cætera beneficia Eccleſiaſtica.* Quæ verba cùm ampliſſima, & vniuerſaliſſima ſint, omnia beneficia regularia & ſæcularia, ſimplicia, & curata continent, quæ etiam ſingillatim exprimit Pius IV. *Idcircò*, inquit, *omnes, & ſingulas Eccleſias etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac Monaſteria etiam conſiſtorialia, prioratus, præpoſituras, dignitates etiam maiores, & principales etiam conuentuales, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, cæteráque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumuis ordinum regularia, etiam de iure patronatus, etiam laicorum, & nobilium, & illuſtrium, etiam ex fundatione, & dotatione exiſtentia.* Itaque tum Epiſcopatus, tum Archiepiſcopatus, tum Abbatiæ comprehenduntur in hac diſpoſitione, vti multis allegatis oſtēdit Flamini.*quæſt.15.de confident.* non tamen Papatus, aut Cardinalatus, quia hæ dignitates non ſolent renuntiari, aut dimitti ab eo, qui eas poſſidet, neque proinde vnquam conſeruantur cum iure ingreſſus, regreſſus, aut acceſſus, vt idem Flamini. *lib. 1. de reſignat. quæſt. 1.* latiùs ediſſerit.

Dubitari tamen primo poteſt de beneficiis regularibus manualibus quia hæc perpetua non ſunt, ſed ad nutum amobilia, atque adeò plurimùm deficiunt à ratione beneficij, ideóque eius nomine maximè in odioſis comprehendi non debent, quæ cauſa fuit Nauarr. *conſ. 43. de Simonia. num. 16.* vt negaret in quibuſdam perſonatibus Tarraconenſis prouinciæ committi confidentiam, eò quod perpetua non ſint, ob eandem rationem nunquam in generali diſpoſitione comprehenduntur manualia, & regularia, niſi exprimantur, quod obſeruat Rebuff. *tract. de pacific. poſſeſſionib. num. 273.* ideò in reſeruatione beneficiorum non comprehendi dixit ex communi DD. Ioan. Selua. *de beneficiis. par. 3. quæſt. 68. & 69.* neque etiam ſub Regula *de Annal.* itáque deciſum fuiſſe refert Mendoza *in Regula. de triennali* ex Flamin. *lib. 11. de reſignat. quæſt. 3. num. 83. & 85.* cur igitur eiuſmodi manualia regularia comprehendentur in iſtis conſtitutionibus Pontificis, quandoquidem in ipſis non exprimuntur? Accedit valida ratio; cùm enim Prælatus poſſit ad nutum ea beneficia reuocare, aliiſque conferre ex Gloſſa & DD. *in Clem. Regulares. ver. reuocare. de ſupplenda negligent. Prælato.* quidni poterit ea conferre ad tempus aliquod ſignatum, aut cum onere, & obligatione cedendi beneficio in fauorem alterius, cui ipſe Prælatus, ſi libeat, poterit conferre? Quænam igitur erit in ea collatione confidentia Simoniaca, cùm Prælatus faciat, quod ſibi à iure permittitur?

Nihilominus dicendum eſt, hæc regularia manualia, eſſe materiam Simoniæ confidentialis, non modò quia ſunt vera materia Simoniæ, vti

vti alias ſatis ſupérque ſignificauimus; ſed etiam quia ſatis perſpicuè in conſtitutione Pij IV. exprimuntur, cùm nominantur monaſteria, prioratus, præpoſituræ etiam conuentuales, & officia, & denique quorumuis ordinum Regulariũ beneficia. Regularia autem de iure communi ſunt omnia manualia, vt fuſiùs probat Flamini. *lib.* 10. *de reſignati. quæſt.* 2. *numer.* 39. & ſanè omnes cauſæ, quæ mouerunt Pontifices ad damnandam confidentiam, valent in hoc caſu, vti conſtabit inferiùs, & maximè vitatio fraudium, quæ in eiuſmodi prouiſionibus confidentialibus, aut ſub earum prætextu committuntur: ideò conſtitutione Gregorij XIII. *de publicand.* ſancita ad vitandas fraudes, comprehendi manualia reſoluit Rota 28. Ianuar. 1588. in vna Aquilei Prioratus, vti refert Flamini. *lib.* 11. *de reſignat. quæſt.* 3. *numer.* 84. ita etiam *in Regula, de informat.* comprehẽdi dixit Rebuff. *in eand. Regul. quæſt.* 5. *ſub fin.*

Defectus autem perpetuitatis non impedit, quominus hæc manualia imitentur naturam beneficij, & nomine eius in vniuerſali diſpoſitione ſignificentur, quod ex pluribus DD. oſtendit Flamini. *quæſt.* 16. *de confident. à num.* 24. niſi ſit peculiaris aliqua cauſa exceptionis, qualis eſt in reſeruatione, in qua manualia non comprehenduntur, niſi exprimantur, ne videatur Pontifex alteri præiudicare, quod notant Calderin. *conſil.* 26. *de præbend.* & Caſſador. *deciſion.* 4. *eod. titul.* Ita in Regula *de Annali, & triennali* non comprehenduntur variis ex cauſis, quas tradunt DD. in illas Regulas. Hic autem nulla eſt ratio, cur ea excipi dicamus à conſtitutione vniuerſaliſſima, quæ verbis adeò generalibus vtitur, vt nullum beneficium ſe excipere ſignificet, & Pontificis intentio ſatis ex cauſis, quibus mouetur, & quæ æquè vrgent in Manualibus apertè colligatur. Aliud porrò eſt, Prælatum poſſe reuocare Manualia, quod ipſi à iure permittitur, aliud ea conferre in confidentiam, quia omnis collatio beneficij etiam manualis debet fieri abſque pacto, & onere, ſine conditione, ac modo; quod tamen pactum in confidentia reperiri, iam initio monuimus. Quarè illa non tantùm ex conſtitutione Pontificia prohibetur in Manualibus, ſed etiam ex natura rei, vt iterum oſtendam; ideóque non modò in foro externo damnanda eſt confidentia à Iudice in iſtis manualibus, vti tradunt Nauarrus *conſil.* 70. *de Simonia.* & Flamini. *quæſt.* 16. *de confident. num.* 23. ſed etiam, vt ego exiſtimo, in foro interno. Idem porrò ſentiendum eſt de manualibus ſæcularibus, de quibus vide Flamini. *quæſt.* 18.

DVBITATVR ſecundo de penſionibus, an ſint materia confidentiæ? ſi quis verbi gratia qui habet facultatem transferendi penſionem in alium, id faciat, confidendo quod partem eius ſibi donabit, aut ſi retineat ius aliquod regreſſus: Cùm enim penſio Clericalis ſit hodiè materia Simoniæ, vbi recepta fuit Pij V. conſtitutio, quæ illam muneri alicui Eccleſiaſtico coniunxit, vti diximus *quæſt. ſuperiori,* cur non etiam poterit eſſe materia Simoniæ?

Reſp. penſiones non eſſe materiam huius Simoniæ, quod ſæpiùs reſpondit Nauarr. *conſil.* 2. *num.* 6. *de conſtitution. conſil.* 16. *de Simonia. conſil.* 46.

46. de præbend. Ita quoque indicauit Rota 5. Iun. 1591. in vna Brixienſi prætenſæ confidentiæ. Sequitur Flamin. *lib. de reſignat. quæſt.* 4. *num.* 53. & latiſſimè *quæſt.* 23. *de confident.* Suar. *lib. de Simon. cap.* 43. *num.* 4. quia neque penſiones ſunt materia Simoniæ ex natura ſua, & vbi non eſt recepta Bulla Pij V. qui illas miniſterio ſacro coniunxit, vti explicuimus ſuperiùs, tum quia licet aliqua Simonia in illis committatur, non tamen iſta confidentialis, quandoquidem in conſtitutionibus, quibus illa prohibetur, nullum prorſus verbum eſt, quod comprehendat penſiones, vti ſingula expendenti patebit. Denique ſermo eſt in illis conſtitutionibus, de beneficiis, quæ per reſignationem, collationem, & canonicam inſtitutionem obtinentur, quod non conuenit penſionibus, etiamſi ex quodam aliquando priuilegio in alium transferantur; id enim tum infrequens admodum eſt, tum ad finem intentum à Pontifice in illis legibus minimè pertinet, quod iterum conſtabit inferiùs.

9 Ex quibus ſequitur tertio multò minus confidentiam Simoniacam committi in reſeruatione fructuum alicuius beneficij, de quo aliquando nonnulli dubitarũt, & noſtram hanc ſententiam amplexati ſunt vnanimi conſenſu Domini Rotæ in vna Brixienſi fructuum prætenſæ confident. *n.*4. Archiepiſcopus enim Corcyrẽſis omnes fructus Archipresbyteratus Montis-clari Brixienſis diœceſis habebat reſeruatos exceptis 50. aureis titulari relictis, cum facultate eos ex toto, vel ex parte vni, aut pluribus transferendi etiam in mortis articulo. Anno igitur 1568. 200 ſcuta tranſtulit Ludouico Campano familiari ſuo, & anno 1578. reſiduam ſummam eidem tranſtulit; poſt eam tamen tranſlationem geſſit ſe tanquam dominum illorum fructuum idem Archiepiſcopus, eóſque exegit, vt authenticis inſtrumentis probat Archipresbyter, qui idcircò confidentiam contra Pij IV. & V. conſtitutiones commiſſam fuiſſe in illa tranſlatione ab Archiepiſcopo contendebat; quod negauit Rota, quia hæ conſtitutiones non habent locum, niſi fiat diſpoſitio tituli beneficialis, quod in hac reſeruatione fructuum non contingit.

DIFFICVLTAS IV.

Quodnam ſit pretium in hac Simonia.

Diximus *quæſt.* 1. in omni Simonia 10
aliquid aſſignandum eſſe, quod habeat vicem pretij, cùm ſit quædam commutatio rerum inter ſe ſiue ſpiritualis cum temporali, & contractus oneroſus, in quo aliquid accipitur cum onere dandi aliud. Quare quærendum eſt, quid in hac Simonia confidentiali habeat rationem pretij, iam enim aſſignauimus materiam, ſiue rem quæ datur, nimirum quodcunque beneficium Eccleſiaſticum quomodocunque collatum, prouiſum, aut procuratum.

Reſpond. geminum duntaxat hoc loco, & in iſto contractu pretiũ aſſignari poſſe. Primum eſt, ipſummet beneficium collatum, aut alia ratione prouiſum, quod in pretium illius collationis, aut prouiſionis, reſtituendum eſt ipſi prouidenti, aut conferenti, vel alteri, quem ipſe deſignârit. Alterum pretium eſt penſio, vel fructus beneficij qui reſeruantur conferenti, aut prouidenti, aut illi quem ipſi voluerint, ex pacto, & obliga

obligatione, ad compenſandam nimirum collationem aliámve quamcunque prouiſionem. Si verò quidpiam aliud detur pro beneficio reſignato, collato, aut aliter prouiſo, committitur quidem Simonia, vti *quæſt. ſuperiori*, & *quæſt.* 12. & 13. fuſiùs diximus; non tamen erit confidentia damnata in iſtis conſtitutionibus, quia illæ non agunt niſi de duplici illo modo Simoniæ, & quæcunque aliæ confidentiæ etiam illicitæ committantur, vt in reſignationibus triangularibus, & reciprocis, de quibus diximus *quæſt.* 12. non tamen illæ puniuntur in iſtis conſtitutionibus, niſi fiant hoc duplici modo aſſignato.

DIFFICVLTAS V.

In quibus actionibus committatur Simonia confidentialis.

11 Facilè fuerit id colligere ex hactenùs diſputatis; nam in omni reſignatione, collatione, inſtitutione, confirmatione, nominatione, præſentatione, electione, prouiſione, & procuratione cuiuſcúnque beneficij facta duplici illo modo hactenùs aſſignato, confidentia damnata in iſtis bullis committitur, quod ex earum contextu planiſſimum fit.

Secundo in permutationibus cum confidentia factis non committitur Simonia damnata à conſtitutionibus Pij IV. & V. Ita Nauarr. *conſil.* 2. 6. *de Simon.* & *cap.* 23. *manual. num.* 110. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 43. *num.* 11. Ferdinand. *diſp.* 3. *tract.* 17. *punct.* 18. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim.* §. 8. contra Flamin. *quæſt.* 25. *de confident.* quia hæ bullæ; quæ cùm pœnales ſint, & odioſæ, ſunt etiam reſtringendæ, nuſquam meminêre permutationum, ſed ceſſionis, & reſignationis, atque collationis beneficij, illúdque accipientium ſub eiuſmodi confidentia. Permutatio autem non eſt ceſſio, neque reſignatio ſimpliciter, neque eo nomine ſignificatur in iure, niſi quidpiam aliud addatur, ex quo determinetur.

Collator nihilominus beneficij ex cauſa permutationis vacantis peccat in iſtas bullas, ſi beneficium compermutanti ſub eiuſmodi confidentia conferat, atque etiam compermutans, qui beneficium ea conditione ſibi collatum accipit, non quia commiſſa eſt confidentia in permutatione, ſed in collatione; nam verba Pij V. aperta ſunt. *ſi ordinarius*, inquit, *vel alius collator contulerit, vel conferat beneficium quouis modo vacans ſub ea conditione tacita vel expreſſa*, &c. beneficium autem vacat etiam per permutationem; quarè ſi Epiſcopus, vel quis alius collator conueniat cum altero permutante, aut vtroque de parte fructuum ſibi, aut alteri reſeruanda, aut de eo beneficio ſibi, aut alteri reſtituendo, committit iſtam Simoniam, atque hic qui ita beneficium recipit, non tamen ipſi permutantes, ſi ita inter ſe pacti fuerint permutando, quamuis aliam Simoniam communem incurrant; qua ratione poſſet Flaminij opinio explicari, & cum noſtra communiore componi.

Tertio quando confidentia non eſt de eodem beneficio reſignato, aut collato, ſed de alio quodam cedendo, committitur quidem Simonia, vti diximus *quæſt.* 12. non tamen ea de qua agimus, quod obſeruat Layman *loco citato*, quia de eo caſu non loquuntur Pontificiæ conſtitutiones.

Quarto hæc confidentia committitur etiamſi collatio beneficij facta

fuerit à Pontifice ad inſtantiam reſignantis; Ea enim verba Bullæ, *quacunque authoritate*, id poſtulant, quod pluribus tradit Flamini. *quæſt.* 27. *de confident. num.* 30.

12 Quinto reſignans beneficium coram ordinario ſi ante reſignationem paciſcitur cum amico ipſius ordinarij, vt procuret ſibi conferri ab ordinario beneficium in ſuis manibus reſignandum, aut primum vacaturum, quod ad ſuam inſtantiam, & requiſitionem retrocedat in fauorem reſignantis, aut alterius, committit confidentiam, cùm ibi pactum ſit illicitum, & comprehenſum ſub definitione Simoniæ, & confidentia retroceſſionis; quidnam igitur amplius deſideratur ad mentem harum bullarum? Ita Flamin. *quæſt. cit. num.* 40.

Sexto in omni reſignatione tum ſimplici, tum qualificata, & in fauorem, poteſt contingere confidentia, & reuerà contingit, quando fit per circuitum retroceſſionis, vt ferunt ipſa verba Pontificum, & pluribus oſtendit Flamini. *citata quæſt. à n.* 44. inde enim fit

Sexto, vt qui accipit beneficiũ non à Titio reſignante, ſed à Næuio reſignatario cum pacto illud paulò poſt reſignandi in fauorem Titij primi reſignantis, aut ad nutum eius, confidentialis ſit, eſt enim hic circuitus retroceſſionis, vt patet.

Octauo Caius, qui cũ non poterat obtinere ſuper ſuo beneficio penſionem ſuo nepoti, illud reſignat Titio cum reſeruatione penſionis pro illo ſuo nepote, quod facilè aſſequetur; paciſcitur tamen cum Titio, vt illud idem beneficium iam oneratum penſione ſibi retrocedat, committit confidentiam, eſt enim ſimulata reſignatio ad effectum reſeruandæ penſionis, quo facto retrocedatur beneficium. Itáque definitum fuit in vna Retinenſ. penſion. 11. Maij 1588. coram D. Pamphilio, vbi etiam dicitur non fuiſſe conſiderandum diſpendium reſignantis propter retroceſſionem factam modico temporis interuallo. Ita refert Flamini. *quæſt.* 27. *numero* 62.

Nono Titius non potuit obtinere, vt penſionem, vel fructus ſui beneficij nepoti reſeruaret, illud idem beneficium ſuo nepoti reſignat, qui deinde illud retrocedit Titio reſignãti, ſeruata ſibi illa penſione, & parte fructuum, quam imponere ipſemet voluerat. confidentia eſt, & ſimulata tantùm reſignatio ad effectum penſionis reſeruandæ; atque manifeſtum pactum retroceſſionis, & cauſa quæ allegatur in ea reſeruatione penſionis, nimirum *ne nimium diſpendium*, falſa eſt, cùm vt iam diximus, præceps illa, & citata retroceſſio diſpendium omne impediat. 13

Decimo confidentia eſt, quoties ordinarius, vel alius collator confert beneficium Eccleſiaſticum quouis modo vacans ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, aut alterius cuiuſcunque contra iuris communis ordinationem diſponat, aut fructus, vel partem illorum ad libitum vel vtilitatem conferentis, alteriúſve, prouiſus dimittat, aut penſionem ſoluat, quod etiam in laico præſentatore, & quocunque alio electore valet. Hæc enim ſunt verba Pontificis adeò perſpicua, vt potiùs exemplis, quàm commentariis explicanda ſint; & ſanè in his omnibus collatio, præſentatio, & electio ſimulata tantùm eſt, ad effectum reſeruationis beneficij fructuum, aut penſionis alteri perſonæ, quàm nouiter prouiſo faciendæ. Obſerua porrò verba *ordinarius, vel*

alius

alius collator, quæ valde generalia ſunt, & neminem prorſus excipiunt eorum, qui quocunque modo conferre beneficium dicuntur in iure; in ampla etiam ſignificatione capitur ibidem nomen beneficij Eccleſiaſtici, ita vt qualecunque beneficium comprehendatur, quod ſuperiùs monui, cùm etiam vocem illam vniuerſaliſſimam Pontifex in eadem conſtitutione vſurpet.

Vndecimo hinc infert Nauarr. *conſil.* 13. *de Simon. & conſil.* 72. & *man. cap.* 23. *num.* 103. & 111. ex promiſſa, vel data Epiſcopo, aut collatori parte fructuum beneficij pro litteris collationis, eſſe Simoniam, quod quidem & ego fateor. Nego tamen eſſe confidentiam, niſi id detur pro ipſamet cllatione, quæ non niſi ſub eo onere, & conditione dandæ partis fructuum fit, vti habetur in ipſa conſtitutione Pontificia.

Hæc porrò omnia intelliguntur de collationibus factis ab ordinariis & reſignationibus, quæ fiunt coram ipſis, non autem de iis, quæ fiunt etiam in fauorem, & cum reſeruatione penſionis coram ſummo Pontifice, vti fuſiùs probat Flamini. *quæſt.* 28. *de confident. num.* 135. praxis enim ipſa id docet, & Pontifex poteſt detrahere penſionem à beneficiis, vti diximus alibi.

14 Duodecimo qui collatori promittit generalibus verbis ſe fore gratum, & ipſum diſponere poſſe de ſuis bonis omnibus temporalibus, & ſpiritualibus, non committit Simoniam; quia verba Pontificis exigunt conditionem tacitam, vel expreſſam dandi penſionem, aut fructuum partem, cum obligatione nimirum; quæ conditio, & obligatio in verbis eiuſmodi generalibus non reperiretur; nam *cap. cum veniſſem. de inſtitutionibus.* ad nihil obligatus cenſetur Archidiaconus, qui Archiepiſcopo ſuo dixerat, ipſum poſſe de omnibus redditibus ſui Archidiaconatus, vti vellet, diſponete; ideóque obſeruant Ioan. Andr. Zabarell. Abbas, & alij ſcribentes in id caput, verba generalia prolata ad complacendum alteri non obligare, neque diſponere, afferúntque vulgò Gloſſam *in l.* 1. *C. de pactis.* & *in l.* 2. *C. in quibus cauſis coloni cenſiti Dominos accuſare poſſunt.* verba illa, *Tuus ſum in omnibus, tuum me eſſe profiteor*, ad nihil obligare, verba enim ciuiliter, & curialiter ſunt intelligenda, non ruſticè, & rigoroſè. *l. Antiquitas. C. de vſufruct.* vide Cardin. *in proœm. decretal.* Felin. *in cap. cum iuramento. de homicidio*, Iaſon. *in l.* 3. *ff. ſtipulatus. colum.* 3. *ff. de verbor. obligat.* deinde antidoralem obligationem naturalem eſſe, & non facere Simoniam, pluribus alibi docuimus, tradítque multis allatis Flamini. *quæſt.* 28. *de confident. num.* 152.

Decimotertio patroni præſentantes ad Eccleſiam Parrochialem cum duplici hac conditione. prima vt teneatur ſalicare porticum. ſecunda vt habeat duos Capellanos Titium, & Mæuium, Simoniam committunt, vti decidit Rota in vna Bononienſi, teſte Flamin. *quæſt.* 28. *de confid. nu.* 204. quia appoſuêre præſentationi, & beneficio onus, quod de iure non ineſt; quod ipſum fateor, non video tamen, quomodo ſit confidentia damnata in iſtis conſtitutionibus, vt legenti verba ipſarum ſatis conſtabit.

Decimoquarto electores, qui conſpirarunt, in omni vacatione eligere aliquem ex ſuo cætu ad beneficium, 15
& nulli alteri dare ſuffragium ad effectum, atque ita ſibi ſolis reſeruant

omnia beneficia quorum habent electionem, committunt Simoniam ex Nauarr. *conſ.* 11. *de Simon.* & Flamin. *queſt.* 8. *num.* 176. *de confident.* quia eſt pactio quædam circa ſpiritualia, & conuentio reciproca, vt vnus alteri ſuffragetur in acquiſitione beneficij, & electione, quæ pactio Simoniaca eſt, vti diximus *quaſt.* 11. Ego tamen non video imprimis vllam confidentiam in eo caſu, cùm nulla ſit reſeruatio aut diſpoſitionis beneficij, aut penſionis, vel fructuum. Deinde quoad Simoniam communem diſtinguendum exiſtimo; ſi enim fiat ſtatutum de non eligendo vllo ad beneficium extra certum aliquod genus perſonarum, nō erit Simonia, quia eiuſmodi ſtatuta, & iuri conformia ſunt, & pleriſque in locis vſurpata. Si verò ſit conſpiratio priuata electorum inter ſe, ita vt vnus alteri ſuffragetur, eſt Simonia; ſi autem ſit ſola conuentio de non eligendo aliquo extraneo, erit quidem ambitus, & monopolium, non verò Simonia; nulla enim ibi aut commutatio, aut contractus onerosus, in quo vnum pro alio detur, reperitur.

Decimoquinto quoties Cardinales, Clerici Cameræ, Papæ familiares, & alij exempti à ſoluendis iuribus Cameræ Apoſtolicæ acceptant beneficia ſibi reſignata cum pacto illa eadem paulo poſt retrocedendi, reſeruata ſibi penſione, aut maxima fructuum parte in illa retroceſſione, aut reſeruato ſibi ingreſſu, vel regreſſu ad ipſa poſt mortem eorum, quibus illa retrocedebant, committunt Simoniam confidentiæ; ita expreſſiſſimè conſtitutio Pij IV. & Pij V. qui, vti ipſimet affirmant, vt hunc communem Romanæ curiæ abuſum damnarent, ſuas illas conſtitutiones ediderunt. Cùm enim iſta penſio reſeruata à curialibus retrocedentibus beneficia ipſis reſignata, non habe[ret] locum niſi poſt obitum eorum, quibus illa retrocedebant, ſicut neque ingreſſus, aut regreſſus ex mutuo pacto, facillimum erat reperire, qui cum iſta conditione retroceſſionis ſua pinguia beneficia eiuſmodi curialibus reſignarent, quærebántque ſimiles reſignationes curiales etiam cum illis oneribus, quia ipſi immunes erant à ſolutione iurium, vti appellant, Cameræ Apoſtolicæ. Itaque turpis quæſtus & infame commercium in ipſa Romana curia, non ſine piorum offenſione exercebatur. Iure igitur Pius V. retroceſſionem ab exempto eiuſmodi iurium Cameræ, intra tres menſes factam cum reſeruatione fructuum penſionis, aut regreſſus, confidentiam eſſe dicit, quia fraudem modo explicatam continere videtur, vti ex multis coniecturis oſtendit Flamin. *quaſt.* 29. *de confid.* *à num.* 17. idque ad non exemptos à iuribus iſtis ſoluendis extendit *n.* 51. quoties intra tres menſes à reſignatione ſibi facta retrocedunt beneficium ſibi reſignatum reſeruata penſione, fructibus, aut regreſſu, nam etiam tunc præſumitur confidentia. Itáque deciſum à Rota teſtatur *ibid.* Flamini, quod ego quoque quoad forum externum, quod coniecturis, & præſumptione ducitur, crediderim; non verò quoad forum internum, quia reuera ille caſus non exprimitur in conſtitutione Pontificia, quæ clarè agit de exemptis ob frequentiores fraudes.

Decimoſexto qui poſt abſolutionem à delicto, aut diſpenſationem ab irregularitate recipit beneficium, quod ante crimen illud, aut abſolutionem illius, aut irregularitatem contractam, vel ſublatam dimiſerat,

tanquam

tanquam confidentarius damnatur à Pio V. apertiſſimis verbis.

DIFFICVLTAS VI.

Quo iure ſit prohibita confidentia.

16 Reſpond. varias DD. ſententias facilè conciliari poſſe, nam quando in iſta confidentia pretium eſt penſio reſeruata, aut fructus beneficij, cùm tunc detur ſpirituale pro temporali, ſtatim appatet committi Simoniam contra ius diuinum, & in ea Pontificem diſpenſare non poſſe, quod conſtat ex *quæſt. ſuperiori*, & *quæſt.* etiam 3. Quando verò pretium collationis, reſignationis, & cuiuſcunque prouiſionis beneficij eſt ipſummet beneficium reſtituendum per retroceſſionis circuitum, ingreſſum, acceſſum, aut regreſſum, eſt Simonia iuris Eccleſiaſtici, quod omnem pactionem circa ſpiritualia, & maximè beneficia prohibet, vti diximus *quæſt.* 12. *&* 15. & ſanè in omnibus quatuor caſibus, in quibus Pius V. committi Simoniam affirmat, violari ius commune oſtendit Flaminius *in expoſitione illorum caſuum. quæſt.* 27. 28. 29. *&* 30. Ideóque Nauarr. *cap.* 23. *num.* 109. *&* 111. quem paſſim DD. & Rota ſequuntur apud Flamini. *q.* 4. dicunt iure communi confidentiam illicitam eſſe. Idque ipſum ſignificat Pius V. dum ait ſe ſancire hanc conſtitutionem ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Eccleſiaſticorum corruptelam, quod idem affirmat Sixt. V. *conſtit.* 66. quæ incipit *Paſtoralis.*

Fatendum nihilominus eſt, multa in hac parte ſtatuiſſe Pontifices Pios I V. & V. in ſuis conſtitutionibus, maximè quoad pœnas, quæ non ſunt iure communi ſancita, & de certis quibuſdam confidentiis, quas in quatuor illis vulgatis caſibus nuper expoſitis expreſſerunt, agere duntaxat, ideóque ius nouum circa plurima condidiſſe.

Vnde quoque fit, vt vbi eiuſmodi conſtitutiones non fuerunt vſu receptæ, ſtandum ſit iuri communi, tum quoad modum committendæ confidentiæ illicitæ, & Simoniacæ, tum quoad eius pœnas, vt ex principiis generalibus alibi ſtabilitis liquet.

Atqui nunquam has conſtitutiones in Gallia admiſſas fuiſſe, & contra quam eæ iubeant à ſuprema etiam curia quandoque pronuntiatum fuiſſe, teſtatur Petrus Gregori. *libr.* 17. *ſyntagmat. capit.* 17. *numer.* 30. ideóque Sixtus V. ann. 1587. in ſua 66. conſtitut. quæ incipit. *Paſtoralis officij.* Pij I V. & V. conſtitutiones in Gallia ſeruari iuſſit; quod vt facilius obtineret, rigorem illarum conſtitutionum quoad Galliam temperauit. primo vt beneficia ratione confidentiæ vacantia conferrentur ab ordinariis collatoribus in Gallia, cùm ſuperiores Pontifices illa ſedi Apoſtolicæ reſeruaſſent. ſecundo concedit Sixtus, vt fructus malè percepti ob confidentiam, poſſint applicari ab ordinariis in reparationem Eccleſiarum, in quibus fuit commiſſa confidentia, cùm eos alij Pontifices Cameræ Apoſtolicæ aſſignaſſent, cùm Gallia non recipiat conſtitutiones burſales, vt ait Rebuff. *in co. cord. Rubric. de collator. §. præfatique ordinarij.* tertio denique abſolutionem à cenſuris, irregularitate, & pœnis ob crimen confidentiæ, quam vterque Pius ſedi Apoſtolicæ reſeruarat, conceſſit Sixtus nuntio, aut Legato Apoſtolico in Gallia exiſtenti, atque 17

etiam legato Auenionenſi: ſed neque eam conſtitutionem Sixti propter turbatam id temporis bellis ciuilibus Galliam, fuiſſe receptam, & inductam in mores teſtatur Flamini. *quæſt.* 11. *de confident.*

Nihilominus damnari hodiè confidentiam in Gallia ab ipſis ſupremis regni Curijs, ſiue ex vi conſtitutionum Pij IV. & V. ſiue ex antiquo iure communi, certiſſimum eſt, & ex variis Curiæ decretis, ſiue Arreſtis conſtat. Qua de cauſa vide Choppin. *lib.* 1. *de ſacra politia, tit.* 1. *num.* 20. & *lib.* 1. *Monaſt. titul.* 1. *num.* 14. & *lib.* 3. *de doman. tit.* 28. *numer.* 2. Louet. *litt. B. numero* 10. Maynard. *lib.* 1. *cap.* 68. Immo confidentiam ſententia iudicis, & tranſactione partis confirmatam, irritam pronuntiarunt aliquando Curiæ Senatores, vt refert in compilatione Arreſtorum beneficialium Tournetus. *litt. B. num.* 66. Argui quoque confidentiam ex iudiciis, & præſumptionibus non ſecus ac dolum, ad quem probandum tres præſumptiones ſufficiunt; notat Molinæ. *ad Regul. de publicand. reſignat. num.* 513. quod omninò conſentit cum conſtitutione Pij IV. vide etiam Conc. Rhem. anno 1583. *cap. de Simoniac. & fiduciariis,* & inſignem Cleri Gallicani declarationem 22. Decemb. ann. 1579. atque edictum Ludouici 13. anno 1610. art. 1. contra confidentiarios iſtos. Non eſt igitur, quod quis excuſet in Gallia confidentias beneficiales ob non receptam conſtitutionem Pontificiam, quamuis quoad pœnas in ea latas poſſit aliquid ex ea non receptione excipi.

QVÆSTIO XXII.

De obligationibus Simoniacorum circa reſtitutionem faciendam.

Obligatio reſtituendi Simoniacè accepta, vel eſt iure tantùm naturali, & diuino, vel ex iure quoque poſitiuò Eccleſiaſtico oriri poteſt.

PRIMA PROPOSITIO.

De obligatione ex iure diuino, & naturali.

Nullus tenetur iure diuino reſtituere rem ſpiritualem Simoniacè acceptam, neque pretium eius temporale, niſi quo caſu peccatum eſt contra iuſtitiam commutatiuam, & facta iniuria ementi rem ſpiritualem, & danti pretium temporale; tunc autem illi reſtituendum erit.

EXPOSITIO, ET CONFIRMAtio propoſitionis.

Suppono in hac propoſitione Simoniam vtrâque ex parte completam fuiſſe, qui enim accepit pretium, & nondum tradidit rem ſpiritualem pretium illud reſtituere tenetur, vti fatentur omnes; cùm enim non fuerit in ipſum translatum illius pretij dominium niſi ſub conditione quæ nondum impleta eſt, neque impleri debet, aut poteſt ſine peccato, quo iure retinebitur illud pretium non tradita re pro qua datum eſt? qua igitur lege obligatur ad non implendam conditionem, hoc eſt, non tradendam rem ſpiritualem, eadem tenetur ad reponendum pretium; quod omnes

omnes æquè fatentur de mercede pro opere illicito patrando, diuina enim lex vult nos, & ab eo opere abſtinere, & mercedem iam acceptam reddere. Vnde etiam fit eodem iure diuino huius illiciti operis, & Simoniæ complendæ, ſiue conſummandæ pretium reſtituendum eſſe danti illud. Quod Caietan. *ver. Simonia.* Victor. *ſecund. part. de Simon. numero 6.* Sotus. *lib. 5. de iuſtitia. queſtion.* 8. *articul.* 3. Nauarr. *cap.* 23. *numero* 104. Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 59. *numero* 2. & alij paſſim docent contra Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 20. *queſt.* 11. qui malè Eccleſiæ reſtitui vult, cum enim dans pretium non tranſtulerit eius dominium niſi ſub conditione, & illa neque impleta, neque implenda ſit, illud dominium totum adhuc retinet, niſi in pœnam criminis iam inchoati eò priuetur, quod non fit niſi per ius poſitiuum, non autem per ius diuinum, & naturale, de quo ſolùm agimus in hac propoſitione. Quarè non benè affertur *l. ſi ob turpem. ff. de condiction. ob turpem cauſam.* & *l.* 2. *C. eod. tit.* lucrum turpiter acceptum non eſſe reſtituendum danti: nam ea lex ſignificat tantùm, quid à iudice faciendum ſit, & quid iuta humana ſapienter ſtatuerint. Noſtra igitur aſſertio eſt de Simonia reali conuentionali vtraque ex parte completa, eò quod res ſpiritualis, & pretium eius acceptum fuerit.

PRIMA PARS propoſitionis.

Res ſpiritualis Simoniacè acquiſita non eſt reſtituenda, aut dimittenda ſpectato ſolo iure diuino & naturali.

Priorem hanc aſſertionis noſtræ partem tradunt Ferdinand. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punc.* 26. *initio.* Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dubitat.* 29. Suar. *lib. de Simon. c.* 57. *n.* 12. & *c.* 59. *n.* 29. *& ſeq.* Bonac. *diſp. de Simon. q.* 7. *punc.* 3. *difficult.* 2. *propoſitio.* 1. Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 103. *&* 104. & DD. communiter apud Couarr. *in Regulam. peccatum. par.* 2. §. 8. *n.* 8. *ſub fin.* licet ipſe ductus quibuſdam S. Thomæ verbis contrarium ſentiat quoad beneficia, de quibus dicam ſtatim, contra Adrian. *quodl.* 9. *a.* 3. Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 20. *queſt.* 5. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. ſub finem,* & alios.

Probatur, quia collatio rerum ſpiritualium Simoniacè facta, quamuis illicita ſit, valida nihilominus eſt ſecluſo omni iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico illam irritante; igitur quod per eam collationem fuit acceptum, retineri poteſt, & reſtitutioni obnoxium non eſt. Quæ conſequentia manifeſta eſt, alioquin omnia turpiter, & illicitè accepta dimittenda forent, aut reſtituenda, quod nemo dixerit; diſtinguúntque vulgò omnes inter actũ validum, & licitum, legem prohibentem, & irritantem actum, vti aliàs diximus, eaque diſtinctio ęquè in legem naturalẽ, & diuinam, atque in poſitiuam, & humanam cadit. Denique cõſtat ex materia de iuſtitia nunquam

rem

rem acceptam ex naturali iure reſtituendam eſſe, niſi aut eius acceptio inualida fuerit, aut in ea peccatum fuerit contra iuſtitiam commutatiuam. Tota igitur difficultas eſt in antecedente, nimirum collationem rerum ſpiritualium Simoniacam, irreligioſam quidem, & impiam eſſe, validam tamen manere, & in ea nullam iniuriam fieri ab accipiente, emente videlicet reſpectu vendentis; quod non fuerit operoſum demonſtrare, & quidem quoad valorẽ huius collationis, eam ſatis arguit capacitas accipientis, poteſtas conferentis, & conferendi voluntas, quæ ſimul reperiuntur; neque enim quidquam aliud ad hunc valorem exigi poteſt: quoad iniuriam autem eam non patitur vendens, ſed potiùs facit, quandoquidem pretium accipit rei, quam gratis dare debuerat; vnde fortaſſis ipſe tenetur ad reſtitutionem pretij accepti, non tamen emens ad reſtitutionem rei ſpiritualis pretio comparatæ tenebitur, vti apparet in vſura, non fit enim mutuanti iniuria, ſed mutuatario, qui verè fit dominus mutui ſibi facti, non tamen idcircò mutuans fit dominus vſuratum, quas à mutuatario extorſit, eáſque reddere obligatur. Simili ratione, qui legata pia, aut eleemoſynas, quas gratis diſtribuere tenebitur, retenta ſibi aliqua parte in pretium diſtributionis dedit, non accepit iniuriam, ſed fecit illis, qui ea legata, & eleemoſynas gratis accipere debebant, qui & verum dominium acquiſierunt, quamuis diſtributor non ſibi compararit ſummam illam, quam ratione eiuſmodi diſtributionis ſibi retinuit, aut extorſit. Cùm igitur emens rem ſpiritualem, validè illam ſibi comparet, & nullam iniuriam vendenti faciat, cur eandem ſpectato ſolo iure naturali ſibi retinere non poterit? Confirmatur. Nam res ſpirituales Simoniacè acceptæ, vel ſunt actiones quædam tranſeuntes, vt ordinatio, conſecratio, ſacrificium, adminiſtratio ſacramentorum, cæteræque eiuſmodi, vel res permanentes vt reliquiæ, vaſa ſacra, beneficia, & dignitates Eccleſiaſticæ, ius præſentandi, eligendi, & conferendi beneficia, aliáque ſimilia: Et quidem actiones, ac functiones ſacras validas eſſe quamuis Simoniacè fiant, ſuóſque primarios effectus nanciſci, niſi vel per legem Eccleſiaſticam irritabiles ſint, réque ipſa irritentur, vel habeant effectum ex praua diſpoſitione operantis impedibilem, nemo vnus dubitat; cur enim potiùs Simonia, quam alia quæuis peccata has actiones irritabit, ſpectato ſolo iure naturæ, modò ponantur omnia, quæ ad ſacræ actionis ſubſtantiam requiruntur? vt aliàs diximus, & fortaſſè in conſectariis aliquid ſingillatius dicam. Iam verò res ſacras permanentes validè acquiri per Simoniacam venditionem, ſecluſo iure Eccleſiaſtico, eiuſmodi contractum Simoniacum in quibuſdam materiis irritante, æquè certum videtur. Cùm enim harũ rerum diſpoſitio ſubſit liberæ eas poſſidentium voluntati, & qui Simoniacè eas dedit, verè eas dare voluerit, cur hæc ſimoniaca voluntas, non erit æquè tranſlatiua dominij, & æquè efficax, atque alia quæpiam voluntas peccaminoſa? adde quod in beneficio alia ſæpiùs ratio contingit, nam priuati qui inter ſe de beneficio ſimoniacè contrahunt, illud non conferunt: Cur igitur ea collatio à Prælato facta valida non erit, quamuis eam præceſſerit contractus Simoniacus inter antiquum

beneficia-

beneficiatum, & nouum, ſiue collatarium, niſi lege aliqua Eccleſiaſtica eiuſmodi collatio irritetur? Quod enim ad voluntatem domini, qui talem rem gratis dari voluerat recurrunt aliqui, non vrget, quia licet DEVS prohibeat modum acquirendi venditione res ſactas; non idcircò prohibet ſimpliciter earum acquiſitionem, vt patet ex verbis Chriſti, *gratis accepiſtis, gratis date.* At verò lex naturalis concedens actionem, & prohibens modum eius non eſſentialem, non irritat ſubſtantiam actionis, quamuis deſit modus ille imperatus: modus autem iſte dandi gratis ſpiritualia, non eſt ſubſtantialis acquiſitioni ipſorum, quæ conſiſtit in voluntaria largitione, & acceptione, neque imperatus eſt iſte modus alia de cauſa, quàm propter ſanctitatem rei ſpiritualis, quam decet dignè tractari, quod non fit per venditionem, quæ idcircò non prohibetur ſimpliciter propter ſubſtantiam actionis acquiſitiuæ iſtarum rerum, ſed propter aliquid omninò accidentale, decentiam nimirum, quam rei traditæ, & comparatæ ſanctitas poſtulat; ſicut ſuperiùs monebam de vſura, quam lex naturalis, & diuina prohibet, iubétque gratis eſſe mutuandum, qui tamen ſoluit vſuras, eodem modo vti poterit ea pecunia ſibi venditione, aut dato fænore mutuata, atque ſi gratis mutuata fuiſſet, quia ille modus non eſt contra ſubſtantiam mutui, alioquin cum tota iſta prohibitio ſit in fauorem mutuatarij, in eius detrimentum vergeret, emeret enim magno pretio beneficium mutui, & tamen pecuniæ mutuatæ dominium non haberet, neque mutuum ſibi acquireret; fænus igitur non eſt contra ſubſtantiam mutui, quatenus eſt translatiuum dominij rei mutuatæ, ſed tantùm quatenus eſt venditio illius, vt ſic enim non valet, quia vendens mutuum non fit dominus pretij ſibi dati, illúdque tenetur reddere. Simonia itaque non vitiat quidem donationem rei ſpiritualis, quæ verè, & validè donatur, acquiritúrque: an verò opponatur venditioni vt ſic, impediátque eius valorem ex natura rei, dicam ſtatim. Et ſanè alioquin qui per ſolam Simoniam mentalem accepiſſet rem ſpiritualem, beneficiũ v.gr. illud reſtituere teneretur: quia cùm ibi ſit vera Simonia, quidquid naturaliter ex illa ſequitur, reperiri debebit, atque adeò omnis illa obligatio, quam ipſa per ſeſe inducit. Deinde cum collatio beneficij fuiſſet Simoniaca, collatario ignorante, aut contradicente, nihilominus dimittendum eſſet beneficium ſic collatum, & acceptum, cùm tamen ius Eccleſiaſticum vtrumque illud neget, vt dicam inferiùs; neque quiſquam dixit iuri naturali, & diuino per eiuſmodi legem Eccleſiaſticam ſimiles collationes tanquam validas probantem derogatum fuiſſe. Denique qui ad redimendam vexationem, quam in acquiſitione rei ſpiritualis iniuſtè patitur, pecuniam daret, non obtineret validè eam rem, quia non obtineret gratis, vti iubetur à Domino, à quo habet poteſtatem tantùm gratis dandi, vti contendunt aduerſarij. Quarè omninò fateantur oportet, hunc iniuſtum vexatorem, & collatorem vti quidem poteſtate, quam habet conferendi beneficium, aut rem quampiam ſpiritualem, ſed non vti eo modo, quo vti iubetur, itáque intelligenda ſunt Christi verba ſuperiùs allata, *gratis accepiſtis, gratis date.*

SECVNDA PARS propoſitionis.

De reſtitutione pretij Simoniaci.

Dixi ſecundo pretium Simoniacum non eſſe iure naturali, & diuino reſtituendum, niſi quando violata fuit iuſtitia, & iniuria ementi rem ſpiritualem illata. Atque hac ratione facilè compono diſſidentes ſententias, aliqui enim pretium iſtud reſtituendum eſſe affirmant; licet deinde diſſentiant in eo, cui facienda eſt iſta reſtitutio; alij verò omninò negant, quia nempe exiſtimant in omni Simonia reperiri malitiam iniuſtitiæ, quam alij reiiciunt; omnes tamen conſentiunt totam naturalem obligationem reſtituendi in contractu Simoniaco non aliunde proficiſci poſſe, quàm ex iniuſtitia in eo commiſſa, quod ex principiis vniuerſalibus in materia reſtitutionis certum manet: quoties igitur in Simonia fuerit violata iuſtitia commutatiua, toties ex natura rei erit reſtituendum pretium iniuſtè, & per iniuriam acceptum, quando verò ceſſabit ratio iniuriæ, & iniuſtitiæ in Simonia, ceſſabit quoque obligatio reſtituendi, quia tunc quod Simoniacè acceptum fuit, impiè quidem, & contra Religionem, non tamen iniuſtè acceptum fuit. Docuimus autem fuſiùs *quæſt.* 13. *conſect.* 3. non omnem Simoniam eſſe iniuſtitiam, ſed eam tantùm, in qua res ſpiritualis præcisè vt talis, & non quatenus habet aliquod commodum temporale, aut ſpirituale ſibi annexum venditur, aut in qua pretium, commodum temporale, vel ſpirituale, quo vendens ſe priuat, aut ſtipendium ratione miniſterij ſpiritualis debitum ex communi prudentum æſtimatione excedit, tunc enim pretium illud, aut eius exceſſus, reſtituendum erit, quia tunc violata fuit iuſtitia, & continuò violatur quamdiu, quod iniuſtè fuerat acceptum, retinetur. Neque ampliori confirmatione indiget hæc aſſertio, ſtatímque apparet diſcrimen rei ſpiritualis, & pretij, quo ipſa emitur, & cur res ſpiritualis validè collata fuerit per contractum Simoniacum, & ſemper retineri poſſit, licet aliquando eius pretium reſtituendum ſit, quia nempè emens rem ſpiritualem, nullam facit iniuriam vendenti, neque violat iuſtitiam commutatiuam, vti facit aliquando vendens reſpectu ementis in caſibus à nobis aſſignatis *conſectar. citato.* Potuítque transferri dominium rei ſpiritualis, quamuis pretium eius non acquiſitum fuerit vendenti, cùm emens non dederit hoc pretium, niſi quantum ratio iuſtitiæ poſtulabat, neque aliud à ſe voluit quæri, vt videmus in vſurario, qui non fit dominus vſurarum, quia mutuatarius non dedit illas, niſi quatenus iuſtè dare poterat: neque ceſſit iniuriæ ſibi per eam extorſionem factæ, & idcircò ea voluntas non eſt ſimpliciter abſoluta, ſed conditionata, nemo enim præſumitur pati iniuriam volens, niſi illam condonet. Poterit itaque contractus Simoniacus validus eſſe, quoad id, quod debuit ſpontè, & gratis dari, non verò quoad iniuſtam pretij exactionem. Neque dicas etiam vendentem non dare rem ſpiritualem niſi conditionatè quatenus videlicet per illam vult acquirere pretium, ideóque ſi illud teneatur deinde reſtituere, ſuam rem ſpiritualem iure repetere, eò quod conditio non ſubſiſtat: nam nego imprimis venditionem iſtam, ſiue potiùs collationem rei ſpiritualis fuiſſe conditionatam, quamuis

quamuis enim vendens intendat pretium, & eius cupiditate motus fuerit ad concedendam rem ſpiritualem, quam alioquin non dediſſet, non tamen conditionatè, ſed abſolutè dedit: neque enim omnis volitio, quæ ex intentione alicuius finis ſuſcipitur, conditionata eſt, vt patet, alioquin quoties intento fine fruſtratur voluntas, toties eius volitio conditionata, & actio ex illa conſecuta, inualida, & nulla propter non impletam conditionem, & finem intentum, non acquiſitum, dici poſſet. Itaque diſtinguendum eſt inter conditionem, & motiuum; ſpes quidem pretij motiuum eſt in vendente rem ſpiritualem, non tamen conditio; & ſanè qui confert ordines promiſſione Simoniaca, validè confert, & nihilominus ea promiſſio vt pote turpis, & quæ ſine peccato impleri nequit, non obligat; ea igitur ordinatio Simoniaca, eiúſque voluntas abſoluta fuit, & non conditionata, ſiue dependens à valore conditionis alicuius implendæ. Pretium itaque quoties iniuſtè accipietur, reſtituendum erit, etiamſi res ſpiritualis repeti nequeat, ad tollendam illatam iniuriam, quæ ſi abfuiſſet, vti contingit, quando emitur commodum aliquod temporale, aut ſpirituale connexum cum re ſpirituali, reuerà non eſſet reſtituendum pretium acceptum, eſſétque validus totus ille contractus, quamuis illicitus, vti diximus in noſtra propoſitione; & ampliùs conſtabit ex conſectariis. Hinc porrò manifeſtum fit, quod monebat noſtra propoſitio, nimirum quoties reſtituendum eſt pretium Simoniacum ex naturali obligatione, & iure, toties reſtituendum eſſe ementi, ſiue illi qui dederat; quia ille ſolus, non autem Eccleſia, aut pauperes, paſſus eſt iniuriam ea reſtitutione reparandam; neque ſecluſa lege poſitiua fingi poteſt, Eccleſiam, aut pauperes aliquod ius in eiuſmodi pretium acquiſiuiſſe, vt illud vice-domini repetere poſſint.

SECVNDA PROPOSITIO.

De obligatione reſtitutionis ex iure Eccleſiaſtico.

Nulla res ſpiritualis Simoniacè accepta, ex iure Eccleſiaſtico reſtituenda eſt præter beneficium; pretium autem Simoniacum in nulla alia Simonia, quàm ea, quæ in collatione, & prouiſione beneficij commiſſa fuit, reſtituendum eſt ante ſententiam iudicis, ante quam reddi poterit, immò & debebit danti, poſt illam, ei quem iudex aſſignabit. 4

EXPOSITIO, ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Explicata obligatione, quam ius diuinum, & naturale imponit Simoniacis circa reſtitutionem rei ſpiritualis Simoniacè acquiſitæ, atque pretij pro illa exhibiti, ſequitur, vt definiamus quid circa eandem obligationem Eccleſia ſanciuerit, quod facimus in hac propoſitione, in qua Simoniam beneficialem, ſiue ratione beneficij commiſſam ab omni alia diſtinguimus, cum de illa ferè Eccleſia circa obligationem reſtitutionis, aut dimiſſionis leges tulerit.

PRIMA PARS propoſitionis.

De dimiſſione beneficij Simoniacè acquiſiti.

5 Dixi igitur primo beneficium Eccleſiaſticum Simoniacè obtentum dimittendum eſſe ex iure Eccleſiaſtico. Hæc aſſertio quamuis fortaſſis non ita perſpicuè definita fuerit in antiquis iuribus, quæ facilè de irritanda prouiſione Simoniaca beneficij exponerentur, vt diſputat Suar. *cap.* 57. *num.* 23. nouiſſimè tamen perſpicuè habetur in *extrau.* 2. *de Simonia.* vbi Paulus II. omnes electiones, poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, & quaſuis alias diſpoſitiones Simoniacas viribus omninò carere ſtatuit, & per illas beneficiatum nullum ius, aut titulum acquirere in quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis Eccleſiaſticis, & quibuſcunque beneficiis, ideóque non facere fructus ſuos, ſed ad eorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo adſtrictum eſſe. Quod idem quoque ſanciuit Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 43. & idem ſignificatur *in ca. Matthæus. de Simonia*, conſulit enim Pontifex cuidam Clerico, in cuius electione à ſuo amico fuerat commiſſa Simonia, vt celeriter, & ſponte adminiſtrationem Eccleſiæ dimittat, addit pro ratione ſui conſilij dictum illud Chriſti; Nihil prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Ex quibus colliges, licet Pontifex dicat, ſe conſulere, non tamen fuiſſe liberum huic Clerico tale beneficium retinere, aut dimittere, eò quod hoc conſilium in materia ſalutis, & conſcientiæ importet præceptum, quod obſeruat Gloſſa *ibid. ver. conſuluit.* & Felin. *in idem cap.* plurima ad confirmationem adducens. Et ſanè cùm iſte clericus ſecreto conſilium petiiſſet à Pontifice per Matthæum Cardinalem, non debuit Pontifex præceptum imponere, ne nouam obligationem iniicere videretur, ſed conſulere, vti fecit, cùm tamen rationem ſui conſilij reddidit periculum, & detrimentum animæ, cui poſthabenda ſint totius orbis lucra, ſatis ſignificauit hoc conſilium neceſſariò executioni mandandum eſſe: neque ſanè vllus eſt, qui contendat prouiſiones Simoniacas beneficiorum Eccleſiaſticorum validas eſſe poſt tam expreſſa, & perſpicua iura: quod enim aliqui inter Simoniam publicam, & occultam diſtinguunt apud Gomez. *in Regul. de trienn. poſſeſſi. quæſt.* 12. & Couarr. *in Regul. peccatum.* 2. *part.* §. 8. *num.* 6. reiicitur ex ipſis verbis extrauagantis allatæ, quæ diſertè meminit Simoniaci occulti. In cap. etiam *Matthæus.* Simonia erat occulta, quam Pontifici *non niſi ſecreta inſinuatione monſtrauerat* ille Clericus: non idcircò autem obligatur iſte Simoniacus ad ſe infamandum, cùm pluribus de cauſis, & vario prætextu beneficium dimittere facilè poſſit.

6 Neque rectiùs alij excipiunt Simoniam ſolius iuris Eccleſiaſtici, quam volunt non irritare collationem, & prouiſionem beneficij, quia *in cap. conſtitutus. de tranſactionib.* non priuatur beneficio, qui Simoniam in tranſactione ſuper beneficio commiſerat, erat autem ea Simonia contra ius humanum duntaxat: & ſanè nullibi iura irritant acquiſitionem beneficij per Simoniacam permutationem, aliáſque ſimiles pactiones ſolo iure Eccleſiaſtico prohibitas. Itáque

ſentiunt Pariſi. *lib. 4. conſi. 10. conſil.* 29 & 30. & Reginald. *lib.* 23. *num.* 184. vbi etiam Petrum Nauarr. & Aragoni. allegat. Verùm non rectè, vt iam monui, hi DD. hanc Simoniam excipiunt contra communem ſententiam, vt teſtatur Redoan 3. *part. de Simon. cap.* 8. Rebuff. *in praxi. tit. de Simon. in reſignat. nu* 14. Suar. *cap.* 57. *num.* 42. Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 2. *num.* 15. & alij, quia *in Extrau. cit.* Paulus annullat omnes prouiſiones Simoniaca labe infectas, & Simonia iſta humana cenſetur in iure vera Simonia, illique tribuuntur iidem effectus, ac proinde verbis generalibus comprehenditur, niſi excipiatur alioquin dubitari poſſet, an Simonia in beneficiis commiſſa ſubiiceretur pænis Simoniæ, vbi non fit expreſſa eius mentio, eò quod plures Canoniſtæ paſſim exiſtiment eiuſmodi Simoniam eſſe duntaxat iuris Eccleſiaſtici. Quod autem affertur ex *cap. conſtitutus.* nihil prorsùs vrget, quia vt *ibid.* obſeruat Gloſſa *ver. audiatis.* debebat ille clericus ſpoliari ſuo beneficio, eique neganda erat actio, quæ non niſi ex indulgentia quadam conceſſa fuit, & quam potiùs factam fuiſſe iudici, quam partibus, affirmat Hoſtienſ. Deinde nondum fuerat ea Simonia vtrimque completa, ſed erat ſolùm conuentionalis, quandoquidem altera pars iam reſilierat à tranſactione, & conquerebatur apud iudicem; quæ pænitentia cauſa fuit, cur eius querelam audiri voluerit Pontifex, & actionem ipſi indulſerit; præterquam quod non agebatur in illa controuerſia de beneficio per eam tranſactionē acquiſito, ſed de ſopita lite; in quo licet fuiſſet commiſſa Simonia, & tranſactio eſſet irrita, non propterea tamen collatio beneficiorum priùs legitimè acquiſitorum irrita fiebat ex ipſo iure, quod *quæſt. ſequenti* fuſiùs oſtendam. Neque culpa iſta merebatur, vt hi tranſactores ſuis illis beneficiis legitimè obtentis priuarentur; idcircò ſapienter Pontifex totam controuerſiam arbitrio iudicis dirimendam permittit, vbi irritata priori illa tranſactione Simoniaca, querelas vtriuſque partis audierit, & ſingula cauſæ momenta expenderit. Maneat igitur, omnem beneficij Eccleſiaſtici prouiſionem Simoniacam, irritam, & nullam eſſe, ac proinde, qui illud ita acquiſiuerit, non poterit ipſum ſibi retinere.

Debebit itaque tale beneficium, ſi vacabat per obitum, dimittere in manibus Epiſcopi, aut ſuperioris alterius, qui poſſit inuitum deſtituere iuſta de cauſa. Ita Nauarr. *conſil.* 61. *de Simon.* & conſtat ex Gloſſa *in cap. de Regularibus. ver. dimittant. de Simonia.* & Innocent. Hoſtienſ. Ioann. Andr. Panormit. Anton. & aliis *ibid.* quod autem Victoria vult renuntiari in manibus collatoris, intelligendum eſt de collatore, qui poteſt & inſtituere, & deſtituere, & quia quoties collator non pollet ea poteſtate, ipſi tamen ſemper manet integra collatio, ita vt alius ille ſuperior, in cuius manibus fuerit facta reſignatio, non poſſit conferre beneficium reſignatum, ſed id ius collatori relinquat. S. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 5. §. 11. monet, ægrotum, qui nequit in manibus ordinarij beneficium ſic turpiter acquiſitum reſignare, id facere in manibus ſui confeſſarij, cum ea conditione, ſi placuerit Papæ, aut collatori, atque ita ſuæ ſaluti conſulere. Quando non vacat per obitum, reſtituendum erit illi à quo proceſſit, reſignanti v. gr. quia ante ſententiam non priuatur iure ſuo. Ita Garc. 11. *pa.* 7

de benefic. cap. 3. *num.* 214. plurimos allegans; ſed de his aliàs.

Hæc porrò aſſertio de inualiditate prouiſionis Simoniacæ, & quod ex ea ſequitur, de dimittendo beneficio per ipſam acquiſito, de omni vero beneficio intelligenda eſt, cùm *Extrau.* 2. *de Simonia.* verbis vniuerſalibus vtatur, & nullum omninò excipiat, & diſertè comprehendat omnes actiones ordinatas ad beneficiorum collationes, quales ſunt præſentationes, nominationes, electiones, reſignationes, permutationes, confirmationes, inſtitutiones, & ſi quæ ſunt aliæ. Atque ex vi huius vniuerſalis iuris, electio quoque Simoniaca ſummi Pontificis, nulla eſſet; idque aliqui confirmant ex *cap. ſi quis pecunia.* 79. *diſtinct.* vbi Gloſſa textui omninò appoſita eſt, ſtatuit autem apertè Iulius II. in Concil. Lateranenſ. *ſeſſ.* 5. verùm vbi fuerit concors ſententia electorum, & alioquin Canonica electio propter Simoniam occultam, erit quoque firma electio iſta, vt Leſſi. *cap.* 35. *num.* 146. & Suar. *capit.* 57. *cit. ſub fin.* & alij tradunt, cùm nunquàm fuerit recepta ea Iulij conſtitutio; & propter periculum, quod inde orietur, non eſt reuocanda in dubium talis electio. Vide Bonac. *tract. de electione ſummi Pontificis.* Barboſ. *de iure Eccleſiaſt.*

SECVNDA PARS propoſitionis.

De aliis rebus ſpiritualibus.

Dixi ſecundo nullam aliam rem ſpiritualem Simoniacè acquiſitam eſſe reſtituendam eſſe ex iure Eccleſiaſtico ante ſententiam iudicis, qui poterit aliquando in pœnam, eiuſmodi reſtitutionem imperare. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 30. Ferdinand. *diſp.* 3. *tract.* 17. *punct.* 26. Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 3. *numer.* 3. Suar. *lib. de Simonia. cap.* 57. & alij paſſim. Quia nullus omninò textus eſt, qui eiuſmodi acquiſitiones, aut contractus irritet; validi igitur ſunt ex attento iure Eccleſiaſtico quamuis facilè irritabiles ſint, qua ratione, ſi quæ iura adducuntur, facilè fuerit interpretari, quanquam ea omnia de beneficiis, & pactionibus circa ea factis loquantur, vt *cap. Ea quæ.* 1. *quæſt.* 3. aut certè de non ſeruandis eiuſmodi conuentionibus agunt, cùm enim ſeruari ſine culpa non poſſint, reuera ſeruari non debent, eóque ſenſu dici poterunt irrita. Denique quia, vt ait Leſſius, ſi pretium reddatur pro re ſpirituali accepta, ea quoque reddi debebit, ne vna pars cogatur contractum reſcindere, & non alia; neque in expendendis variis textibus, quibus damnantur pactiones omnes circa ſpiritualia, diutiùs immorandum eſt, cùm ex dictis non difficulter explicentur.

TERTIA PARS propoſitionis.

De reſtitutione pretij Simoniaci.

In poſtrema parte aſſertionis dixi, quidnam ius Eccleſiaſticum exigeret circa reſtitutionem pretij Simoniaci. 9

Aio igitur, pretium in Simonia beneficiali, ſiue circa prouiſionem beneficiorum acceptum, reſtituẽdum eſſe ante omnem iudicis ſententiam, atque in conſcientia. Ita omnes, & manifeſtò colligitur *ex cap. de hoc. de Simonia.* Nam Alexander III. ſcribit Archiepiſcopo Toletano,

letano, vt Regem, & Principes, qui Epiſcopi Oxomenſis muneribus corrupti, eius electioni cõſenſerant, moneat omnia ſine diminutione Eccleſiæ Oxomenſi reſtituere, *cùm ea ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.* Præterquam quod cum Eccleſia eiuſmodi Simoniacam prouiſionem, & pactionem irritârit, ſequitur neceſſariò, atque ex lege naturali non poſſe retineri pretium illud, quandoquidem per inualidam donationem, & pactionem, eius dominium transferri non potuit Itaque hæc obligatio reſtituendi pretij Simoniaci in hoc caſu proximè oritur ex iure nuturali, quod tamen ſupponit lęgem Eccleſiaſticam, irritantem omnem pactionem Simoniacam circa beneficia, & ipſorum prouiſionem, quæ alioquin ſpectato ſolo iure naturæ valida fuiſſet. Quarè rectè dixi, ſententiam iudicis minimè expectandam eſſe ad hanc obligationem incurrendam, quæ enim obligant ex natura rei, omnem condemnationem & iudicium præcedunt.

A10 ſecundo pretium ex quapiam alia Simonia acceptum non eſſe reſtituendum ante condemnationem ex iure Eccleſiaſtico. Ita Leſſius *dub.* 30. Suar. *cap.* 60. *num.* 9. *&* 11. Ferdinand. *punct.* 26. & alij, quia nullibi reperire eſt generalem eam legem, cum nequidem id disertè affirmetur de beneficiis; ſed tantùm ex irritata per ius Eccleſiaſticum prouiſione Simoniaca beneficij, neceſſariò colligatur, vti iam monui. Cùm igitur nullam aliam acquiſitionem Simoniacam rerum ſpiritualium irritet Eccleſia, inde non poterit colligi obligatio reſtituendi pretij Simoniaci, ſed debebit afferri lex aliqua, quæ id directè & per ſe imperet, illa autem nullibi extat: quod enim aliqui ex eo, quod *cap. vltim. de Simonia.* dicatur, Simoniam mentalem non obligare ad reſtitutionem, inferunt à contrario ſenſu, ex Simonia reali eam obligationem ſequi, non admodùm vrget; ibi enim ſupponitur quidem ex aliqua Simonia reali oriri eam reſtitutionem, ſed non definitur quandónam id contingat, & vtrumque Simoniacum tum vendentem, tum ementem teneri ad eam reſtitutionem, quod ſemper verum non eſſe, iam ſuperius diximus. Itaque ex eo textu non poterit colligi Regula aliqua generalis, maximè cùm agat de peculiari tantùm caſu Simoniæ in Monaſterij ingreſſu commiſſæ, de quo dicemus *in conſectariis*, ex illo enim ipſo, ſtatim apparebit pretium Simoniacum in quacunque Simonia non eſſe reſtituendum ex iure Eccleſiaſtico. In *cap. Audiuimus de Simonia.* iubet Pontifex duplicatum pretium pro prouiſione Eccleſiæ Parrochialis, ingreſſu Monaſterij, & licentia eligendi ſepulturam apud Religioſos, acceptum reſtitui: inde tamen non deducitur Regula generalis pro omni alia Simonia, alioquin ſemper reſtituendum foret duplicatum illud pretium ex lege Eccleſiaſtica. Deinde manifeſtum eſt ibi imponi pœnam, quæ ante ſententiam non obligat, cùm nullum ſit ibi verbum, quod ipſo facto eiuſmodi obligationem incurri ſignificet, quod obſeruant *ibid.* anorm. Ioan. ab Anan. & latiùs Felin. pro Gloſſa ſingul. *in c. Fraternitatis.* 12. *quæſt.* 2. Ratio verò, cur duplum reddi voluerit Eccleſia, eſt, quia in eo caſu non fuerat data pecunia ex communi ſenſu dantis, & accipientis, ſed à ſuperiore extorta per vim, aut *ingeſtæ malitias.*

A10

Aio tertio pretium Simoniacum, quoties ex lege Eccleſiaſtica contractum Simoniacum, & acquiſitionem rei ſpiritualis vi illius factam irritante, quod in ſolis beneficiis contingere diximus, reſtituendum eſt in foro poli, & ante ſententiam, tunc reſtituendum eſſe danti: poſt ſententiam verò illi, cui iudex aſſignarit. Sequor Sot. *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 8. articul. prim.* Victor. *relect. de Simon. ſecund. part. numero 6.* Nauarr. *lib. 4. de reſtitut. cap. 2. numero 147.* Angles *in 4. ſecunda part. quæſtio. quis à reſtitutione liber ſit. diffic. 17.* Aragon. *2. 2. quæſt. 100. articul. 6.* Binsfeld. *in cap. 46. de Simon. quæſtione prima, conſ. 6.* Ferdinand. à Caſtro. *punct. 26. cit. numero 5.* Rodriq. *tom. ſecund. ſum. cap. 68. numero 4.* neque exiſtimat improbabile Leſſi. *cap. 35. cit. n. 171.* Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct. 6.* Sà *ver. Simonia. num. 10.* Laym. *lib. 4. tractat. 10. cap. vltim. num. 84.* contra communem Canoniſt. teſte Victoria, volunt enim reſtitutionem faciendam eſſe Eccleſiæ, quam opinionem ſecutus eſt Suar. *cap. 60. n. 8.* niſi ex conſuetudine alicubi recepta fiat pauperibus; quam conſuetudinem teſtatur Couarr. *in Regul. peccatum. 2. pa. §. 8. num. 6.* Alij verò dicunt ex vſu, totum id Cameræ Apoſtolicæ applicari. Ita Vgolin. *tab. 4. de Simon. cap. 2. §. 1. num. 7.* Ratio tamen noſtræ ſententiæ manifeſta mihi videtur, emens enim beneficium non abdicauit à ſe dominium ſuæ pecuniæ, niſi vt illud transferret in vendentem, quam tranſlationem cum impediuerit Eccleſia, irritando totum illud pactum Simoniacum, reuerà dominium illud manet penes antiquum dominum. Quod autem reſpondet Suar. Eccleſiam impediuiſſe tantùm acceptionem dominij, non autem eius abdicationem, ſed illam acceptaſſe in pænam eo modo ſe illo abdicantis, & applicuiſſe Eccleſiæ, quæ iniuriam paſſa fuerat; imprimis non probatur ex vllo textu, in quo habeatur, hanc abdicationem dominij incurri ipſo facto, & ante ſententiam. Deinde ſi tranſlationem dominij in vendentem, in quem ſolum voluit illud dominus transferre, impedit Eccleſia; non video quomodo diſtingui poſſit impedimentum illius tranſlationis, ab impedimento abdicationis, quandoquidem ibi nulla fingi poteſt alia abdicatio voluntaria ementi, niſi iſta tranſlatio in vendentem, quæ ſi impedita fuit, abdicatio quoque impedita fuit: quarè deinde Eccleſia non tantùm non reſiſtit abdicationi, quæ reuerà nulla fuit, ſed priuat dominium ſua re, vti poteſt in pænam criminis commiſſi, quod ipſemet Suar. fatetur. Adde ex ipſo Suar. non oriri proximè ex iure Eccleſiaſtico obligationem reſtituendi pretij ex Simonia beneficiali accepti, cùm nullibi extet eiuſmodi ius; & in *cap. de hoc. de Simonia.* quod vnum affertur, Pontifex declarat tantùm, quid faciendum ſit, & hanc obligationem ſupponat, non imponat. Tota igitur ea obligatio reſtitutionis petitur ex inualiditate contractus Simoniaci in ea materia irritati ab Eccleſia; in ea verò irritatione non eſt quidpiam quod ſignificet ementem, ſiue dantem pretium priuari dominio pecuniæ à ſe datæ; neque id neceſſariò ſequitur ex irritatione talis contractus, vt patet, ſed ſolum vendentem non poſſe ſeruare pecuniam, & pretium contractu inualido acceptū, & teneri, ſi quam iniuriam cuipiam intulit, reparare; nulla autem facta fuit aut Eccleſiæ, aut pauperibus in-

iuria,

iuria, cum eorum bona imminuta aut accepta non fuerint. Cur igitur debebit fieri reſtitutio Eccleſiæ, vel pauperibus, pretij per contractum Simoniacum iure Eccleſiaſtico inualidum accepti ſine noua aliqua lege? quæ lex cùm pænalis ſit, eò quod antiquum dominum, apud quem pretij inualidè traditi dominium manebat, priuet ſua re propter crimen Simoniæ admiſſum, non obligat ante ſententiam ex communi certáque doctrina alibi tradita, niſi id diſertiſſimè lex exprimat; quod hactenus præſtare non potuerunt aduerſarij, nam *cap. de hoc. de Simon.* quod impoſuit aduerſariis, id non habet, Pontifex enim duo dicit, alterum reſtitutionem faciendam eſſe, & ſine ſalutis periculo non poſſe retineri accepta ad Epiſcopi Oxomenſis electioni conſentiendum. alterum ea omnia *ſine diminutione* reſtituenda eſſe Eccleſiæ Oxomenſi, hoc autem non fit niſi per ſententiam Pontificiam. Deinde quia illa munera fuerant ex bonis Eccleſiæ facta Regi, & Principibus, quibus vt eorum extorqueret conſenſum, multa ceſſerat ex ſua Eccleſia iſte Epiſcopus, idcircò iubentur omnia *ſine diminutione* Eccleſiæ illi reſtitui, ea enim paſſa fuerat iniuriam; inde tamen non licet in vniuerſum colligere, reſtitutionem pretij Simoniaci in materia beneficiali eſſe faciendam Eccleſiæ ante ſententiam iudicis.

Iudicem verò poſſe vel Eccleſiæ, vel pauperibus, vel Cameræ Apoſtolicę pretium iſtud, quo mulctat ementem, addicere pro vario vſu, & conſuetudine, certum eſt: ſi tamen aliqua iniuria, & damnum Eccleſiæ fuiſſet irrogatum, illius reparationem primùm curare deberet, cùm ipſius maximè ſit, ius læſæ partis reſarcire.

QVÆSTIO XXIII.

CONSECTARIA

Ex ſuperioribus duabus propoſitionibus.

Conſectar. I. An ordinatio, adminiſtratio Sacramentorum, conſecrationes, benedictiones, aliæque functiones ſacræ, & ordinis exercitia Simoniacè factæ ſint validæ, & repetendæ.

Conſect. II. An actus iuriſdictionis Simoniaci validi ſint.

Conſect. III. An profeſſio Religioſa Simoniaca, valida ſit.

Conſect. IV. An reliquiæ, grana benedicta, vaſa ſacra, aliáque ſimilia Simoniacè accepta retineri poſſint.

Conſect. V. An beneficia Eccleſiaſtica per alienam Simoniam acquiſita dimittenda ſint.

Conſect. VI. An penſiones Simoniacè acquiſitæ ſint dimittendæ.

Conſect. VII. An officia Eccleſiaſtica validè acquirantur prouiſione Simoniaca.

Conſect. VIII. An ius patronatûs validè per Simoniam acquiratur.

Conſect. IX. An fructus percepti ex beneficio Simoniacè obtento reſtituendi ſint.

Conſect. X. An quando vnus tantùm actus in prouiſione beneficij Simoniacus fuit, tota prouiſio inualida ſit.

Conſect. IX. Caſus ſingulares, in quibus pretium Simoniacè acceptum reſtituendum eſt.

Conſectar. XII. An Simonia mentalis obliget ad reſtitutionem.

Conſectar. XIII. An Simonia conuentionalis obliget ad reſtitutio-

nem pretij Simoniaci, aut inualidet actum.

Conſect. XIV. An Pontifex poſſit diſpenſare in reſtitutione pretij Simoniaci.

Conſect. XV. An mediatores Simoniæ teneantur ad aliquam reſtitutionem.

CONSECTARIVM I.

An ordinatio, adminiſtratio Sacramentorum, conſecrationes, benedictiones, aliæque functiones ſacræ, & ordinis exercitia Simoniacè facta ſint valida, & repetenda.

Opportunè quidem de harum omnium actionum validitate & iteratione diſputari poſſet hoc loco; verùm iam fusè docuimus *in ſcientia Canonica*, Eccleſiam non poſſe poteſtatem ordinis ſemel collatam aufferre, ſed tantùm vſum illicitum reddere, non verò inualidum; atque eo ſenſu quidquid aliquando de iterandis ordinationibus, & conſecrationibus à Simoniacis, aut hæreticis factis videtur ſanciuiſſe, explicandum eſſe, ex eo quod omnes ita ordinatos, & conſecratos ab vſu ordinum prohiberet; quarè noua venia ad eum ordinem exercendum, & gradum retinendum indigerent, alioquin enim vt prophani habebantur ab Eccleſia. Cum etiam docuerimus valorem harum actionum ſacrarum non pendere ex probitate miniſtri, ſanè nulla ratio eſt, cur dicamus has actiones Simoniacè factas, vel ex natura ſua irritas eſſe, vel iure Eccleſiaſtico, cùm Simonia non magis pugnet ex natura rei cum valore eiuſmodi actionum, quàm quodlibet aliud miniſtri, aut ſuſcipientis ſcelus; Eccleſia verò ſæpiùs nequeat eas actiones, vbi omnia ad earum ſubſtantiam requiſita ponuntur, ſua lege irritare, vt de Sacramentis, & iis omnibus, quæ ex Chriſti inſtitutione ſunt exercitia ordinis ſacri, conſtat. Vnum tantùm excipitur Sacramentum pænitentiæ, quod verius exiſtimamus, nunquam informe eſſe; quarè ſi illud ſuſcipiens, ſua culpa ponat obicem eius primario effectui, quia in illa ſuſceptione grauiter peccat violando legem diuinam, aut ſolùm Eccleſiaſticam, inualidum reuerà erit Sacramentum iſtud, & iterandum, non ex lege Eccleſiaſtica ipſum irritante, ſed quia non ponuntur omnia neceſſaria ad eius valorem, eò quod ipſius natura longè ab aliis diuerſa ſit: quarè ſi Simonia commiſſa eſſet ratione Sacramenti pænitentiæ, non tamen à pænitente, ſed ipſo ignorante, à miniſtro, aut quopiam alio, validum foret totum illud Sacramentum etiam Simoniacè miniſtratum, quia omnia ipſi eſſentialia ponerentur, quibus poſitis irritari nequit ab Eccleſia: in illis verò eſſentialibus ſunt actus pænitentis, atque in his maximè contritio, quæ cum actuali culpa mortali, quam tunc committi à pænitente ſupponimus, conſiſtere nequit; quia verò in aliis Sacramentis ea ſuſcipientis diſpoſitio, & auerſio, ſiue receſſus à peccato non requiritur tanquam aliquid ſubſtantiale ipſi, fit vt poſita licet culpa ſuſcipientis validum tamen ſit, quamuis ſuum primarium effectum, nimirum gratiam ſanctificantem minimè conferat, licet enim ad gratiam conferendam inſtitutum ſit, & eius mirabilis energia in eo vno reluceat, illa tamen collatio eſt tantùm eius effectus, non ſubſtantia, & vis cauſatiua integra

perma

permanet, quamuis ab actione impediatur, quod in omnibus aliis cauſis videmus, idcircò non ſatis prudenter dixit Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 17. *§.* 1. *num.* 4. Extremam vnctionem à Simoniaco receptam nullam eſſe; quem errorem calami fuiſſe dixit Suar. *lib. de Simon. cap.* 57. *n.* 4. nullam fortaſſis nominauit Vgolin. inutilem, & nullius momenti, eò quod omni ſuo effectu careret.

Quando verò actiones ſacræ ſunt, & alicui ordini ſacro annexæ ex inſtitutione duntaxat Eccleſiæ, vt conſecrationes Calicum, altarium, & quædam benedictiones, non ſunt tamen inualidæ, etiamſi illicito modo & contra præſcriptum Eccleſiæ fiant, modò omnia, quæ tanquam ſubſtantialia ex vi illius inſtitutionis neceſſaria ſunt, adhibeantur; quod omnes omninò fatentur, & ex vi illiuſmet inſtitutionis ſequitur. An verò irritari poſſint hæ actiones ab Eccleſia, ita vt iis omnibus requiſitis poſitis, inualidæ tamen ſint niſi certo quodam mŏdo, aut cum certa diſpoſitione fiant à miniſtro, non diſputo hoc loco; nam tunc ille modus præſcriptus, aut miniſtri diſpoſitio, vel alterius cuiuſquam inter ſubſtantialia eiuſmodi actionis numerabitur. Itaque tota illa quæſtio tandem erit de nomine; quia tamen ab ea abſtinere placet, dico nunquam Eccleſiam eiuſmodi functiones ſacras, & ordinum ſacrorum actiones quamuis ex ſua tantùm inſtitutione irritaſſe, modò ſubſtantialia omnia à ſe præſcripta ponerentur, etiamſi cum aliqua graui culpa, atque adeò illicitè fierent; & ſingillatim nunquam ratione Simoniæ in illis commiſſæ, ipſas inualidaſſe, cùm nullum ius afferri poſſit in hanc rem, quod non de prohibito earum exercitio, aut inutilitate, quantum ad ipſum miniſtrum intelligatur. Quo ſenſu ex Gregorio, ſiue Auguſtino, variant enim vetera, & noua exemplaria, refert Gratian. 1. *quæſt.* 4. *cap. Eccleſia.* quod ipſum Alexandro II. tribuit Anſelm. *lib.* 5. *cap.* 20. Eccleſia per pactionem conſecrata, potiùs execrata, quàm conſecrata dicitur, non quod forma conſueta ſeruata, & ſubſtantialia adhibita non fuerint, vt diuinat Gloſſa, aut in odium criminis, ſed quia ita conſecrans quantùm eſt in ſe ita contrectat Eccleſiam tanquam locum profanum, illam igitur polluit, & execratur, vt ita loquar.

CONSECTARIVM II.

An actus iuriſdictionis Simoniaci ſint.

Hæc etiam quæſtio alio pertinet, vbi oſtendimus peccato non amitti iuriſdictionem etiam Eccleſiaſticam, eiúſque vſum non fieri inualidum, idcircò, niſi in quibuſdam caſibus ſit lex expreſſa illum irritans, validus manebit: cur verò Simonia potiùs inualidabit hos actus, quàm quoduis graue aliud peccatum? lex autem nulla eſt, quæ id ſanciat, ſi materiam prouiſionis beneficiorum, de qua diximus *in 2. propoſitione, 1. p.* excipias: diſputatur quidem à DD. an ſententia venalis valida ſit, apud Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 16. verùm id non oritur proximè ex venditione Simoniaca, cùm in quacunque materia id quæratur, ita vt ratio cuiuſcunque venditionis quamlibet ſententiam irritet. Itaque nihil eſt in eiuſmodi diſputatione ſingulare circa Simoniam.

CONSECTARIVM III.

An profeſſio Religioſa Simoniaca valida ſit.

Reſpond. eſſe validam. Ita Sanch. *lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 39.* Suar. *de Simon. cap. 57. num. 7.* Ferdinand *tract. 16. diſp. 2. punct. 2. §. vltim. nu. 3. & tract. 17. diſp. 3. punct. 23.* Leſſi. *lib. 2. cap. 35. dub. 25.* Nauarr. *comm. 4. de Regula. num. 25.* Rodriq. *tom. 3. qq. Regula. quaſt. 63. art. 3. & tom. 2. ſum. cap. 8. numer. 10.* idem aſſerens de excommunicati profeſſione, quod plures alij relati à Sanch. *capit. cit. nu. 36.* affirmant. Ratio eſt, quia hæc actio ad ſui valorem non requirit ex natura rei ſtatum gratiæ, & nullibi eam Eccleſia irritauit factam Simoniacè; immò potiùs contrarium ſupponit *in cap. de Regularibus. & cap. Quoniam. de Simonia.* quibus locis iubet Pontifex Simoniacè profeſſum debere detrudi in alia monaſteria eiuſdem ordinis, ſed arctiora: Quod etiam *in cap. veniens. de Simonia.* dicitur; & *in Extrau. 1. de Simonia.* quæ pœnæ ſupponunt hunc validè profeſſum eſſe, alioquin illum non cogerent ad habitandum in arctiori Monaſterio, aut in eodem, ſed dimitterent. Volunt tamen Nauarr. Rodriq. & Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 7. litt. K.* neque hunc, neque etiam excommunicatum; quamuis validè profiteantur, acquirere ius ad ſuſtentationem à Monaſterio petendam: ſicut neque ſtallum in choro, habitationem in Monaſterio, & ſuffragium, ſiue actiuum, ſiue paſſiuum in capitulo, eò quod profeſſio comparetur beneficio regulari ab Hoſtienſ. & Panorm. *in cap. ſuper inordinata. de præbend.* prouiſio autem beneficij facta Simoniaco, & excommunicato nulla eſt, neque ille prouiſus ius habet, vt alatur ex fructibus beneficij ſic adepti. Verùm hæc ratio oſtendit profeſſionem quoque Religioſam irritam eſſe, aut dat ius profeſſo, vt alatur à Monaſterio: pœna autem illa tranſeundi in aliud Monaſterium non obligat ante ſententiam, quod tradunt DD. à nobis proximè pro noſtra ſententia laudati, quia alioquin occultus Simoniacus cogeretur ſeipſum prodere exeundo è Monaſterio, aut carendo iuribus profeſſorum. Quod exigitur itaque *Extrau. 1. de Simonia.* diſpenſatio vt maneat in eodem Monaſterio, intelligitur poſt condemnationem criminis, vel vt ſine periculo condemnationis permaneat.

CONSECTARIVM IV.

An reliquiæ, grana benedicta, vaſa ſacra, aliáque ſimilia Simoniacè accepta retineri poſſint.

Reſpond. & dico hæc omnia retineri poſſe, quia dominium ipſorum validè transfertur per contractum Simoniacum ex natura rei, & attento ſolùm diuino, & naturali iure, vti conſtat *ex quæſt. ſuperiori propoſit. 1.* Lex porrò Eccleſiaſtica non irritat eiuſmodi contractum ex ſeſe validum, quod docuimus in altera propoſitione; verè igitur, & validè fuit tranſlatum omnium illorum dominium, & proinde à nouo domino ſeruari poſſunt, niſi velit reſcindere contractum.

CONSECTARIVM V.

An beneficia Eccleſiaſtica per alienam Simoniam acquiſita dimittenda ſint.

Ratio difficultatis eſt, quia non videtur, alienum peccatum debere officere alteri, maximè ſi ille, aut ignorauit, aut repugnauit, vel ſaltem non conſenſit, neque vlla alia ratione ipſi fuit cooperatus.

1 Obſeruandum porrò eſt, hanc Simoniam committi poſſe ſciente, vel ignorante eo, cui beneficium quæritur, qui vel conſentit illi Simoniæ, quam committi ſcit, vel ſuſpicatur, aut illi non conſentit, non tamen prohibet; aut prohibet, & contradicit, neque vnquam ab ea contradictione recedit, vel deinde ſiue ante, ſiue poſt obtentum beneficium conſentit Simoniæ commiſſæ in ſui gratiam, eámque quodammodo ratam habet, & approbat, vel deniq; ignorat omninò Simoniam iſtam, & idcircò illi repugnare, neque conſentire poteſt, niſi poſt aliquod tempus ab obtento beneficio id ſcelus, & fraudem reſciuerit. Qui omnes caſus ad perſpicuitatem diſtinguendi ſunt.

Et primo quidem, quoties quis ſcit in ſui gratiam Simoniam ab alio quopiam committi, & illi conſentit, vel ſaltem non reſiſtit, ſed lubens beneficium eo modo ſibi quæſitum acceptat, ſiue ipſe deinde refundat pecuniam ſui cauſa ſolutam ſiue non, inualidè acquirit beneficium, vti omnes conſentiunt; quia ille reuerà committit Simoniam, aut per Simoniam acquirit beneficium ſciens, & volens; hancque nullitatem prouiſionis ſupponunt apertiſſimè iura ſtatim afferenda.

Secundò qui ſcit committi ſui cauſa Simoniam, aut ſuſpicatur, & illi non conſentit, ſed contradicit; ſi nihilominus contra ipſius prohibitionem fiat Simonia, ipſéque ignoret, quia exiſtimat nihil factum fuiſſe contra ſuam prohibitionem, validè acquirit beneficium; quodſi ipſe ſciat, nulla habita ratione ſuæ prohibitionis, & contradictionis commiſſam nihilominus fuiſſe Simoniam, atque beneficium, eo modo comparatum acceptet, inualidè acceptat, quamuis committendæ Simoniæ contradixerit. Ita Leſſi *c. 35. lib. 2. numer.* 143. Suar. *lib. de Simon. c.* 57. *numero* 29. primam partem tradit *cap. ſicut tuis. de Simon.* & omnes DD. ex quo etiam colligitur ſecunda pars, quandoquidem Pontifex ideò excuſat à Simonia iſtum Abbatem, & eius confirmationem validam eſſe dicit, quia *contra prohibitionem, & voluntatem eius, eóque penitus ignorante* data fuerat à quibuſdam fratribus pecunia Epiſcopo Leodienſi ad obtinendam illam confirmationem, vbi, vt vides, requirit & prohibitionem, & ignorantiam, non Simoniacè quidem committendæ, alioquin illam prohibere non poſſet, ſed commiſſæ antequam beneficium acceptet: illa enim prohibitio inutilis eſt, ſi enim acceptas beneficium, poſtquam ſcis Simoniam eſſe commiſſam, illam approbas, & peccas, cùm tenearis non admittere beneficium. Itáque intelligendi ſunt DD. dum ex cap. illo *ſicut tuis.* contradictionem Simoniæ reddere validam collationem beneficij colligunt.

Tertio ſi qui contradixit Simoniæ, 3
quam ſui cauſa faciendam ſuſpicabatur, ab ea deinde voluntate receſſerit ante obtentum beneficium, illud inualidè recepit; ſecus verò ſi ea ap-

approbatio ſequatur adeptionē beneficij. Primū habetur in cap. *ſicut tuis. à qua*, inquit, voluntate, & contradictione, *poſteà non receſſiſti*; & inferiùs, *niſi poſtea conſenſeris, pecuniam ſoluendo promiſſam*, aut reddendo ſolutam. Et ſanè manifeſtum eſt ab eo committi Simoniam: de conſenſu verò poſt adeptum iam beneficium maior videtur eſſe difficultas. Sequor nihilominus gloſſam *in cap. ſicut tuis.* Tancred. Adrian. *quodl. 9. art. 3. litt. C.* Leſſi. *in cap. 35. num. 144.* Suar. *cap. 57. cit. n. 32.* Bonac. *q. 7. diſp. de Simon. punc. 2.* quia hæc approbatio ſupponit collationem validam, eam igitur non inualidat, niſi expreſſus aliquis textus afferatur, ex quo dicamus, valorem huiuſmodi collationis ex futuro euentu pendulum fuiſſe, & poſita hac approbatione ſtatim, eodémque momento fieri nullum. Neque vim habet hoc loco vulgaris Regula, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari*; ea enim vera tantum eſt in iis, quæ pendent à conſenſu ratificantis, non autem quæ iam abſolutè perfecta ſunt. Fateor tamen, grauiter peccari ab hoc prouiſo, peccato eiuſdem ſpeciei, & Simoniæ, atque idcircò mereri pœnam, ipſámque irritationem prouiſionis, quæ imponi poterit à iudice, vt docent quoque Leſſi. & Suar. Nos autem agimus de irritatione prouiſionis ipſo iure, & ante omnem ſententiam.

Ex quibus vides, an beneficiatus iſte poſſit pecuniam ſui cauſa Simoniacè promiſſam, aut ſolutam reddere; ſi enim id faciat ante obtentum beneficium, Simoniam realem committit, & redditur inhabilis ad illud beneficium, vt dicemus iterum inferiùs: ſi verò poſt acquiſitum beneficium id facit, eo tantùm animo, ne ſuus amicus inde damnum patiatur, aut gratitudinis cauſa, non autem approbando Simoniam, non peccat, immò & aliquando actum virtutis elicit ex Nauarr. *conſil. 10. de Simon.*

4 Quarto quando prorſus ignorante prouiſo committitur Simonia, qui idcircò neque conſentit, neque reſiſtit; prouiſio tamē nulla eſt. Ita Canoniſtæ plures, quos dabit Garc. 8. *part. de benefic. cap. 1. num. 6.* & recentiores paſſim apud Bonac. *diſput. de Simon. quæſt. 7. punc. 2.* & Barboſ. *in collectan. ad cap. ex inſinuatione, de Simon. n. 3.* contra Felin. *in cap. ex inſinuatione, citatum. num. 5.* Cotraſi. *4. part. cap. 1. n. 3.* Nauarr. *cap. 25. n. 113. & conſil. 73. de Simon. & conſil. 95. 96. 97.* Vgolin. *tab. 4. de Simon. cap. 7.* & Couarr. *in Regul. peccatum. ſecund. part. §. 8. num. 8.* Manifeſta tamen videtur noſtra, & communis ſententia in eo cap. *ex inſinuatione*, vbi Canonicus, qui præbendam, quam ipſi puero pater eius aliquando ſimoniacè comparauerat, grandior, & maturior factus repudiarat, illámque ex indulgentia capituli ipſum denuò in Canonicum eligentis recuperarat ea conditione, vt vltimum locum in choro occuparet, vbi prohibetur *quidpiam ratione primæ receptionis in Eccleſia vindicare.* Quia ſicut actio ſemel extincta non ampliùs reuiuiſcit, ita hæc collatio, aut receptio extincta & inualida non reuiuiſcit per poſteriorem validam, vti argumentatur gloſſa, & idcircò nihil *vindicare* ſibi licet ratione ipſius. Neque dicas, idcircò primæ receptionis ius extinctum fuiſſe, quia iſte Canonicus ſuam præbendam in manibus Præpoſiti, & fratrum liberè reſignarat, vt *ibidem* dicit Pontifex. Certum autem eſt, per renunciationem perire ius antiquum, immò cùm liberam reſignatio

gnationem agnoſcat hoc loco Pontifex, videtur ſignificare primam collationem validam fuiſſe, non enim reſignatur niſi quod habetur. Reſpondeo tamen, hanc reſignationem ſignificare tantùm dimiſſionem, & ceſſionem beneficij, quod poſſidebat; inde tamen non colligitur ipſum validè poſſediſſe; neque id ſignificat vox *liberæ reſignationis*, cùm enim tota illa Simoniæ fraus occulta fuiſſet, & nullus proinde cogeret iſtum Canonicum ad dimittendam præbendam, ipſe eam ſponte abdicauit, ad quod ex conſcientia tenebatur, vti perſpicuè dicitur *in cap. ſicut tuis.* & *cap. quicunque.* 1. *quæſt.* 5. fatenturque Vgolin. Couarr. aliique aduerſarij quemlibet beneficiatum, vbi ſciuerit ſe ſimoniacè beneficium acquiſiuiſſe, teneri ante ſententiam dimittere illud; quæ obligatio aliunde prouenire nequit, niſi quia poſſidet rem nō ſuam, etſi hactenus eum excuſauerit ignorantia; idcircò etiam fatentur iidem hunc obligari ad reddendos omnes fructus ad eam diem ex illo beneficio perceptos; ita tamen vt quos percepit ante hanc Simoniæ ſcientiam reſtituat tanquam poſſeſſor bonæ fidei, talem enim efficiebat ignorantia, hoc eſt, reddet extantes, non autem quos vel conſumpſit, vel in iuſtum ſtipendium ſui operis accepit. At verò quidquid collegit ex cognito vitioſo ingreſſu. & mora culpabili dimittendi beneficij, reponet tanquam poſſeſſor malæ fidei; quorum omnium alia ratio reddi nequit, niſi quia prior prouiſio fuerat irrita, quamuis vt talis non cognoſceretur. Denique cum indigeat diſpenſatione ad retinendum illud beneficium, dubium non eſt, inualidè collatum ipſi fuiſſe. Denique *cap. nobis, de Simon.* electio Simoniaca ignorante penitùs electo, dicitur *penitus reprobanda*; quod verbum ſignificat nullitatem ipſo iure ex gloſſa *in l. ſi qui aduocatorum. C. de poſtulando.* quam probant, & ſequuntur DD. quos dabit Garc. *cap.* 1. *cit. num.* 5. & *num.* 23. & circa dictionem *prorſus.* 11. *part. cap. vlt. n.* 58. Idem autem dicendum eſt, quando commiſſa fuit Simonia ab aliquo tertio etiam ignorante collatore; ignorantia enim conferentis non impedit, quin verè per Simoniam acquiſitum fuerit beneficium.

Si tamen quis commiſit Simoniam in odium alterius, vt ea fraude redderet 5
prouiſionem inualidam, firma erit collatio, modò prouiſus contradixerit, aut ignorauerit: quod colligunt omnes *ex cap. nobis.* & *cap. ſicut tuis.* Neque enim æquum eſt, vt hoſtis ex ſua prauitate compendium referat, & tibi noceat.

Fauet præterea huic ignoranti Simoniam Regula *de triennali poſſeſſione*, qua gaudebit, vti docent Ludouic. Gomez *in eam regulam. quæſt.* 12. Vgolin. *tab.* 4. *de Simon. c.* 6. §. 4. *num.* 2. Rebuff. *de pacific. poſſeſſionib. n.* 41. *aliàs* 198. Garc. 8. *part. c.* 1. *num.* 15. quæ Regula non fauet ſcienti Simoniam, neque illam excipere poteſt, ſi quis ipſi negotium faceſſat, quia nullum habet titulum coloratum; an verò inde veram præſcriptionem acquirat in conſcientia, res quidem dubia eſt Suar. *cap.* 57. *citato. num.* 39. ſed de ea alibi diſputabimus: mihi in Gallia id certum eſt ex Concord. *tit. de pacif. poſſeſſ.* ipſe enim eſt poſſeſſor bonæ fidei.

CON

CONSECTARIVM VI.

An penſiones Simoniacè acquiſitæ ſint dimittendæ.

1. Penſiones Clericales, ſiue vt alij loquuntur mixtas, imitari naturam beneficiorum, & materiam eſſe Simoniæ, vbi Bulla Pij V. illas annectentis miniſterio ſacro, hoc eſt, recitationi officij B. Virginis, recepta fuit, diximus *quæſt.* 18. *conſectar.* 11. Quæritur igitur, an eo caſu ſi committatur Simonia, validè acquirantur hæ penſiones, an verò ipſarum collatio ſit nulla, atque ita dimittendæ ſint.

2. Reſpond. cum Suar. *lib. de Simon. cap.* 57. *num.* 45. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 111. & *conſil.* 60. & 63. *de Simon.* Vgolin. *tab.* 4. *de Simon. cap.* 5. *num.* 2. & 3. Reginald. *lib.* 23. *r.* 181. validam eſſe eiuſmodi venditionem contra Garc. 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 20. & *in additionib. ad idem cap. num.* 26. quam opinionem in praxi conſuluit Bonacina *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 2. *num.* 22. Aperta verò eſt noſtræ ſententiæ ratio, hæ enim penſiones quamuis imitentur naturam beneficij Eccleſiaſtici, reuerà tamen beneficia non ſunt, neque proinde eo nomine comprehendi debent in lege pænali, quæ ſtrictiùs eſt interpretanda, ideóque eius verba in maximè propria ſignificatione vſurpantur: qua de cauſa, ne longiùs exempla petamus, ex communi DD. ſententia, quos adducit Garc. *n.* 20. *citato*, qui in his penſionibus committunt Simoniam, non incidunt in excommunicationem latam in Simoniam beneficialem, quia nempe pænalibus, & odioſis penſio etiam Clericalis non ſignificatur nomine beneficij, etſi aliqua eius vmbra ſit, cur igitur eo nomine deſignabitur quoad aliam pænam inualiditatis collationis? Quæ omnia confirmantur ex iis, quæ fuſiùs circa redemptionem eiuſmodi penſionum diſputauimus *conſectar.* 11. *citato*.

CONSECTARIVM VII.

An officia Eccleſiaſtica validè acquirantur prouiſione Simoniaca.

Officia Eccleſiaſtica alia ſunt merè temporalia, alia ſpiritualia; priora illa nullam actionem ſacram, & ſpiritualem continent, & idcircò quamuis vendi prohibeantur ab Eccleſia, non ſunt tamen materia Simoniæ, quod fuſiùs docuimus *quæſt.* 15. ſi igitur vendantur, validè quamuis illicitè venduntur, quia nullibi irritatur ea venditio, quamuis prohibeatur, quod non ſufficit, vti patet, alioquin quidquid ſimoniacè acquireretur, inualidum eſſet, quia illicitè acquiritur etiam iure diuino, & naturali, cùm tamen propoſitione 1. *q.* 20. monſtrauerimus contractum Simoniacum attento ſolum iure naturali validum eſſe. Tota itaque difficultas huius conſectarij circa officia ſpiritualia verſatur; hæc autem iterum ſunt in duplici differentia, nam aliqua verè beneficia ſunt, quia & perpetuitatem habent, & certam præbendam annexam, quæ duo conſtituunt beneficium Eccleſiaſticum; alia verò habent quidem aliquam adminiſtrationem, aut iuriſdictionem ſacram, non tamen perpetua ſunt, aut non habent præbendam annexam, vt Vicarij, Delegati, Legati, & Nuntij etiam Apoſtolici, Inquiſitores, Auditores Cameræ, atque alij quibus

commit

committitur adminiſtratio, vel iuriſdictio Eccleſiaſtica. Et quidem priora illa officia acquiſita ſimoniacè, inualidè acquiruntur, quia ſunt vera beneficia Eccleſiaſtica; & in *extrau.* 2. *de Simon.* disertè exprimuntur. Dubitatio itaque eſt de aliis officiis Eccleſiaſticis, quæ beneficia non ſunt, eò quod in illa Extrauag. verba iſta *officiis Eccleſiaſticis, & quibuſuis beneficiis*; Synonyma non ſunt, & in ſua propria ſignificatione capi debent.

2 Dico tamen, hæc omnia officia ſacra, & Eccleſiaſtica, quoties beneficia non ſunt, validè conferri contractu Simoniaco. Ita Nauarr. *capit.* 23. *numero* 111. Suar. *cap.* 57. *cit. numero* 49. Leſſi. *cap.* 35. *n.* 137. Bonac. *diſput. de Simon. q.* 7. *punc.* 2. *numero* 25. quia reuerà ſatis colligitur ex textu illius extrauagantis, Pontificem loqui de officiis Ordinariorum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quæ per Canonicam electionem, aut inſtitutionem conferuntur. Addidit deinde voces illas, *& quibuſuis beneficiis*, vt omnia beneficia etiam ſimplicia, & minima, quæ non ſolent officia appellari, cõprehenderet: idcirco Vicaria temporalis validè acquiritur per Simoniam, quod malè, & non ſatis conſequenter negauit Nauarr. *loc. cit.* tenetur quidem delegans illum Vicarium, non perſeuerare in illo Simoniaco pacto, & reſcindere contractum, quod quandiu non facit, peccat, Vicarius tamen validè creatur, & validè gerit ſuum officium.

Secundo Inquiſitor fidei ſimoniacè creatus, validè creatus eſt, quod tandem concedit Suar. quia licet videatur habere ordinariam inſtitutionem, & prouiſionem, eſt tamen delegatio duntaxat.

Tertio Vicaria perpetua, quia reuerà beneficium eſt, inualidè per Simoniam obtinetur.

Quarto Auditoriatus, ſiue Clericatus Cameræ ſimoniacè obtentus validus eſt, quia non eſt beneficium; ſola autem prouiſio Simoniaca beneficij annullatur in illa extrauagante.

Quinto Officia Abbatis, Prioris, aliorúmque ſimilia, quando & perpetua ſunt, & annexam præbendam habent, quia reuerà tunc ſunt verè beneficia, inualidè conferentur per Simoniam, & de illis expreſſè loquitur citata Extrauag.

Sexto officia verò Generalis, Prouincialis, Guardiani, Rectoris, & quocunque tandem alio nomine vocentur in Religionibus mendicantibus, cùm reuerà beneficia non ſint, neque vt talia exiſtimentur, neque præbendam habeant, validè conferuntur, etiamſi Simonia interueniat. Ita Filluc. *tract.* 45. *cap.* 13. *numero* 23. Ideóque licet Extrauag. cit. loquatur de Monaſteriis, & dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis quibuſuis, intelligenda eſt de dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis regularibus, quæ verè beneficia ſunt; quod omninò volunt, quotquot ſola beneficia propriè dicta ea conſtitutione contineri exiſtimarunt.

CONSECTARIVM VIII.

An ius patronatus validè per Simoniam acquiratur.

Huic quæſtioni reſpondimus diſputantes de translatione iuris patronatus *tractatu de beneficiis*, diximúſque

que eiuſmodi contractum Simoniacum nullum, & inualidum eſſe ex iure nouo Tridentini, vnde omninò ſequitur iis in locis, in quibus Tridentini decreta vigent, eiuſmodi ius patronatus ſimoniacè acquiſitum dimittendum eſſe, immò neque manere apud vendentem, qui à Tridentino illo priuatur ipſo iure, manétque proinde Eccleſia libera, vti eo loco monebamus; vbi verò ſolum ius antiquum ſeruatur, verius, illique conformius eſt, validum eſſe eiuſmodi contractum, & tale ius validè transferri in ementem, quanquam contrarium ſentiat vulgus Canoniſtarum, quos *ib.* adduximus, quia reuerà nullum ius expreſſum affertur, vti expendebamus citata quæſtione. Repugnat autem aliquam pœnam incurri ipſo iure, & in iure diſertè non exprimi, aut ex iis, quæ in iure continentur, euidenter, & neceſſariò non colligi: neque verum eſt, Tridentinum non condere ius nouum, ſed antiquum declarare, manifeſtè enim conſtat ex antiquo iure, vendentem ius patronatus non manſiſſe priuatum ipſo facto, & Eccleſiam non recuperaſſe ſuam ex ea parte libertatem, vbi enim, amabo, id habetur? promant tabulas. Neque neceſſe eſt, vt quoties legislator aliquid noui ſtatuit circa aliquam materiam, dicat ſe ſancire nouam legem, ſatis enim eſt, ſi antiquæ ſiluerint ea de re, quæ recens ſtatuitur. Cum igitur in noſtra propoſitione vniuerſali diximus, contractum Simoniacum irritari à iure in ſola materia beneficiorum, loquebamur de iure antiquo, quod vnum viget in Gallia; non negamus tamen, hanc irritationem ad venditionem iuriſpatronatus ex Tridentini nouiſſimo iure pertinere. Itaque ſecluſo hoc recenti decreto, & vbi illud receptum non eſt, non obligabitur emptor iuriſpatronatus, illo ſe abdicare; quod vnum quærebatur in noſtro conſectatio.

CONSECTARIVM IX.

An fructus percepti ex beneficio Simoniacè obtento reſtituendi ſint.

Reſpond. omninò, & in conſcientia ante ſententiam iudicis eiuſmodi fructus omnes reſtituẽdos eſſe, quia percepti ſunt ex re non ſua, ſed aliena, quandoquidem beneficium non fuit verè acquiſitum, & prouiſio fuit nulla propter Simoniæ impedimentum. Neque vllus prorsùs diſſentit ab hac doctrina. Quæſtio duntaxat eſt, cui facienda ſit illa reſtitutio, an Eccleſiæ, ad quam pertinent ex iure communi, an ſucceſſori, an Cameræ Apoſtolicę, vti alicubi fert conſuetudo, quæ tunc ſeruanda erit, alioquin Eccleſiæ debebuntur, niſi obtineatur à Pontifice compoſitio, vti fieri ſolet; cùm enim ſit ſupremus diſpenſator bonorum Eccleſiæ, de eiuſmodi prouentibus diſponere poterit. Exiſtimarem quoque, quoties alius à Pontifice, nimirum Epiſcopus poterit in aliqua Simonia diſpenſare, poſſe quoque in reſtitutione fructuum componere; quod iterum dicam inferiùs. Nunc moneo duntaxat, nomine fructuum beneficij intelligendos eſſe duntaxat illos, qui capiuntur præcisè ratione tituli beneficialis, non autem alia quæ ſunt veluti ſtipendia perſonalia, quamuis beneficium occaſio ſit, vt tali perſonæ potiùs, quàm alteri obueniant, vt quæ pro Miſſis, anniuerſariis, diuinis officiis, Concionibus, aliiſque miniſteriis ſacris à fidelibus quotidie donantur;

nantur; quin immò neque diſtributiones quotidianas in eiuſmodi fructibus numerarem: etiamſi enim non dentur niſi beneficiatis, aut præbendatis in ea Eccleſia, nihilominus non dantur niſi ratione præſentiæ, & in ſuſtentationem pro eo miniſterio, quod tunc exhibetur: vnde ſunt potiùs ſtipendia, quàm fructus beneficij; quod non diſplicet quoque Suari *lib. de Simon. cap. 57. numero 26.* licet contrariam ſententiam rigidiorem, veriorem exiſtimet.

CONSECTARIVM X.

An quando vnus tantùm actus in prouiſione beneficij Simoniacus fuit, tota prouiſio inualida ſit.

Verbi gr. electio, aut præſentatio legitima fuit, inſtitutio, aut confirmatio Simoniaca, aut è contrario præſentatio fuerit Simoniaca, inſtitutio autem legitima; quærimus, an vitium vnius alicuius actus totam prouiſionem corrumpat, & inualidet.

Reſpond. quoties Simonia inficit poſteriores actus, non inualidare priores; quando autem priores actus inualidi ſunt, poſteriores quoque eodem vitio laborant, & inualidi ſunt; Quarè ſi ſola confirmatio, aut inſtitutio ſit Simoniaca, præſentio, & electio, quæ legitimæ fuerunt, validæ manent, neque iterandæ ſunt: ſi verò electio & præſentatio ſimoniacæ fuerunt, neque inſtitutio, neque confirmatio quomodocunque fiant, validæ vnquam erunt. Quod idem dico de reſignatione, & collatione, hæc enim ſimoniacè facta non irritat reſignationem legitimam: reſignatio tamen Simoniaca impedit, ne collatio ſubſequens, quamuis ea labe careat, firma eſſe poſſit. Ita Leſſi. *c. 35. lib. 2. dub. 25. num.* 138. Suar. *c. 57. cit. num.* 7. Ferdinand. *diſp. 3. tract. 17. punc. 25. num. 6.* aliique; & probatur manifeſtò *ex cap. ſi confirmationem. de electione in 6.* vbi dicitur caſſata confirmatione, non idcircò electionem, ſi Canonica fuerit, infirmari, quia nimirum, vt ait *ibid.* Ioan. Monach. vtile non vitiatur per inutile ipſi adiectum, & ab eo ſeparabile. Quando tamen poſteriores actus inutiles ſunt ſine prioribus, & ſine illis ſubſiſtere nequent, ſi nulli ſint priores actus, poſteriores quoque inualidi erunt: ſic confirmatio cùm neceſſariò ſupponat electionem, conſiſtere nequit, ſi inualida electio præceſſerit; quia confirmatur non electus, quod intelligi nequit. Obſerua tamen, infirmandam eſſe à iudice eius electionem, aut præſentationem, qui pro obtinenda confirmatione, vel inſtitutione Simoniam commiſit, vt annuit Felin. *in cap. ſicut tuis. de Simon.* & alij adducti ab Vgolin. *tab. 4. de Simonia cap. 6. n. 4.* quia cùm reddatur, vt dicam *quæſt. ſequenti*, inhabilis ad hoc beneficium, & peccarit, in pænam ſui criminis id meretur.

CONSECTARIVM XI.

Caſus ſingulares, in quibus pretium Simoniacè acceptum reſtituendum eſt.

Hactenus egimus de reſtitutione rei ſpiritualis per Simoniam comparatæ, nunc de eius pretio agimus; neque difficilè fuerit ex duabus noſtris propoſitionibus, ſingulares caſus in hac parte definire.

Primo igitur, qui iniuſtè vexans alium circa beneficium, pretium

ab eo accepit, vt vexare deſineret, tenetur ipſi illud reſtituere, quia iniuſtè, & per iniuriam illud accepit, vt patet.

Secundo qui tenebatur ex iuſtitia ſacram aliquam actionem exercere & alteri miniſtrare Sacramenta, vt Parrochus, eam tamen adminiſtrationem vendidit, pretium eiuſmodi reſtituere debet, quia in eo accipiendo iuſtitiam violauit. Itaque dicendum eſt de Parrocho vendente ſepulturam, & Sacramenta, & de Epiſcopo vendente ordinationes, diſpenſationes, cæteráque ſimilia: & ſanè ſi miles, aut famulus, qui accepto ſtipendio tenetur famulari, & militare, id nollet ſine nouo ſtipendio, peccaret contra iuſtitiam; ita & hic Parrochus, & Epiſcopus, qui redditus accipit ad miniſterium ſuum gratis exhibendum, ſi nolit, niſi accepta pecunia miniſtrare, iniuriam facit, & violat iuſtitiam commutatiuam; ad reſtitutionem igitur tenetur.

2 Tertio Prælatus vendens beneficia, & officia Eccleſiaſtica, quorum non eſt dominus, ſed diſpenſator, & quæ ex voluntate Domini gratis diſtribuere tenetur, peccat contra iuſtitiam, ſi pro ea diſpenſatione & diſtributione quidpiam accipiat: ſicut hæres, qui legata pia diſtribuenda in pauperes accepit, ſi ab illis quidpiam exigat, tenebitúrque ad reſtitutionem. Si verò pecuniam accipit in compenſationem emolumenti, quod alteri confert, & pro eo affectu, quo aliis te præfert, & quia priuat ſe facultate benefaciendi aliis, qui fortaſſis gratiores forent; peccat quidem, ſed non committit iniuſtitiam, vti diximus quæſt. 5. conſ. 3. ex 1. Regula; quia hæc omnia vulgò magni æſtimãtur, quarè ſine iniuſtitia compenſabuntur, neque inde naſcetur obligatio ad reſtitutionem; atque ita concilio diſſidentes ſententias Suar. *cap.* 59. *num.* 13. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. n.* 82. & Bonacin. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 3. *diffi.* 1. *num.* 7. qui ad reſtitutionem hunc vendentem obligant, & Leſſi. qui *libr.* 2. *capit.* 35. *numer.* 161. negat obligari.

Quarto electores, qui pretium accipiunt, vt dignum eligant, omiſſo indigno, tenentur ad reſtitutionem, quia tenebantur ex officio dignum eligere: ſi verò accipiant, vt digniorem eligant, non tenentur ad reſtitutionem, quia non obligabantur ad dignioris electionem, & electione digni ſatisfaciebant ſuo muneri; deinde quod vnum præ alio eligant, poſtulant pretium non electionis, ſed quod præferant vnum alteri, vt iam diximus; & præterea non violant iuſtitiam commutatiuam, quod dignum præferant digniori, ſed diſtributiuam tantùm, idcóque neque ad reſtitutionem obligantur. 3

Quinto qui vendunt reliquias, eò quod ſe vel voluptate, quam ex illis capiebant, vel emolumento quamuis ſpirituali duntaxat priuant, non violant iuſtitiam, vti cum Leſſio diximus *conſ.* 3. *citato*, ideóque non obligabuntur ad reſtitutionem pretij accepti.

Sexto pretium pro granis benedictis, Chriſmate, oleo ſancto, & vaſis ſacris, ſi æquiualeat materiæ iſtorum ſacrorum, quamuis formaliter ratione conſecrationis vendita fuerint, non erit reſtituendum, quia non fuit iniuſta, ſed ſolùm ſacrilega venditio, propter annexum materiale, ſiue temporale, quod æquiualet pretio; ſi verò vel pretium exceſſerit huius temporalis valorem, non autem vel ob ornatum, vel non ob commodum

dum

dum ſpirituale, aut temporale, quo ſe priuat vendens, vt dicebamus in reliquiis, imagine miraculoſa, & aliis ſimilibus, ſed præcisè, omnibuſque aliis rationibus ſecluſis, quatenus hæc ſunt ſpiritualia, & ſacra accipiatur, ita vt ipſa ſanctitas, conſecratio, & ſpiritualitas nuda, & præciſa vendatur, quod nunquam in his moralibus contingit, violabitur iuſtitia, eritque reſtituendus ille exceſſus pretij, aut totum etiam pretium, quando dabitur pro nuda, & præciſa ſpiritualitate modo explicato; quæ omnia conſtant ex eo *conſect. 3. q. 5. citat.*

4 Septimo pretium acceptum pro actione ſpirituali, pro qua poterat accipere ſuſtentationem, non erit reſtituendum, quia non plus accipit, quam potuerit accipere legitimo titulo; quare non peccat niſi in modo accipiendi, & quamuis violaſſet iuſtitiam accipiendo per modum pretij, quod ſolo titulo ſuſtentationis capiendum erat, poteſt nunc mutare inſtitutionem, & animum, & ſeruare titulo ſuſtentationis, & ſtipendij, quod in pretium acceperat, modò non excedat iuſtum ſtipendium.

Octauo pretium acceptum pro functione ſacra, ſi illi æquiualeat materialiter acceptæ, ſiue quantum æſtimaretur labor ipſi intrinſecus, ſi ſacra non eſſet, non eſt reſtituendum, modò ex iuſtitia non fuiſſet debita talis actio, quia ſacrilegè quidem accipitur ea pecunia, non tamen iniuſtè.

Nono vendens officium Eccleſiaſticum, quod non eſt beneficium, & quod habet annexum temporale emolumentum, non tenetur rèſtituere pretium adæquatum illi emolumento, quo ſe priuat; quia non committit iniuſtitiam, & contractus validus eſt tum iure diuino, tum eccleſiaſtico.

Decimo pretium pro venditione beneficij, aut quacunque alia Simonia in eius collatione, & prouiſione commiſſa, reſtituendum eſt iure Eccleſiaſtico, quod fusè docuimus *propoſit. 2. 3. parte, quæſt. 10.*

Vndecimo pretium pro venditione iuris patronatus reſtituendum eſt, vbi ex nouo iure Tridentini ea veuditio inualida eſt; vbi autem viget adhuc antiquum ius, & venditio valet, non erit reſtituendum, quod conſtat ex dictis.

Duodecimo pretium pro ingreſſu Religionis, vel captum eſt ab ipſo 5
Monaſterio ſuſcipiente Nouitium, vel à Nouitio ingrediente Religionem, neutro autem modo ante ſententiam reſtituendum erit; non quidem iure diuino, quia hic contractus validus eſt, & pretium adæquatur oneri, quod ſubit Monaſterium ſuſcipiendo Religioſum; & ſi pretinm detur ingredienti Religionem, cùm ille ſe illo pretio tradat, & veluti vendat, ſuámque libertatem, nulla fingi poteſt in eo contractu inæqualitas, ad quam reparandam ius diuinum obliget, niſi fuerit in vtroque illo caſu exceſſus aliquis pretij ſupra rem venditam; quod autem attinet ad ius Eccleſiaſticum, illud nullibi irritat eiuſmodi contractum, neque vllibi præcipit tale pretium ante ſententiam reſtitui. Nam *cap. Veniens. de Simonia.* compelluntur quidem Monachi, & Abbas ad reſtituendam eiuſmodi pecuniam; verùm iam hic interuenit ſententia, deinde non reſtituitur ea pecunia, niſi vt in alio Monaſterio Domino valeat deſeruire; neque enim iuſtum erat, vt hic Religioſus ab alio Monaſterio aleretur, & primum illud gauderet pecunia

illa ſacrilegè ſuſcepta; atqui non tenebatur hic Religioſus prius illud Monaſterium deſerere ante ſententiam, vt dicam *quæſt. ſequenti*, ergo neque Monaſterium pecuniam reddere, immò inutiliter reſtitueretur, cùm ex eo *cap.* reddenda ſit illi ipſi Religioſo, qui dominij, & proprietatis incapax eſt, ideóque ſtatim atque illi fuiſſet reddita, rediiſſet in Monaſterij dominium; quanquam ex eo, quod iubeatur iſta reſtitutio fieri illi, qui dederat, ſuſpicio non leuis eſt Ferdinand. *tractat.* 17. *diſputat.* 3. *punct.* 26. *numer.* 6. hunc presbyterum conſuluiſſe Pontificem, antequam profeſſionem emitteret, de conuentione illa turpi, quam iniuerat cum Monaſterio, iubétque Pontifex illi pecuniam datam reſtitui, eius enim capax adhuc erat, & tenebatur Monaſterium ad hanc reſtitutionem iure naturæ, quia nondum erat impletus contractus per profeſſionem Religioſam, & compleri non poterat, donec labes illa Simoniæ fuiſſet abſterſa, & ille deceptus omninò fuerat, exiſtimauerat enim eam fuiſſe conſuetudinem legitimam, ex eáque ſe teneri. Placet autem quod ait Bonacin. *punct.* 3. *numer.* 20. *difficult.* 1. Monaſterium non teneri iure naturæ, & ante ſententiam, pecuniam acceptam reſtituere ſecundo Monaſterio, ad quod ſponte ſe confert Religioſus relicto priori, in quo fuerat Simoniace profeſſus, contra Suar. *capit.* 60. *lib. de Simonia. num.* 11. & Ferdinand. *loco citato*, quia prius illud Monaſterium validè, & ſine iniuſtitia, quamuis Simoniacè pecuniam illam acceperat; vnde igitur orietur ea obligatio naturalis reſtituendi? quod enim iſte Simoniacè ingreſſus deſerat ſponte id Monaſterium, & aliud adeat, non obligabit ad eam reſtitutionem ſecluſa lege Eccleſiaſtica, ſi enim aliud Monaſterium ipſum ſuſcipit, onus eius alendi ſubit, & pecunia non fuit data priori Monaſterio, vt ex ea aleretur Monachus, & quamdiu aleretur, ſic enim non fuiſſet commiſſa Simonia; ſed duntaxat vt in eo liceret profiteri, quod cum factum fuerit, pecunia manet apud illud Monaſterium, niſi iure Eccleſiaſtico illam reddere cogatur, quod ius non reperiri obligans ad eiuſmodi reſtitutionem ante ſententiam, iam diximus; illud autem verius erit, quando pecunia fuit data ipſi ingredienti, quanquam vbi ille profitetur, cùm fiat incapax omnis dominij, & pecunia ipſi data iam redeat ad Monaſterium. Quare de illo caſu nihil ſtatuunt iura.

Decimotertio pretium acceptum pro collatione ordinum, non eſt reſtituendum, quia in eius acceptione non fuit commiſſa iniuſtitia; niſi dicas Epiſcopum teneri ex officio gratis illos conferre, in eámque rem habere ſtipendia, ſiue prouentus ſibi aſſignatos; ſed tunc id tantùm valebit circa ſuos ſubditos, & in illis diebus, in quibus ad eam adminiſtrationem tenebitur. Nos autem loquimur de reſtitutione pretij Simoniaci, quatenus ſimpliciter datur pro collatione ordinum, vt ſic autem non committitur in eo iniuſtitia, vti aliàs dixi; neque etiam vllum ius Eccleſiaſticum eſt, quod eam reſtitutionem imperet ante condemnationem. 6.

CONSE

CONSECTARIVM XII.

An Simonia mentalis obliget ad reſtitutionem.

Simoniam mentalem non vocamus hoc loco eam, quæ in ſola voluntate & intentione committendi Simoniam realem conſiſtit, ſed quæ licet opus externum habeat, non ſe prodit exteriùs, eò quod opus illud externum illam neceſſariò non arguat; accipit v.gr.aliquis pretium rei ſpiritualis,quamuis fingat ſe alio titulo accipere, & nullum pactum ſiue explicitum, ſiue implicitum fuit;qua etiam ratione dicitur vſura mentalis, quod totum explicuimus *quæſt.* 1. Hanc igitur Simoniam mentalem nunquam obligare ad reſtitutionem, pleríque docent Caiet. *ver. Simonia ſub fin* Nauarr.*cap.*23.*num.*103.Petr. Nau. *lib.*2.*de reſtitutio.cap.*2.*nu.*390. Redoan. 1. *parte de Simonia. cap.* 3. Valent. *tom.* 3.*diſp.*6.*quæſt.*16.*punc.*6. & alij quos dabunt Binsfeld. Suar. & Bonac. mox afferendi. è contrario verò affirmant Azor. 3.*par. lib.* 12. *cap.* 20. *quæſt.* 2. Soto. *lib.* 9. *de iuſtitia. quæſt.* 8. *art.* 5. & alij apud Binsfeld. ego rem totam ſic compono cum Suar. *lib.de Simonia. cap.*59. *num.*43. Reginald.*lib.*23.*nu.*430. Bonac.*diſp. de Simon.quæſt.*7.*punct.*2.*diffic.*1.*n.*23. qui Molfeſium,& Leſſium allegat.

1 Dico igitur, hanc Simoniam nunquam ex ſolo iure Eccleſiaſtico obligare ad reſtitutionem, etiam vbi Simonia realis obligaret; ita communiter Theologi, & Canoniſtæ, quos enumerat Binsfeld.*in cap.vlt. de Simon.quæſt.*1.*conc.*2. itáque ſunt exponendi pro prima ſententia allati, quia Eccleſia profitetur ſe de ea Simonia non iudicare, ſed apud diſtrictum Iudicem, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, eius reos iudicandos eſſe. Ita cap. *Tua nos.* & cap. *ſicut tuis, de Simon* eam igitur non punit Eccleſia, ſi de illa non cognoſcit. Deinde expreſſiſſimum habemus ius *cap.vlt.de Simon.*vbi Pontifex conſultus negat quemquam teneri ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi taliter acquiruntur, ſed ita delinquentibus ſatis eſſe, ſi per ſolam pœnitentiam ſuo Creatori ſatisfaciant. Agebatur autem de Simoniaco ingreſſu in Religionem,& quamuis plurima aduerſus tam manifeſtum ius aduerſarij excogitârint, maximè Adrian & Soto. quæ pluribus excutiunt Binsfeld. & Suares *locis citat.* ea tamen minimè nobis officiunt, cùm ſtatim appareat pugnare cum mente, & verbis Pontificis; quare inanibus eiuſmodi expoſitionibus refellendis lubens abſtineo.

2 Aio ſecundo Simoniam iſtam mentalem ex diuino iure obligare ad reſtitutionem pretij Simoniacè accepti, quoties in eo fuit violata iuſtitia commutatiua; eodem prorſùs modo atque obligat Simonia realis, quando præter ſacrilegij,& irreligioſitatis prauitatem, iniuſtitiæ malitiam continet. Quod ſi velint Soto, & alij in ſecunda ſententia adducti, facilè conueniemus. Ratio verò perſpicua eſt, quia æquè tunc in Simonia mentali violatur iuſtitia, atque in reali; ergò æqualis erit in vtraque obligatio reſtituendi,quandoquidem, vti ſæpiùs monuimus, tota, & vnica radix obligationis ad reſtitutionem, eſt iniuſtitia, & inæqualitas poſita, quæ reparanda eſt; quod autem ea iniuſtitia occulta aut manifeſta ſit, lateat in animo aut exteriùs

ſe prodat, ſi tamen reipſa committitur, & actu fit alteri iniuria, ponitúrque inæqualitas, eadem ratione obligat ad reponendam æqualitatem ex iure diuino, & ex natura rei; non ſubiacebit tamen pœnis, aut legibus humanis, quamdiu occulta fuerit. Quod confirmatur *ex cap. conſuluit. de vſuris.* vbi vſura mentalis dicitur obligare ad reſtitutionem: quod etiam multis *in idem cap. conſuluit.* oſtendit Binsfeld. *quæſt.* 1. quia nimirum ſemper eiuſmodi vſura, quæ non ita mente latet, quin opere externo committatur, vt dixi de Simonia, habet adiunctam iniuſtitiam, ratione cuius inuehit ſecum obligationem reſtituendi. Quarè fruſtrà laborant DD. in aſſignando diſcrimine vſuræ, & Simoniæ mentalis, & cur vna ſemper obliget ad reſtitutionem, non autem altera; eas differentias fuſiſſimè proſequitur Binsfeld. *quæſt.* 1. *in cap. vlt. de Simon.* & demonſtrata earum inanitate, ait aſſentiendum eſſe humiliter Pontifici ita definienti *in cap. conſuluit. de vſuris.* & *in cap. vltim. de Simon. quamuis*, inquit, *rationem qua motus fuit, non penetremus.* Verùm ea multùm abdita non eſt, & iam à nobis reddita eſt; cum enim vtroque illo capite agat Pontifex de foro interno, optimè dixit, vſuram mentalem teneri ad reſtitutionem, quia ea ſemper iuſtitiam violat, eſtque eſſentialiter iniuſtitia. Simonia verò in ingreſſu Religionis, de qua agitur *in illo cap. vltim* nullam continet iniuſtitiam, ſed ſolum ſacrilegium, de quo *per pœnitentiam Creatori ſatisfacere ſufficiet.* Eccleſia autem ſcelus illud animo latens non punit, neque proinde ratione illius ad aliquam reſtitutionem obligat. Atque ita benè conſentiunt illa duo Pontificia reſponſa, & apparet diſcrimen manifeſtum inter vſuram, & Simoniam. Vlteriúſque colligitur ex ea ſapientiſſima Pontificis reſponſione, quoties Simonia mentalis non includet iniuſtitiam, non obligare ad reſtitutionem, & ſola pœnitentia abſtergi; cur enim potius in alia materia, quàm ingreſſu Religionis commiſſa, reſtitutionem imponeret, ſi in neutra violetur iuſtitia commutatiua?

CONSECTARIVM XIII.

An Simonia conuentionalis obliget ad reſtitutionem pretij Simoniaci, aut inualidet actum.

Hoc eſt, quando res ſpiritualis tradita fuit, nondum tamen datum pretium promiſſum, vel è contrario, quando fuit traditum pretium, ſed res ſpiritualis promiſſa nondum data fuit. Et quidem quoad poſteriorem iſtum caſum monuimus initio quæſtionis, reſtituendum eſſe pretium Simoniacum, quamdiu ſpiritnale nondum fuit traditum, & non eſt completa Simonia, ex omnium conſenſu; quia alter non poteſt conditionem ſibi impoſitam implere, & tenetur illam non implere; ea autem non impleta, nullum ius habet vendens retinendi pretium pro merce, quam neque dedit, neque dare poteſt ementi. Tota igitur quæſtio hoc loco eſt circa priorem partem, ſcilicet, an Simonia connentionalis inualidet actũ, quem Simonia realis, & completa inualidaret, v. gr. collatum fuit, aut reſignatum beneficiũ promiſſa pecunia, an ea collatio, reſignatio, & prouiſio Simoniaca beneficij valida ſit, quãdiu non cõpletur Simonia, & pecunia promiſſa non traditur; atque ita prouiſus de beneficio, illud ſibi tutò 21

retinere

retinere poſſit, atque etiam pecuniam promiſſam non dare.

2 Hoc autem probabiliter affirmo, & eiuſmodi prouiſionem beneficij validam eſſe exiſtimo, non quidem attento rigore iuris, ſed ſtylo Curiæ, qui conſulendus omninò erit, vti dicam *quæſt. ſequen.* talem autem eſſe in hac parte, atque adeò validitatem iſtius prouiſionis affirmant Nauarr. *cap.* 23. *num.* 104. Caſſado. *deciſ.* 5. *de conſtitut.* Gomeſi. *in Regulam. de triennali poſſeſſ. quæſt.* 12. Couarru. *in Regula. peccatum.* 2. *part.* §. 8. *nu.* 7. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 418. Binsfeld. *in cap. vltim. de Simonia. quæſt.* 2. *conc. vltim.* Suar. *lib. de Simonia. cap.* 57. *num.* 51. & alij recentiores contra Caietan. *ver. Simonia.* & Sotum. *lib.* 9. *de iuſtitia. quæſt.* 8. *art.* 1. & alios, quia vt dicemus *quæſt. ſeq.* ex ſtylo Curiæ, & vſu, Simonia tantùm conuentionalis non ſubiicitur pœnis iuris. Hic igitur prouiſus tutò beneficium retinebit, neque pretium promiſſum dare tenebitur, quia nequit obligari ad actionem turpem, eáque promiſſio omninò inualida eſt, vtpote ad peccatum obligans; idcircò non facit iniuriam vendenti, quia non accepit ab illo aliquid, quod pecunia compenſari, & æſtimari poſſit; & per accidens eſt, quod lucrum ipſe ex ſua fraude reportet, nempe & beneficium, & pretium, quia ſubiicitur quidem aliis pœnis imponendis à iudice, donec autem priuetur ſuo beneficio, non obligatur illud dimittere.

3 Vbi verò fuerit completa Simonia, ſtatim inualidatur prouiſio, & ex tunc tenetur beneficium illud dimittere, atque fructus ex momento Simoniæ completæ perfectos; non retrotrahitur autem iſta nullitas ad diem collationis, aut prouiſionis, licet Nauarr. Vgolin. aliíque id velint ex ſtylo Curiæ; quia ſi id concederemus, dicendum omninò eſſet, fructus à die prouiſionis perceptos, & omnia beneficia deinde etiam obtenta, in foro conſcientiæ, & ante condemnationem dimittenda eſſe, vti voluit Vgolin. *tab.* 4. *de Simonia. cap.* 6. *ſub fin.* nam reuerà ex re non ſua fuiſſent percepti illi fructus, & inhabili collata talia beneficia; & tamen hunc Simoniacum ad hæc omnia obligari ante ſententiam, negant ipſe Nauarr. *cap.* 23. *num.* 104. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 19. *num.* 2. *litt. tt.* Leſſius. *lib.* 2. *capit.* 35. *dub.* 27. *numer.* 155. Suar. *capit.* 57. *cit. num.* 56. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. num* 68. Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punct.* 2. *diffic.* 1. *num. vltim.* Ferdinand. *diſput. de Simon. punc.* 22. *n.* 6. qui *ibidem* negat pœnas Simoniæ retrotrahi ad tempus pactionis, vbi completa fuerit.

CONSECTARIVM XIV.

An Pontifex poſſit diſpenſare in reſtitutione pretij Simoniaci.

Reſpond. quoties reſtitutio iſta facienda eſt ex iure naturæ certæ cuidam perſonæ, cui facta fuit iniuria Pontificem poſſe per ſe, & directè diſpenſare, quia non eſt dominus bonorum illius, cui ea reſtitutio facienda eſt, neque iuris ipſius, ideóque illud condonare nequit. Per accidens tamen fieri poterit, ne iſte teneatur læſum ius reparare, ſi enim ille qui dedit pretium Simoniacum, commiſit quoque Simoniam, poterit Pontifex in pœnam eiuſmodi criminis ipſum priuare iure repetendi pretij, quod iniuſtè ab ipſo exactum fuerat.

rat. Ad hanc verò pœnam imponendam opus eſt ſententia & condemnatione, ac proinde probationibus, quibus iuridicè conſtet de admiſſo crimine. Ita Leſſi. *cap.35.lib.2. dub. vltim. num.* 172. Suar. *lib. de Simon. cap.61.n.*12. Bonac. *diſp. de Simon. q* 7. *punc.2. diffic.1. ſub fin.* Quodſi iſta reſtitutio facienda ſit ex ſolo iure Eccleſiaſtico, certum eſt, Pontificem in illa diſpenſare poſſe, vt & in cæteris legibus Eccleſiaſticis, atque bona debita Eccleſiæ, tanquam eius ſupremus œconomus, condonare.

CONSECTARIVM XV.

An mediatores Simoniæ teneantur ad aliquam reſtitutionem.

Reſpond. primo ſi hi mediatores pecuniam aliquam acceperunt ob ſuam præſtitam operam, non magis teneri ad illius reſtitutionem, quàm ad reddendam mercedem cuiuſcunque alterius turpis operis. ſecundo quoties Simoniaci tenebuntur ad reſtitutionem vel pretij, vel rei ſpiritualis, puta beneficij, & fructuum eius; toties etiam iſtos mediatores in defectum ipſorum Simoniacorum teneri ad eandem reſtitutionem, eadem prorſus ratione, qua cooperatores damni illati obligãtur ad reparationem illius in defectum cauſæ principalis ſecundum Regulas alibi traditas, quia iſte mediator eſt verè cauſa eiuſmodi damni, & iniuriæ factæ, vti ſtatim apparet, & ſapienter tradidit Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 24. *quæſt.* 3. Vgolin. *tab.* 4. *de Simonia. capit.* 8. *num.*3. & 4.

QVÆSTIO XXIV.

Circa pœnis Simoniæ.

Aliæ pœnæ imponuntur ipſo iure, aliæ verò imponi ab illo iubentur; de vtriſque tum in vniuerſum, tum in ſpecie agendum erit; quibus adiiciemus aliquid de probatione Simoniæ, & pœnatum ipſius diſpenſatione.

PRONVNCIATA VNIVERSALIA,

De pœnas Simoniæ.

Dico primo nullam pœnam incurri ipſo iure à Simoniacis, niſi in Simonia commiſſa circa beneficia, ingreſſum Religionis, & ſacros ordines. Ita Sylu. *ver. Simonia quæſt.*19. Nauarr. *cap.*23.*nu.*111. Vgolin. *tab.*1. *de Simonia. capit.*12. & *tab.*4. *cap.*3. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 13. Suar. *lib. de Simon. cap.*55. & alij paſſim recentiores, contra Garc. 8. *par. de benefic. cap.*1. *num.*42. Raphaël à Torre. 2. 2. *quæſt.*100. *art.*6. *diſp.* 7. qui volunt omnes pœnas, quæ in antiquis decretis ferri iubentur contra Simoniacos, nunc ipſo iure incurri ab ipſis per Extrauag. 2. *de Simon.* à Paulo II. latam, quod ſaltem de excommunicatione dicendum eſſe contendit Sot. *lib.*9. *de iuſtitia. quæſt.* 8. *art.* 2. eo quod in ea Extrau. dicat Pontifex, ſe omnes pœnas quomodolibet olim latas contra Simoniacos cõfirmare, & velle eas ab ipſis ipſo facto incurri. Quibus verbis nihil clarius eſſe videtur, niſi dicamus ea eſſe omninò ſuperflua, & eiuſmodi voluntatem nullius efficacitatis fuiſſe; deinde *in* §. *ſtatuentes.* ſtatuit vniuerſos,

ſos, & ſingulos, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint, incurrere in excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam, eo autem verbo, *qui quomodolibet dando, vel accipiendo Simoniam commiſerint*, quoſlibet Simoniacos, & non circa vnam tantùm materiam comprehendũt, vti germana ipſorum ſignificatio ſatis indicat. Probatur tamen noſtra ſententia, imprimis enim habemus, nullam in antiquis decretis decretalibus, Clementinis, & aliis extrauagantibus contineri pœnam ipſo iure latam in quoſlibet Simoniacos, immò neque fortaſſis in vllos. Quod attinet porrò ad hanc Extrauag. Pauli II. Reſpondent aliqui, eam non fuiſſe latam in eo rigore, quem ipſa verba præ ſe ferunt, quod apertè teſtatur communis DD. ſenſus, qui poſt illam conſtitutionem ſcripſerunt, negarúntque eiuſmodi pœnas incurri ipſo facto à quibuſcunque Simoniacis. ſecundo contendunt verius alij, non eam fuiſſe mentem Pontificis; tantùm enim abeſt, vt ab omnibus, & quibuſcunque Simoniacis omnes antiquas pœnas ipſo iure incurri voluerit, vt nequidem id de illis ipſis Simoniacis, quorum diſertè meminit in ea conſtitutione, ſtatuerit. alioquin omnes Simoniaci in beneficio, & ordine eſſent ipſo iure depoſiti, & priuati omnibus beneficiis, quia eiuſmodi priuatio, & depoſitio ex antiquo iure ferenda erat, vti dicam inferius; id tamen quis audeat affirmare? Deinde vt quid Pontifex expreſsè imponit ſuſpenſionem Simoniaco in ordine, & excommunicationem Simoniaco in beneficiis? cùm enim hæ pœnæ olim fuiſſent ferendæ, iam ipſo iure incurrebantur ex illa vniuerſali clauſula, *quas ipſo facto eos incurrere volumus*, ex aduerſariorum interpretatione, quæ omnia arguunt, aliam fuiſſe mentem Pontificis, quam peruaſit, niſi fallor, Felin. *in cap. de Simoniacè, de Simonia*; pœnas nimirum omnes antiquas ad Simoniacum etiam occultum extendit Paul. in ſua illa conſtitutione, ita vt quod aliqui negabant, velit omnem, & quemcunque Simoniacum etiam occultum pœnis Simoniæ ſubiici, & ſi quæ ſint ipſo iure latæ, eas ipſo quoque iure abſque vlla ſententia incurrere, neque opus eſſe notorietate criminis. In illo autem §. *ſtatuentes.* pœnam excommunicationis imponit iis Simoniacis, de quibus egerat paulò ante, nempe circa beneficia, & officia Eccleſiaſtica. Et ſanè alioquin dicendum foret, etiam Simoniacos in ordine incurrere iſtam excommunicationem, ſuſpenſionem quoque Simoniacos in beneficio. Cur igitur iſta tam accuratè diſtinguit eo loco Pontifex; & ſuſpenſionem ratione Simoniacæ ordinationis, & excommunicationem, ratione Simoniacæ prouiſionis beneficij imponit; ſi ex aduerſariis, ex verbis ipſiuſmet Pontificis vtraque illa pœna vtrique illi Simoniæ eodem modo, id eſt ipſo facto, & ipſo iure imponitur?

Dico ſecundo per ſolam Simoniam realem ex altera ſaltem parte 2
per traditionem rei ſpiritualis completam incurri pœnas ipſo iure latas.

Et primo quidem Simoniam mentalem etiam opere aliquo ſubſecuto, non ſubiici pœnis Eccleſiaſticis, colligebamus nuper cum communi ſententia, pro qua plures allegat Garc. *c. 1. n. 45. part. 8. de benefic.* ex c. *mandato. de Simon.* neque in hac parte diutiùs eſt immorandum, quamuis iſta Simonia ita mentalis ſit, vt habeat

externum nihilominus aliquod opus, modo aliàs explicato, atque fortaſſis ratione illius puniri potuerit ab Eccleſia, quod modò non diſputo, ſatis nobis eſt, quod nulla vnquam lege punita fuerit; immò palàm declarârit Eccleſia in *illo cap. mandato.* ſe ab eiuſmodi Simoniaco ſolam pænitentiam, qua ſatisfaciat Creatori ſuo, exigere.

Simonia quoque conuentionalis, quæ eſt ſola, & nuda pactio, ſiue conuentio, de commutatione rei temporalis cum ſpirituali, abſque vlla adhuc traditione nullas incurrit pænas ipſo iure. Atque hanc quoque aſſertionem communem eſſe teſtatur Suar. *lib. de Simonia. cap.* 55. *nu.* 12. Gutier. *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 9. *numer.* 8. *& ſeq.* quia textus omnes imponentes Simoniæ pænam, loquuntur de receptione, & traditione rei ſpiritualis, & nunquam ſolius pactionis meminêre. Dicunt quidem iura, nudam eiuſmodi pactionem eſſe Simoniam, quod neque nos ipſi negamus, vbi tamen pænam infligunt, ſemper exigunt receptiones, & traditiones; atqui pæna nunquam incurritur, niſi ponatur ille ipſe actus, quem iura exprimunt, atque illo eodem modo, quo illum exprimunt.

Sequitur Simonia realis, quæ vel ex altera tantùm parte, vel ex vtraque completa eſt; & quidem ſi nondum data fuit res ſpiritualis, ſed ſolùm promiſſa, data autem iam fuit in eius pretium, & commutationem, res temporalis, non incurri pænam inflictam à iure, tradunt etiam communiter DD. iam laudati, quia habetur pro purè conuentionali à iure, quod perpetuò poſtulat traditionem, vel receptionem rei ſpiritualis, quod ſingulos textus perpendenti perſpicuum fiet.

Et quod attinet ad pænam ſuſpenſionis propter ordinationem Simoniacam, manifeſtum eſt: donec enim quis ſit ordinatus non poteſt ſuſpendi ab vſu ordinis, quem non habet; neque etiam ordinator ſuſpendi dicetur, ſi nondum ordines contulit, nondum enim ordinator eſt; præſentator autem, & mediator, qui vt videbimus, eandem incurrunt ſuſpenſionem, non dicuntur adhuc concurriſſe ad ordinationem, quæ nondum eſt. Quoad excommunicationem autem & alias pænas, etiamſi illæ ex natura ſua non poſtulent traditionem rei ſpiritualis, ex ipſo tamen modo, quo loquuntur iura ſatis colligitur, eas omninò talem traditionem poſtulare.

Tota igitur difficultas reſtat de Simonia, in qua iam data eſt res ſpiritualis, puta beneficium, aut ordo cum promiſſione pretij temporalis, quod nondum fuit exhibitum, an tunc incurrantur pænæ ipſo iure. Et quidem Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 103. & *in Repet. in cap. fin. de Simonia, à numer.* 28. & *in cap. ſi quando. de reſcriptis, exceptione* 4. & in variis conſiliis, negat per eiuſmodi Simoniam incurri excommunicationem, aut collationem beneficij eſſe nullam ipſo iure. Nauarrum ſequuti ſunt Couarr. *in Regula. peccatum.* 2. *par.* §. 8. *numer.* 7. Layman. *libr.* 4. *tractat.* 10. *cap. vltim. numer.* 68. Binsfeld. *in Rubric. de Simonia. notab.* 15. *obſeruat.* 3. & alij permulti, quos ad 27. enumerat Garc. 8. *part. de beneficiis. capit.* 1. *numer.* 19. qui tamen contrarium ſentit *num.* 20. & graues quoque DD. allegat *numer.* 28. *&* 29. videtúrque ipſi fauere imprimis ipſa

Rota,

Rota, quę ſępiùs ita definiuit, vti ipſe refert, vnde colligit ſententiam Nauarri non eſſe ipſo ſtylo Curiæ approbatam. Deinde iura manifeſta videntur, imponunt enim pænam, vbi tradita fuit res ſpiritualis ſub promiſſione temporalis, vt *cap. ea quæ, 1. q. 3.* vbi Vrbanus II. innouans ea, quæ contra Simoniacos ſtatuta ſunt, ſic ait: *Quidquid ergo, vel in ſacris ordinibus, vel in* Eccleſiaſticis *rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas vnquàm vires habere cenſemus.* Quibus verbis nihil clarius afferri poteſt. *Cap. nobis. de Simonia*, dicitur, electionem data, vel promiſſa pecunia factam, penitùs reprobandam eſſe. Quæ voces, vti *quæſt. ſuperiori* obſeruauimus ex Felin. nullitatem illius electionis important: deinde *in cap. penult. de Simon.* ordinans, aut præſentans ad ordinem, promiſſionem, aut iuramentum ab ordinato, aut pręſentato recipiens, quod ab eo non inquietabitur, ſuper prouiſione ſua, ſuſpenditur per triennium. Denique *extrauag. 2. de Simon.* ordinati ſimoniacè ſuſpenduntur, & Pij V. conſtitut. quæ incipit, *cum primum.* ſimoniacè prouiſi, priuantur ipſo iure beneficiis illis. & Pius IV. in ſua conſtitutione 72. quam affert Piaſec. *part. 2. praxis. c. 4.* idem ſtatuit de Simoniacis, ſiue Simonia ſit realis, ſiue conuentionalis occulta. Martin. V. in extrauag. quarum altera edita fuit in Conc. Conſtant. *ſeſſ. 43.* altera habetur apud Felin. *cap. de ſimoniacè. 2. num. 6. de Simonia.* prouiſiones per Simoniam factas nullas eſſe decernit. Cùm igitur omnes iſti Pontifices ſolam Simoniam requirant in illis caſibus, ad pænas quas ferunt incurrendas, & reuerà Simonia ſit, etiamſi ex vtraque parte completa non fuerit, & cum requirant tantùm promiſſionem rei temporalis, ſi ſpiritualis tradita fuit. Videtur omninò iſta ſententia certa eſſe; neque tandem multum repugnat Suar. *cap. 56.* nam *num. 32.* putat illam veram eſſe in ſuſpenſione, quæ infligitur ipſo iure in Simoniacas ordinationes, quæ omninò incurretur, ſi ordines collati fuerint ſub prouiſione pecuniæ. Quoad excommunicationem autem requirit, vt ex vtraque parte completa ſit, non tam attento iure, quam quod vti refert ex Caſſado. *deciſion. 5. de conſtit.* ita deciderit Curia Romana, id eſt, Rota. Denique nullitas prouiſionis Simoniacæ beneficij ex rigore iuris nulla eſt, licet non ſit vtrimque completa, ex ſtylo autem Curiæ valida, vt idem Suar. *cap. 57. num. 51.* differit.

Dixi itaque in noſtra aſſertione requiri quidem Simoniam perfectam traditione rei ſpiritualis, ad pænas ipſo iure inflictas incurrendas, quod omnes concedunt; quod etiam ſufficere, licet pretium nondum exhibitum ſit, videtur mihi eſſe conformius iuri: ſi tamen alicubi ſtylus Curiæ aliter iudicet, tunc etiam in foro conſcientiæ illud idem exigam; quia vſus ille fori externi aut derogauit iuri alioquin ſatis, ni fallor, expreſſo; aut illud ſi dubium ſit, ita in meliorem partem interpretatur, noſque eam aut derogationem, aut interpretationem, accedente maximè grauium DD. illuſtri authoritate, tutò ſequi poſſumus. Conſulendus igitur erit ſtylus Curiæ, qui diuerſus eſſe etiam Romæ fuiſſe videtur, vt conſtat ex contrariis deciſionibus, quas DD. referunt. Certè in Gallia ſtylus ferè obtinuit, vt Simoniaca prouiſio per traditionem beneficij ſub promiſſione pecuniæ, inualida prorsùs habeatur; quod colligo ex pluribus

decretis Curiæ, & cognitorum etiam Regiorum quæ indicaui dum agerem de Simonia confidentiali, in qua tantùm eſt promiſſio penſionis, aut fructuum aliquot, nam eos, qui tanquam vacantia eiuſmodi beneficia impetrarunt à Pontifice, validè impetraſſe declarauit Curia.

Obſeruandum porrò erit hoc loco, complementum quod in reali Simonia, ſiue ex vtraque, ſiue ex altera tantùm parte poſtulamus, non conſiſtere in eo, quod vel tota ſumma promiſſa, vel tota res ſpiritualis, ſi ipſa diuiſibilis ſit, exhibeatur; nam ſufficit, ſi inchoata ſit eiuſmodi promiſſionis impletio, verbi gratia, ſi promiſſi fuerint centum aurei pro beneficio, aut pro omnibus, ſatis fuerit, ſi aliquot tantùm nummi dati iam fuerint, & beneficium, aut vt vnus ordo collatus ſit, vt dicatur realis Simonia, quia reuera iam res ſpiritualis, aut pretium data ſunt. Quid igitur ad completam Simoniam requireretur amplius? pecuniæ enim quantitas, & rei ſpiritualis multiplicatio, nihil faciunt ad Simoniam, quæ eſſentialiter conſiſtit in commutatione rei ſpiritualis cum temporali, quæ commutatio iam poſita eſt, quamuis totum pretium, aut tota res ſpiritualis tradita non fuerint, vti ratiocinatur Suar. *cap*. 55. *n*. 17.

3 Dico tertio vbi Simonia fit realis, & completur ſaltem traditione rei ſpiritualis, pœnas à iure illatas non retrotrahi ad tempus primæ conuentionis. Nam primo quoad cenſuras, impoſſibile eſt, vt aliàs dixi, eas retrotrahi, quia fieri nequit, vt toto eo tempore, quod à conuentione Simoniaca fluxit, ad eius executionem fueris excommunicatus, aut ſuſpenſus, aut irregularis, aut priuatus aliquo, ſi reuerà tunc non erat talis, quomodo enim fiet iſta modò retrotractio? Quoad alias verò pœnas iam docuimus *q. ſuperiori, conſect*. 13. eas non retrotrahi, & non obligari hunc Simoniacum ante condemnationem reſtituere fructus ex beneficio ſimoniacè ſic acquiſito perceptos, medio illo tempore; aut ad dimittendum aliud beneficium, intereà collatum, ſi ad complementum Simoniæ in ordine ad iſtas pœnas requiratur exhibitio pretij, & non ſufficiat ipſa beneficij cū promiſſione pecuniæ prouiſio.

Dico quarto non modò Simoniam iuris diuini, ſed iuris quoque Eccleſiaſtici, etiamſi, vti fuſiùs dixi aliàs, ſit tantùm quædam irreligioſitas, & non Simonia niſi impropria, & analoga, ſubiici nihilominus omnibus pœnis iuris. contra Aragon. 22. *queſt*. 100. *a*. 6. *dub. pen*. Petr. Nauar. *lib*. 2. *de reſtitut. cap*. 2. *n*. 430. Rodriq. *tom*. 2. *ſum. c*. 58. *n*. 6. quorum opiniones non exiſtimant improbabilem Leſſi. *lib*. 2. *c*. 35. *dub*. 25. *n*. 141. & Reginald. *lib*. 23. *c*. 22. *n*. 184. Ratio tamen mihi videtur euidens, verba enim iuris ex vſu ipſius vſurpanda ſunt; cum enim hanc Simoniam perpetuò Simoniam nominet abſque vlla diſtinctione ab alia Simonia, immò idcircò eam vocent DD. omnes magno conſenſu, Simoniam iuris Eccleſiaſtici, qui pro tali habetur à iure, & vt talis ab ipſo prohibetur, cur quando quidpiam ſtatuit de Simonia, nos id interpretabimur de ea quę pugnat contra ius diuinum, vbi in lege non eſt vlla eiuſmodi diſtinctio? & quandoquidem eodem modo prohibet vtramque iſtam Simoniam, cur negabimus iiſdem pœnis vtramque ſubiicere? Atque ita ſoluitur vnica illa aduerſariorum obiectio, in legę pœnali, verba eſſe ſtrictè, & in propria ſignificatione vſurpanda: nam propria ſignificatio eſt ea, 4

quam

quam ipſamet lex in ſua prohibitione, cui pœnas adiicit, vſurpat. Quod contingit hoc loco, vti Suar. *lib. de Simon. c.* 55. *n.* 28. Bonac. *diſp. de Simon. q.* 7. *punc.* 1. §. 2. *n.* 2. & alij aduertunt. Itaque qui permutant beneficia, & quanpiam aliam eiuſmodi Simoniam committunt, in omnes pœnas enumerandas incurrunt, ſicut ſi in eadem materia Simoniam diuini iuris admiſiſſent.

QVÆSTIO XXV.

De pœnis Simoniæ in beneficiis Eccleſiaſticis commiſſæ.

1 PRima pœna eſt excommunicatio ſummo Pontifici reſeruata *extra.* 1. *de Simon.* nomine autem beneficij Eccleſiaſtici intelligit Pontifex propria beneficia, vti monuimus *q. ſuperiori* 20. 2. *propoſitione.* Quarè neque ratione penſionis, aut Vicariæ temporalis, & ad nutum amouibilis, neque etiam ratione Prælaturæ Regularis, quoties illa defectu præbendæ annexæ, aut perpetuitatis, aut alia de cauſa, non erunt beneficia, incurretur excommunicatio. Ita ex communi ſententia recentiorum docuimus circa irritationem prouiſionis, & de hac ipſa pœna excommunicationis idem planè ſentiunt, eóſque recenſere ſuperfluum foret, id præſtitit Bonac. *diſp. de Simon. q.* 7. *punc.* 1. § 2. *n.* 4. *&* 5.

Hanc porrò excommunicationem incurrunt omnes cuiuſcunque dignitatis etiam Cardinalitiæ, & Regiæ, qui dando, vel accipiendo Simoniam in beneficio commiſerint, ita enim dilucidè habent verba Extrau illius: in quibus duo obſeruo. primum eſt, ad hanc cenſuram requiri vt Simonia commiſſa ſit, dando, vel recipiendo, vel procurando. Aliæ igitur omnes actiones etiamſi Simoniæ malitiam habeant, non ſubiicientur huic pœnæ. Eiuſmodi eſt imprimis ratihabitio Simoniæ, ſe inſcio ab alio quondam commiſſæ; quarè quamuis peccet iſte beneficiarius approbando Simoniam, quam ſcit ſui cauſa commiſſam fuiſſe, & peccet retinendo beneficium ſic acquiſitum, illúdque dimittere teneatur, vti diximus *q.* 21. non tamen ex ea retentione incurrit excommunicationem latam iſta Extrauag. quod obſeruant Couarr. *in Regula peccatum.* 2. *part.* §. 8. *numero* 7. Sayr. *lib.* 4. *de cenſur. cap.* 14. *numer.* 6. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *numer.* 136. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 37. *num.* 4. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 5. *numero* 26. quia non commiſit ipſe Simoniam dando, aut accipiendo, aut procurando, vt ea committeretur, etiamſi deinde commiſſam, & procuratam approbauerit, & malè beneficium, quod per eam acquiſitum fuit retineat: immò licet pecuniam pro ſe ſolutam à mediante, aut committente Simoniam ipſi reſtituat, non tantùm gratitudinis cauſa, & ne damnum ſui cauſa patiatur, ſed etiam approbando Simoniam commiſſam, non incidit ex eo in excommunicationem, vt ex Suar. Leſſio, & Reginald. docet Bonac. §. *cit. n.* 14. quia ea actio non continetur in iis, quas ea Extrauag. punit.

Alterum obſeruandum eſt, mediatores quidem Simoniæ incidere in hanc cenſuram, quoties ipſi committentes, eam incurrunt, id enim habent verba Extrauag. Neque opus eſt, vt ipſimet pecuniam dederint, ſed procurarint, aut interuenerint aliquo modò, aut proxenetæ fuerint. Prætereà qui ſciuerint

com

commiſſam fuiſſe Simoniam in beneficio, aut ordine, tenentur Simoniacos reuelare, & denunciare, alioquin nequeant abſolui, donec illud præceptum in virtute obedientiæ ſibi factum impleant; quibus tamen verbis non imponitur excommunicatio, ſed ſolùm repellendos eſſe iſtos à ſacramento pænitentiæ, donec imperata fecerint, quia præceptum illos perpetuò vrget, vt Suar. *tom. 5. cit. diſp.22.ſect.5.num.27.* & alij docent; hoc tamen præceptum denuntiandi Simoniacos, ſolos Curiales, ad quos ea conſtitutio dirigitur, afficit, immò neque fortaſſis quoad hanc partem vſu recepta fuit etiam apud Curiales. Quæ omnia Suar. aliique aduertunt.

Huc pertinent quoque Cenſuræ latæ à Pio V. in ſua conſtitutione 104. quæ incipit, *durum nimis*, contra conſuetudinem, aut ſtatuta quarundam Eccleſiarum, vt primi anni fructus præbendæ, vel eorum aliqua pars menſæ Epiſcopali, aut Capitulari applicaretur, aut in cæteros Canonicos diuideretur, aut in alios vſus cederet. Qui igitur hæc fecerint, aut exegerint, aut ad iuramentum de ſeruandis iſtis priuilegiis, aut conſuetudinibus induxerint, aut poſſeſſionem, donec hæc omnia præſtentur, morati fuerint. Si ſint Epiſcopi ſuſpenduntur à Pontificalibus, Capitula autem ſubiiciuntur interdicto, ſinguli autem excommunicantur; hæque omnes cenſuræ reſeruantur Pontifici, quæ tamen non incurruntur ex ſola petitione horum prouentuum, niſi ea ſubſecuta fuerit: hæc enim petitio intelligenda eſt cum effectu, quod commune eſt omnibus verbis in materia pænali. Si prætereà hæc omnia petantur, & conuertantur in alios pios vſus, quàm in eos, qui cedant in commodum Capituli, aut Epiſcopi, non habent locum illæ pænæ, quod aliàs monuiſſe ne memini, & Trident. *ſeſſ.24 cap.14.de reformat.* ita omninò edicit.

Secunda pœna Simoniæ beneficialis eſt irritatio, & annullatio prouiſionis, quam *quæſt.20.ſuperiori, ſecunda propoſitione, & in conſectariis* fusè explicuimus. 2

Tertia pæna ponitur à Rebuff. *de pacificis poſſeſſionibus num. 265.* & à Dias *in prac. crimin. cap.131.* priuatio omnium beneficiorum priùs obtentorum, eò quod idem contingat in hæreſi, cui Simonia comparatur; & quod Paul. II. in ſua illa extrauag. tam ſæpè allata, velit incurri ipſo facto pænas aliàs in Simoniacos latas. Hanc tamen pænam vulgò reiiciunt cæteri Panorm. *in cap. cum Clerici. de pactis. num.2.* Felin. *in cap. inſinuatum. de Simon.* Henriq. *lib.13.cap.37. numer.5.* Vgolin. *tab.1.cap.19.& tab. 4.cap.6.§.6. num.3.* Auila *part.3. de cenſur. diſp.5. ſub fin.* Suar. *lib. de Simon. cap.58. num. 3.* Layman. *lib. 4. tract.10.cap.vlt. num.74.* Ferdinand. *tract.17. diſp.3. punc.25. num.4.* Rodriq. *tom.2.ſum.cap.58.numer.6.* Bonac. *diſp. de Simon. quæſt. 7. punc. 4. 1. difficult.* quia nullibi ea pæna incurrenda ipſo iure, exprimitur in iure, quod enim *cap. Inquiſitionis. de accuſationib.* dicitur, acquirens Simoniacè beneficium impediri à retentione beneficij, ſignificat, ipſum impediri à retentione beneficij Simoniacè acquiſiti, quod fatemur. Quodſi de aliorum quoque beneficiorum retentione eiuſmodi verba placeat accipere, id intelligendum erit poſt ſententiam, quia nulla verba adhibentur eo loco, quæ aliud poſtulent, immò cùm ibi Simoniacus comparetur homicidæ, qui non tenetur ante ſententiam renuntiare beneficiis, neque illis 3

illis ipſo iure priuatur, oſtenditur neque Simoniacum ſuis prius legitimè obtentis, antequam illis à iudice mulctetur, excidere. Quod affertur ex *Extrauag.* 2. *de Simon.* iam *quæſt.* 10. fuit explicatum; comparatio verò Simoniæ cum hæreſi, de qua diximus *q.* 2. nihil conficit, cùm in pænalibus non liceat argumentari à ſimili; neque ex eo, quod ius aliquam pænam inflixerit vni crimini, inferre debes eandem quoque inflixiſſe alij crimini æque graui, aut etiam grauiori, niſi id expreſſerit, maximè dum agitur de pæna ipſo iure, quæ eſſentialiter poſtulat diſertè exprimi in iure.

Obſeruandum nihilominus eſt, vbi viget Tridentinum, Simoniam commiſſam ab examinatoribus ad beneficia, de qua egimus *q.* 19. *confeſſ.* 12. *diffic.* 3. inuehere priuationem beneficiorum priùs obtentorum, ita enim decernit Synod. *c.* 24. *de reformat. cap.* 18. de quo etiam conſule Garciam 9. *parte, de benefic. cap.* 2. *num.* 390.

4 Hinc ſequitur, fructus beneficiorum acquiſitorum ante Simoniam, non eſſe reſtituendos, & quamuis illis poſſit Simoniacus priuari à iudice, ſicut & pæna pecuniaria mulctari; non ſufficiet tamen, ſi ſententia ſit tantùm condemnatoria, & priuatiua beneficij priùs legitimè obtenti, niſi ſe extendat diſertè ad ipſoſmet fructus, ſunt enim quidpiam longè diſtinctum, & aliud eſt priuari ſuo beneficio, aliud priuari fructibus ex illo legitimè, & ante eam priuationem perceptis, vti aduertunt Suar. & Ferdin. *loc. cit.*

Sequitur prætereà, reſignanti ſimoniacè manere ſuum beneficium, cùm enim reſignatio ſit nulla, & reſignans non ceſſerit beneficio, niſi in fauorem reſignatarij, illud adhuc retinet, niſi eo priuetur, quod non fit ratione Simoniæ ante ſententiam, vti iam docui. Atque ita tradit Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim.* 77. Sa. *ver. Simonia. num.* 7. & Garc. 11. *part. cap.* 3. §. 2. *n.* 14. plures allegans.

Quarta pæna eſt inhabilitas ad illud idem beneficium, in quo fuit commiſſa Simonia, obtinendum ſine diſpenſatione. Quod tradunt DD. *in c. penult. de election.* vbi negatur Epiſcopo facultas diſpenſandi cum eo, qui dignitatem Eccleſiaſticam ſimoniacè acquiſiuerat, vt eandem ſibi iam legitimè collatam retineat. Neque hîc vlla diſſenſio eſt. 5

Quinta pæna eſt inhabilitas ad omnia beneficia acquirenda ex conſtitut. Pij V. quæ incipit, *cum primum.* ad quam tamen incurrendam, ſententiam condemnatoriam requirunt Nauarr. *conſ.* 191. *num.* 5. *& conſil.* 92. *num.* 5. *de Simon.* Petr. Naua. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 435. Aragon. 22. *q.* 110. *a.* 6. quod ſibi videntur colligere ex proœmio illius conſtitutionis, vbi dicitur: *Quicunque deteſtabile crimen ſimoniacæ prauitatis commiſiſſe conuictus fuerit in conſequẽdis ordinibus.* Verùm ſi adhæreamus verbis expreſſiſſimis illius conſtitutionis, omninò aliud ſentiendum eſt; *illis*, inquit Pontifex, *ſit ipſo iure priuatus, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.* Hanc tamen Bullam quoad iſtam partem non fuiſſe vſu receptam, fatentur Suar. *cap.* 58. *ſub fin.* Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 26. *num.* 147. Ferdinand. *diſp.* 3. *cit. punc.* 25. *num.* 6. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. n.* 74. Quarè opus erit ſaltem ſententia declaratoria criminis, vt quis dimittat beneficia, quæ poſt commiſſam in alio Simoniam, legitimè alioquin acquiſiuiſſet. 6

QVÆSTIO XXVI.

De pœnis Confidentiæ.

1 PRrima eſt excommunicatio ſedi Apoſtolicæ reſeruata : ad eam autem erit opus Simonia completa, dato, acceptóque beneficio, non requiritur autem, vt promiſſio fructuum, aut penſionis, aut reſignationis fuerit impleta, vti diximus *quæſt.* 19. ex Bullis Pij IV. & V. allatis: quia verò eæ conſtitutiones non extendunt hanc pœnam ad mediatores, illi non erunt obnoxij aliis cenſuris, quàm iis, quæ habentur in *Extrauag. ſecund. de Simon.* quod obſeruauit Layman *cap. vltim. cit. numero* 76. contra Binsfeld. *in Rubric. de Simon. notab.* 16. vbi ait, hanc confidentiam committi etiam à mediatoribus. ſecundo Epiſcopi, & alij Prælati ſuperiores interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, non autem excommunicantur; quia Pius V. in ſua conſtitutione approbat eam, quam Pius IV. ſanciuerat; ille autem tulerat hoc interdictum contra Cardinales, & Prælatos, in alios autem excommunicationem. Cùm igitur Pius V. nullam fecerit mentionem Prælatorum, dum agit in ſua Bulla de pœna excommunicationis, ſatis oſtendit, ſe illam ferre ad mentem Pij. IV. Itaque omnes quidem Epiſcopis inferiores excommunicantur, Epiſcopi autem, & Cardinales interdicuntur duntaxat ab ingreſſu Eccleſiæ vi harum conſtitutionum; quod notat Azor. *tert. part. lib.* 12. *cap.* 10. *quæſtion.* 4. Sayr. *lib.* 3. *theſauri. cap.* 31. *numero* 6. Laym. *c. vlt. tract.* 10. *lib.* 4. *n.* 77. contra Flamin. *quæſt.* 19. *de confident.* & Bonacin. *diſput. de Simon. quæſt.* 7. *punc.* 1. §. 1. *numero* 12. propter quandam declarationem conſiſtorialem factam à Pio V. ſed de ea nobis ſatis non liquet.

Secunda pœna eſt, nullitas prouiſionis beneficij, de qua diximus *q.* 20. *& q.* 21. *in ſecund. propoſit.*

Tertia priuatio omnium beneficiorum, & penſionum priùs obtentarum, quam tamen exequi non tenebitur reus ante iudicis ſententiam ex Vgolin. Leſſi. Suar. & aliis, quos ſequitur Layman. *n.* 77. *citato.*

Quarta reſeruatio beneficiorum confidentialiter prouiſorum, ita vt à ſola ſede Apoſtolica conferri poſſint. Quod tamen in Gallia non ſeruatur, ſed ab ordinariis collatoribus conferuntur, vt iam notaui *q.* 20.

Quinta fructuum malè perceptorum ex beneficiis per Simoniam acceptis, applicatio ſedi Apoſtolicæ: quod etiam ex iis conſtitutionibus Piorum colligitur. Sed in Gallia non fuit vſu receptum, immò his duabus poſtremis clauſulis, quoad Galliam derogauit Sixtus, vti monui *q.* 20. & Sixſti Bullam temperantem priores conſtitutiones in Gallia tandem receptam conſtat ex ſanctionibus Regiis, quæ adducuntur *tom.* 1. *Ordinat. lib.* 9. *tit.* 4. vbi conſule Notas.

QVÆSTIO XXVII.

De pœnis Simoniæ commiſſæ in Ordinibus ſacris.

PRima eſt excommunicatio ſedi Apoſtolicæ reſeruata, qua afficiuntur Ordinantes. & Ordinanti ſimoniacè, atque etiam mediatores, ſiue præſentantes ad ordinationem Simoniacã *extrau.* 2. *de Simon.* Nomine 1

autem

autem Ordinum prima etiam tonſura hoc loco intelligitur, quia per eam conſtituitur aliquis in Ordine Clericali; an verò ea ſit ordo Sacramentalis, parum refert. Itaque ſentiunt Vgolin. *tab.* 4. *de Simon. cap.* 3. *numero* 2. *& cap.* 4. *numero* 1. Suar. *lib. de Simon. cap.* 56. *numero* 5. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. numero* 71. Alleri. *tom.* 2. *de Cenſur. diſput.* 15. *cap.* 4. *ad fin.* Bonac. *diſp. de Simon. quæſt.* 7. *punc.* 1. §. 2. *numero* 3. atque alij à nobis adducti *tract. de irregularitate*, vbi illam impedire etiam à prima tonſura ſuſcipienda oſtendimus. Quia tamen conſtitutio iſta pænalis eſt, ideóque ſtrictius interpretanda, non damnarem opinionem contrariam Leſſij. *lib.* 2. *capite* 35. *dub.* 23. & Ferdinand. *diſp.* 3. *tractat.* 17. *punc.* 24. *numero* 1. qui negant propter Simoniam in prima tonſura commiſſam incurri eiuſmodi excommunicationem. Reijciendi porrò ſunt Nauarr. *conſil.* 59 *de Simon.* Auila *part.* 3. *de cenſur. diſp.* 5. *dub.* 9. atque Laym. *loc. cit.* exiſtimantes Simoniam commiſſam in reuerendis, ſiue dimiſſoriis eſſe Simoniam in ordine; nam etſi fateamur in eo caſu poſſe aliquando Simoniam committi, eámque etiam Simoniam, in Ordine, impropria, & lata ſignificatione vocari, negamus tamen ob eam incurri excommunicationem latam in iſta Extrauag. quia in lege pænali verba propriiſſimè accipi debent, & reuerendæ non ſunt Ordines, ſed facultas accipiendi Ordines; atque adeò aliquid præuium. Quare ſi deinde ordines accipiuntur gratis, non fuerit commiſſa Simonia in ordinatione; qua etiam de cauſa quando Simonia contingit tantùm poſt collatos gratis ordines, quia tunc aliquid temporale etiam ſimoniacè accipitur, non incurritur iſta excommunicatio, licet reuera ille, ſi per modum pretij accipiat, Simoniacus ſit; ſi verò gratis, peccet nihilominus contra Trident. *ſeſſ.* 21. *capite* 1. *de reformat.* non tamen pænas contra Simoniacos in Ordine inflictas incurrit ipſo iure; quod Bonac. *paragr.* 2. *cit. numero* 14. Ferdinand. *punc.* 24. *cit.* Leſſi. *cap.* 35. *numero* 133. aliique obſeruant, qui idcircò idem aſſerunt de Notario, aut aliis miniſtris, qui aliquid pro ſigillo, aut litteris dimiſſorialibus, vt iam monui, accipiunt.

2 Secundo ordinans ſimoniacè ſuſpenditur per triennium à collatione ordinum; præſentator autem Simoniacus ab eorum executione. Ita *cap. pen. de Simon.* quæ ſuſpenſio eſt ab omnibus ordinibus, vt vides, quia Pontifex ibi loquitur indefinitè; & deinde cum agit de ordinato, illum ſuſpendit ab ordine ſuſcepto, quod ipſum expreſſiſſet, ſi collatorem ſuſpendere tantùm voluiſſet à collatione ordinis ſimoniacè collati.

Dixi porrò hanc ſuſpenſionem ordinantis, & præſentantis durare per triennium, quia mihi clara, & aperta videntur verba Pontificis. *Ordinator*, inquit, *à collatione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem à ſede Apoſtolica obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos.* Vbi particula *per triennium* cadit in ordinantem, & præſentantem; vt quid enim ab illis diſtinxit ordinatum, tum in ordinibus, à quibus fit ſuſpenſio, tum in triennio durationis, niſi vt oſtenderet, duos

illos per definitum iſtud tempus ſuſpendi, ordinatum autem indefinito tempore, ſiue perpetuo, donec cum ipſo diſpenſetur. Inanes verò ſunt omnes illæ expoſitiones, quas huic capiti afferunt Canoniſtæ, vt aduerſus clara eius verba, perpetuitatem huius ſuſpenſionis tueantur, vti expendit Suar. *tom. 3. in tert. part. diſput. 31. ſection. quarta, numero 25.* & Alleri. *diſput. 15. de ſuſpenſ. cap. 4.* nunquam certè euincent ex iure antiquo hanc ſuſpenſionem perpetuam, cùm in omnibus ferè agatur de depoſitione, aut ſuſpenſione ferenda per iudicem, vt quod adducitur ex Conc. Chalcedon. *capit. ſecund.* & *capit. de hoc. de Simon.* & *cap. inſinuatum. eod. titul.* vbi etiam ſermo tantum eſt de intruſo in beneficium, quo per iudicem priuandus eſſe dicitur. Ac denique in *cap. per tuas. 3.* de ordinante, non ordinato ſermo eſt.

Verius quidem affirmari poſſet cum Leſſio *cap. 35. numero 134.* huius capitis penultimi *de Simon.* diſpoſitionem ſpecialem eſſe, neque ad alios caſus ibi non expreſſos, extendendam videri, atque ita nullo antiquo iure ſuſpendi ordinantem, aut præſentantem ſimoniacè ad ordines, quod etiam Ferdinand. *pun.* 25. non improbat.

Iure tamen nouo ex conſtitutione Xiſti V. contra malè promotos ſuſpenditur iſte ordinans primo à collatione omnium ordinum, ſecundo, ab executione omnium Pontificalium verbi gratia à conſecratione templorum, Calicum, Abbatum, benedictione Virginum, aliorúmque ſimilium. tertio interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ. quarto ſi illam ſuſpenſionem & interdictum violet, ſuſpenditur ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & à percipiendis fructibus omnium ſuorum beneficiorum. quinto nequit abſolui niſi à Pontifice, etiamſi crimen occultum ſit, quia Pontifex id ſibi reſeruat etiam cum clauſula derogatoria omnium Priuilegiorum, Regularum, & conceſſionis factæ Epiſcopis quoad crimina occulta à Triden. *ſeſſ. 24. c. 6.* ita Leſſius cenſet, & Sayr. *lib. 4 theſauri. c. 17 ſub fin.* negat tamen Ferdin. *punc. 25.* & Sa ab eo allatus, aliíque; quia quidquid ſit de mente Pontificis in ea reſeruatione, certum videtur eam conſtitutionem pleriſque locis non eſſe vſu receptam, maximè quoad hunc rigorem.

Obſerua præterea, fuiſſe quidem Sixtinam iſtam conſtitutionem reuocatam ad ius commune, & magna ex parte mollitam à Clem. VIII. in iis tamen, quæ pertinebant ad Simoniacos immutata relicta eſt, & recenti decreto confirmata.

3 Tertio ordinatus ſimoniacè ſuſpenditur iure antiquo per *cap. penult. de Simon.* (ſi demus illud ſtatuere ius in futurum, & ad omnem Simoniam ordinum extendamus) ab ordine ſic ſuſcepto. Iure autem nouo *Extrauag. 2. de Simon. ab executione ſuorum ordinum.* quibus verbis verius eſt, quod communiter ſentiunt DD. ſuſpenſionem extendi ad omnes ordines; quanquam ſi quis vellet ad ordines cum Simonia ſuſceptos reſtringere cum pluribus DD. non contenderem pertinaciùs.

Secundo ſuſpenditur à ſuſceptione ordinis ſuperioris ex Sixti. Conſtitut.

Tertio ſi ita ſuſpenſus miniſtret, fit irregularis, & ſi ſit ſæcularis, priuatur ſuis omnibus beneficiis, & ad illa, aliáve in perpetuum obtinenda fit inhabilis. Si autem ſit Religioſus, priuatur voce actiua, & paſſiua, illiúſque

liúſque deinceps obtinendæ incapax redditur.

Quarto iſta tamen ſuſpenſio non incurritur, ſi Simonia commiſſa fuerit ab alio tertio, inſcio ordinando, quia cùm careat culpa, & ordinatio ſit valida, non eſt, cur priuetur vſu validæ ordinationis,& plectatur propter alienam culpam. Ita Nauarr.*cap.* 25.*num.*68. Leſſi.*lib.*2.*cap.*35.*n.*136. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 31. *ſect.* 4. *numer.* 40. & *libr. de Simonia. cap.*56. *num.* 9. Sayr. *libr.*4. *cap.*14. Henriq. *libr.* 13. *cap.* 37. *numer.* 4. Konin. *diſput.* 15. *de Sacrament. numer.*37. Alleri. *diſput.*9. *de ſuſpenſione. cap.*4.*ſub fin.* Layman.*cap. vltim. cit. numer.*71. Ferdinand. *diſput.* 3. *cit. punct.* 25. *numer.* 3. videtúrque probari ex *cap.de ſimoniacè. de ſimonia. Cum quidam ipſis ignorantibus ſimoniacè ordinentur (quia Simoniaci non ſunt) in ſuis ordinibus remanere.* Gloſſa quidem addit diſpenſatiuè, eámque ſequuntur Felin. Panormitan. & alij Canoniſtæ, quibus adhæſit Auila, 3.*part. de Cenſur. diſput.* 5. *dub.* 9. ſed malè omninò, ſi enim non licet iudici remouere à ſacris ordinatum ſimoniacè, ſed ignorantem, quia reuerè Simoniacus non eſt, vt ait Pontifex, cur dicemus, eandem pœnam fuiſſe ab ipſomet iure impoſitam in eodem caſu, cùm abſit omnis culpa ignorantis Simoniam, niſi habeamus expreſſum aliquem locum, ex quo id colligamus. Ego compono facilè diſſidium, exiſtimo enim antiquo iure iſtum ſimoniacè, quamuis non ſua culpa ordinatum arceri à ſacris, non tam in pœnam ipſius criminis, quàm in odium Simoniæ, illúmque fuiſſe antiquum rigorem Canonum, perſpicuè teſtatur Vrban. II. *Epiſt. ad Albertum Metenſem*, vti refertur 1. *quæſt.* 5. *C. præſentium.* Sapienter tamen poſteriores Pontifices aliquot indulſerunt, ne innocens alieni criminis culpam ferre videretur. Atque ita nouiſſimo iure non incurritur ſuſpenſio ab iis, qui ignorantes, & ſine culpa ſunt ordinati ſimoniacè, quod rectè ſtatuunt DD. ſuperius laudati, qui etiam addunt, neque incurri ſuſpenſionem ab iſto ordinato ſimoniacè nulla ſua culpa, ſi deinde Simoniam commiſſam ratam habeat, aut pecuniam pro ſe ſolutam reſtituat, quia ſuſpenſio infligitur ordinato propter Simoniam ab ipſo in ordinatione commiſſam, non autem poſt illam.

Quinto Pius V. in Bulla contra ſimoniacè ordinatos, vult illum per annum mancipari carceri, quod autem *ibidem* illum ſuſpendit per decennium ſine ſpe diſpenſationis;non ſignificat hanc ſuſpenſionem eſſe temporariam tantùm,& decennalem; neque enim voluit antiquum rigorem mollire, ſed potiùs augere. Itaque ſenſus eſt, non eſſe huic ſuſpenſo ſperandam diſpenſationem toto decennio. 4

Sexto Vgolin. vult *tab.* 4. *de Simonia. cap.* 4. fieri iſtum irregularem, eò quod in excommunicatione ſuſcipiat ordines, verùm cùm excommunicatio tantùm incurratur per ordinis ſuſceptionem, non poteſt dici ab excommunicato ſuſcipi ordinem, ſic enim excommunicatio debuiſſet præcedere ordinationem, vti aliàs dixi diſputans de irregularitate. 5

Septimo à Simoniacis Epiſcopis ordinati non ſimoniacè, non permittebantur in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, niſi id graui Eccleſiæ neceſſitas, & ipſorum vita laudabilis ita poſtularet. Haberur fusè ex Alexand.

xand. II. in Synodo Romana *cap.* 3. vide Baron an. 1063. & *ex cap. ſtatuimus.* 1. *quæſt.* 1. & *C. ſiquis à Simoniacis. ead. cauſa, & quæſt.*

Octauo ex mediatoribus huius Simoniæ ſolus præſentator eſt ſuſpenſus per triennium, vt dixi *ex cap. penult. de Simon.* ſi velimus illud facere legem in futurum: quia nullibi ſuſpenſio, ſed ſola excommunicatio contra alios mediatores fertur, vti conſtat ex *Extrau.* 2. *de Simon.* quæ etiam non diſtinguit præſentatorem ab aliis mediatoribus. Ita Suar. *diſp.* 31. *cit. ſect.* 4. *num.* 19.

QVÆSTIO XXVIII.

De pænis Simoniæ commiſſæ in ingreſſu Religionis.

HAbentur hæ pænæ in *Extrau.* 1. *de Simonia.* Quomodo verò & quando committatur Simonia in hac materia, fuſiùs diximus *quæſt.* 16. *conſ.* 9. & 10.

Suppono duntaxat hoc loco, veram, & propriam Simoniam requiri ad iſtas pænas, qualis non eſt, quoties quidpiam datur, aut etiam exigitur in ſuſtentationem recipiendi, & in dotem Monialis, vti fert inolita conſuetudo, de qua *quæſt. citata* diſputauimus.

1 Primo igitur excommunicantur ſingulares perſonæ, quæ aliquid ſimoniacè exigunt pro ingreſſu Religionis.

2. Secundo ſuſpenditur Capitulum, ſiue Conuentus, ſi hanc Simoniam commiſit, nimirum ab officio Capitulari quoad adminiſtrationem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam, non autem quoad alia munera.

Tertio Simoniaci admiſſi incurrunt in eandem excommunicationem.

Quarto indigent diſpenſatione Epiſcopi, vt poſſint in eodem monaſterio permanere, debéntque in aliud arctioris regulæ amandari. *cap. quoniam.* & *cap. de Regularibus. de Simonia.* non tamen ante ſententiam condemnatoriam tenentur exire è ſuo Monaſterio. vt tradunt Vgolin. *tab.* 1. *de Simon. cap.* 16. §. 4. Leſſi. Suar. Ferdinand. Layman. & alij. quia nullum eſt ius apertum, & Extrau. quæ exigit diſpenſationem Epiſcopi, facilè intelligitur, vbi quis fuit damnatus, vel ne ſit in periculo condemnationis.

Observa verò hic per ingreſſum Religionis, profeſſionem intelligi, quarè ſi illa fiat gratis, etiamſi ingreſſus in Nouitiatum fuerit Simoniacus, non incurritur vlla pæna à iure lata, neque donec emiſſa fuerit profeſſio. Ita DD. laudati. Hæc quoque Extrauagans non agit de eo, qui exigit pecuniam pro ſuo ingreſſu in Religionem; immò exiſtimat Leſſius aliique, non eſſe vſu receptam hanc Extrauagantem. Saltem teſtantur omnes Clement. VII. liberaſſe Moniales à pænis, & Cenſuris latis ratione Simoniæ in ingreſſu Religionis, eò quod neſciant in quo illa conſiſtat.

QVÆSTIO XXIX.

De pænis ferendis contra Simoniacos ex præſcripto iuris.

HÆ pænæ diuerſæ ſunt. primo depoſitio à beneficio, & officio ex Concil. Chalcedon. *cap.* 2. & 1

cap. de hoc. de Simonia. cap. ſicut. eod. tit. cap. cum ſuper. de confeſſis. cap. erga Simoniacos. 10. 1. *quæſt.* 1. *& lib.* 1. *capitular. cap.* 97. debet tamen illud crimen eſſe notorium, vt volunt DD. Secundo pendente infamia propter accuſationem, aut litem debet Simoniacus arceri ab altari. *cap. accuſatum. cap. quoties. de Simonia.* Tertio imponi poteſt imfamia pro quacunque graui Simonia. ex Gloſſa *in Extrauag. diligenti. de Simonia. ver. infamia.* vbi DD. idem tradunt. & *in cap. de ſimoniacè. eod. tit.* atque manifeſtò colligitur ex *cap. vltim.* 1. *quæſt.* 3. & *cap. ſanè.* 15. *quæſt.* 3. has omnes pœnas confirmat conſtitutio Imperatoria, eáque diligenter legenda. *l. ſi quemquam. C. de Epiſcopis.* Quarto excommunicationem interminantur ſæpiùs Concilia pro quacunque Simonia, vt venditione baptiſmi, chriſmatis, & Euchariſtiæ.

2 Hoc porrò crimen eſſe mixti fori volunt leges Luſitanæ apud Fragoſam. *part.* 1. *de regimi. diſp.* 4. *nu.* 313. & probat ex Gloſſa. *ver. intra Eccleſiam. in cap. Principes ſaeculi.* 23. *quæſt.* 5. vbi allegatur *cap. ſi quis pecuniam.* 79. *diſt.* Adde iure quoque ciuili vetitum eſſe hoc crimen. *l. ſi quemquam. C. de Epiſcopis.* ad iudicium tamen Eccleſiaſticum reſtringuunt Gloſſa *in cap. cùm ſit, de foro competenti.* Iuli. Clarus. *numer.* 7. §. *Simonia.* Farinac. *libr.* 1. *crimin. praxis. quæſt.* 8. *numer.* 128. Diſtinguendum eſt cum eod. Fragoſa *numero* 315. cognitio enim huius criminis iudicij Eccleſiaſtici eſt, punitio autem etiam laici. Idcircò cùm cognitores Regij in Gallia, diſceptent de poſſeſſorio in cauſa beneficiali, & poſſeſſio inficiatur à Simonia, articulum de Simonia in cauſa poſſeſſionis coram iudice Regio poſſe allegari, atque ab eo incidenter, & indirectè cognoſci dixit Molinæ. *in Regul. de pacificis poſſeſſoriis.* in eámque rem laudat aliquot arreſta. Edictum Bleſenſe *art.* 21 iubet Epiſcopis id crimen in clericis punire; Regiis autem iudicibus idem circa laicos præſtare.

QVÆSTIO XXX.

De probationibus Simoniæ.

HÆc quæſtio pertinet ad forum externum, ideóque à nobis perſtringenda potiùs, quam explicanda eſt, quod accurate præſtitetunt Flamin. *lib.* 14. *de reſignat. quæſt.* 8. *& ſequentibus.* Maſcard. *de probation. con.* 1304. Farinac. *conc.* 75. Redoan. 4. *parte. de Simonia. cap.* 6. Menochi. *libr.* 5. *de præſumpt. præſumpt.* 8. & quos ipſi allegant; atque breuiter Ferdinand. à Caſtro *tractat.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 2.

1 Primò igitur probatur Simonia omnibus modis, quibus quodlibet aliud crimen, & factum, vti ex ipſomet iure patet. Notorietate imprimis cum nulla tergiuerſatione celari poteſt *can. de manifeſta. & ſeq.* 2. *quæſt.* 1. Secundo euidentia facti, quia quis in ipſo crimine comprehenditur *C. ſi quis diaconus.* 50. *diſt. cap. ſi quis Clericus.* 81. *diſt. cap. preſbyter* 53. *diſtinct.* Tertio confeſſione partis. *C. presbyter.* 15. *quæſt.* 5. *capit. de hoc. de Simonia.* ibíque omnes DD. atque latiùs Redoan. *part.* 4. *capit.* 7 etiamſi ea confeſſio facta fuiſſet in iudicio criminali, quod deciſum à Rota refert Flamin. *libr.* 14. *quæſt.* 9. *numer.* 6 Quarto per famam, quod fuſiùs confirmat Redoan. 4. *part. capit.* 6 & Maſcard.

con.

conſ. 1305. Quinto per inſtrumentum, quo contineatur pactum, & promiſſio. *cap. placuit.* 16. *quæſt.* 3. Alciat. *libr.* 1. *conſil.* 2. *numer.* 10. & Menoch. *conſil.* 67. *numer.* 8. *volum.* 1. Sexto per correſpectiuitatem actuum, quia vnus actus fit propter alium, renuntiaſti Titio beneficium, qui in tui gratiam, vel penſioni, vel alteri cuipiam rei renunciauit, coram eodem Notario, eodem die, iiſdemque teſtibus, atque, vt loquuntur, incontinenti. Hæc tamen probatio non eſt niſi per præſumptionem. de ea latè Flamin. *lib.* 14. *cit. quæſt.* 9. allegans plures deciſiones Rotæ.

3 Secundo Simoniæ crimen coniecturis etiam, & præſumptionibus, & non tantùm euidentibus probationibus probatur. Ita pluribus allatis Flamin. *libr.* 14. *quæſt.* 8. *numer.* 1. Redoan. *par.* 4. *cap.* 6. *numer.* 21. Gomez *in Regul. de triennali poſſeſſ. quæſt.* 18. Menochi. *conſil.* 67. *volumine* 1. *numer.* 7. & *lib.* 1. *de præſumpt. præſumpt.* 58. *numer.* 4. & *lib.* 5. *præſumpt.* 8. & DD. *in cap. per tuas.* & *cap. ſicut. de Simonia.* Non tantùm ob grauitatem huius criminis, ſed quia occultè patrari ſolet, idcircò illius probatio difficillima eſt: quare dandus eſt coniecturis, & præſumptioni locus, quæ tamen coniecturæ debent eſſe euidentes, & plenè probari, vt reum conuincant, quod Gloſſa *in cap. inſinuatum. de Simonia.* aliique paſſim docent, & idcircò vna non ſufficit, ſed minimùm duæ requiruntur, quæ integrè, & plenè probatæ ſint, id eſt, vnaquæque coniectura in ſuo eſſe concludens, & perfecta ſit: neque ex pluribus illegitimis vna conualeſcit, vt tradunt Gomez. *tom.* 3. *variar. capit.* 12. *numer.* 26. Maſcard. *concluſ.* 1224. *numer.* 3. & ideò quælibet coniectura ex illis, quas adducunt Pij IV. & V. in ſuis conſtitutionibus contra confidentiam, non conuincit hoc crimen, ſed ſi plenè probetur, facit præſumptionem, quæ deinde cum aliis facit plenam probationem, vti Flamin. *tract. de confidentia. quæſt.* 27. *quæſt.* 31. & *aliis* oſtendit, & Garcias, 11. *parte, de benefic. cap.* 3 *numer.* 297. Has verò Simoniæ coniecturas, & præſumptiones petes tum ex Flamin. *locis cit.* tum ex Menoc. *lib.* 5. *præſump.* 8. & 9.

Tertio ſocius etiam criminis in Simonia admittitur in teſtem, quod latè oſtendit Flamin. *lib.* 14. *de reſignat. quæſt.* 10.

QVÆSTIO XXXI.

De diſpenſatione cum Simoniacis.

NOn diſputamus de diſpenſatione Simoniæ quoad culpam, ſed quoad pœnam; culpa enim Simoniæ ſi ſit contra ius diuinum, & naturale, ab vllo impediri nequit præuia diſpenſatione: ſi autem ſit ſolùm violatio iuris Eccleſiaſtici, Simoniam eiuſmodi modo aliàs explicato inducentis, ille vnus qui ius Eccleſiaſticum laxare poteſt, aut refigere, potetit eiuſmodi Simoniam abſque culpa permittere, quod ſoli Pontifici ſummo concedendum eſſe conſtat ex alibi dictis, ille tamen nunquam hac in parte diſpenſat, neque id facere cenſendus eſt, cùm nulla cauſa ad id vnquam impellat.

Tota igitur difficultas hoc loco eſt, 1
de diſpenſatione pœnarum Simoniæ quæ ex iis, quæ fuſiùs diximus alibi de diſpenſationibus, facilè reſolui poterit.

poterit. Hæ igitur pænæ ſi non ſunt reſeruatæ, ab Epiſcopo ſaltem diſpenſari poterunt; ſi autem vel expreſſæ, vel implicitè, & virtualiter reſeruatæ fuerint, non poterunt niſi ab eo, cui ſunt reſeruatæ tolli, vt patet.

2. Atque imprimis excommunicatio, quam incurrunt Simoniaci in ordine, & beneficio reſeruata eſt ſedi Apoſtolicæ, vti diximus *Extrauag. 2. de Simonia.* Excommunicatio quoque ob Simoniacam receptionem in Religione reſeruatur quoque *Extrauagant. primo de Simonia.*

Secunda ſuſpenſio ab ordine inflicta ſimoniacè ordinatis, ſi agamus de ordine ſimoniacè recepto, reſeruatur *cap. pen. de Simon.* hæc autem ſuſpenſio extenditur ad omnes omninò ordines priùs ſuſceptos in *Extrauagant. ſecund. de Simonia*, in qua nulla fit reſeruatio. Nihilominus cùm probabile ſit, hanc ſuſpenſionem eſſe meram pænam, & non cenſuram, illa non poterit relaxari niſi à conditore Canonis ipſam infligentis, vti fusè diximus diſputantes de abſolutione cenſurarum; iure autem nouo conſtitutionis Sixti V. contra malè promotos, reſeruata etiam fuit ea pæna ſuſpenſionis ſedi Apoſtolicæ.

Tertia, ſuſpenſio triennalis inflicta ordinanri ſimoniacè, & præſentanti *cap. penult. de Simonia.* cùm ſit mera pæna virtualiter & implicitè reſeruatur illam infligenti ex Regula tradita. Nouo autem iure Sixti ea ſuſpenſio ad omnium ordinum collationem extenditur addita reſeruatione.

Quarta ſuſpenſio Capituli, aut Conuentus propter Simoniacam receptionem Religioſi, aut Canonici reſeruatur Pontifici *Extrauag. 1. de Simonia.*

Quinta, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ latum contra ſimoniacè ordinantes, reſeruatur à Sixto V. ſicut & interdictum contra Prælatos recipientes beneficia in confidentiam à Pio IV.

Sexta pæna expulſionis Religioſi à Monaſterio in quod ſimoniacè fuerat ingreſſus, non incurritur ipſo facto, & ante ſententiam, vti diximus, & in illa in caſu ignorantiæ diſpenſari poteſt *cap. de Regularibus. de Simonia.* & in caſu neceſſitatis *cap. Quoniam. eod. tit.*

Septima pæna eſt irritatio prouiſionis beneficij, in quam non cadit diſpenſatio, cum fieri nequeat, vt quod inualidum eſt, non fuerit inualidum: itáque ſi quæ ſit diſpenſatio in eo caſu, illa erit antecedens, nempè vt eiuſmodi prouiſio, etiamſi Simoniaca ſit, nihilominns valida permaneat, quod fieri nequit niſi diſpenſetur in lege Eccleſiaſtica eiuſmodi prouiſionem irritante.

Octaua pæna eſt inhabilitas ad illud idem beneficium, quod fuerat ſimoniacè obtentum; & in ea difficultas, eáque ſatis frequens eſt. Et quidem ſi beneficium ſit ſimplex, & ab ignorante commiſſa Simonia, poterit poſt liberam eius reſignationem illud iterum huic Simoniaco conferre Epiſcopus, & cum illo diſpenſare *ex cap. pen. de electione.* Quodſi beneficium non fuerit ſimplex debebit illa vice illud alteri conferre; ſi deinde vacauerit, poterit ignoranti iſti, qui illud beneficium ſimoniacè acceperat conferre: cum Simoniaco autem ſcienti nullus præter Pontificem diſpenſare poterit ex DD. communiſſima ſententia, quam colligunt *ex cap.*

citato ; exceptio enim quam addit Pontifex, vt pro vna vice, & ignoranti Simoniaco conferatur beneficium, firmat Regulam vniuerſalem ; in aliis verbi gratia caſibus cùm aberit ignorantia, id fieri non poſſe. An verò quoties occulta eſt iſta Simonia, poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, grauis quæſtio eſt ; negant communiùs DD. quia cum ea inhabilitas non ſit cenſura, non continetur in cenſuris occultis, à quibus abſoluere Epiſcopum permittit Tridentin. non tamen improbabilis eſt contraria ſententia, quæ concedit Epiſcopo hanc facultatem, vti multis probat Ferdinand. *tractat.* 17. *diſputat.* 3. *punct. vltim. à numer.* 4. & nos alibi agentes de diſpenſationibus, vbi & reliqua, quæ de hac diſpenſatione quæri poſſent, explicata reperies. Idem porrò ſentiendum erit de inhabilitate ad alia beneficia, quam incurri ex Simonia diximus. Atque hæc de Simonia fuſiùs, quàm voluiſſemus, diſputata ſufficiant.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM
Quæ in hoc Opere continentur.

Prior numerus paginam, alter marginalem numerum notat.

A

Abraham.

ABRAHAM & Ephron non fuere Simoniaci. 182

Abſolutio.

Abſolutio pænitentis etiam indigni eſt materia Simoniæ. 3.141

Abſolutionem negare in foro Sacramentali, eſt materia Simoniæ. 2. 157.

Academia.

Academia Pariſienſis exigit venditionem ad Simoniam. quæſt. 2. §. 5. pag. 41.

Acroama.

Acroama antiquum, *Curia Prælatorum, ſunt probatoria Clericorum.* 2. 249

Actus.

Actus ſpirituales ſunt materia Simoniæ. 3.123

Actus interni ſpirituales, an vendi poſſint. 10. 93.

Adnexa.

Adnexorum tria genera. 5.85

Adnexa concomitanter, omiſit D. Thomas, & cur. 5.86

Quænam malè in ſpiritualibus annexa enumerantur. 5. 86

Agnus cereus.

Agni cerei, an ſint materia Simoniæ. 171.

Albertus Magnus.

Alberti Magni mens & doctrina de Simonia. 29 & ſeq.

Alexander.

Alexandri de Halles mens & doctrina de Simonia. q.2.§.5.p.30.& ſeq.

Altiſſiodorenſis.

Altiſſiodorenſis mens & doctrina de Simonia. q.2 §.5.c.38

Ambroſius.

Ambroſij verba falsò citata à Gratiano. q.2.§.7.p.69

Amphibologia.

Amphibologia, ſeu reſtrictio mentalis, eſt licita. 9.283

Angelus.

Angeli mens & doctrina de Simonia. q.2 §.6.p.65.

Anima.

Anima an poſſit vendi. 8.88

an eius potentiæ. ibid.

an eius habitus. ibid.

an actus. ibid.

an opera externa. ibid.

Antidorum.

Ad antidora ſpiritualia obligare velle per obſequia temporalia, imo & illa ſperare, &c. licitum eſt. 4.267

Antidoralis obligatio poſtulari poteſt ab eo, cui confertur obſequium aut beneficium. 267

Antidora inter & merita, quæ æqualitas ſtatui debeat. 264 266

Ex amicitiæ obligatione quod debetur, exigi poteſt abſque vſura. 268

Paciſci de implenda naturali ad antidora obligatione, maximè ſi de certo aliquo antidoro conueniatur, an liceat abſque Simonia. 5. 269. & ſeqq. fusè.

Obiectiones contra antidoralem obligationem ſoluuntur. 9.275

Antoninus.

Antonini mens & doctrina de Simonia. q.2.§.6.p.64

Appretiatio.

Appretiatio, quomodo fiat in Simonia. 79.

Aqua benedicta.

Aquam benedictam vendens committit Simoniam. 2.101

Aragonius.

Aragonij mens & doctrina de Simonia. q.2 §.5.p.52. & ſeq.

Arbiter.

Arbitratores electi ad componendam litem beneficialem, quid poſſint facere. 9.406

Area.

Area excipiendo corpori, an vendibilis ſit. 182

Ariſtoteles.

Ariſtoteles religionis virtutem admiſit. 1.112.

Argentinas.

Thomæ ab Argentina mens & doctrina de Simonia. 40

Armacanus.

Armacani mens & doctrina de Simonia. 45

Ars.

Artes liberales docere, an actus ſpiritualis. 26

Aſtenſis.

Summæ Aſtenſis mens & doctrina de Simonia. q.2.§.6.p.65

Auaritia.

Auaritia quomodo mortalis. q.2.§.5. p.44.

Auarus dicitur Simoniacus, quomodo. q.2.§.5.p.28.

Auditoriatus.

Auditoriatus ſiue Clericatus Cameræ ſimoniace obtentus, validus eſt. 437.

Auguſtinus.

S. Auguſtini locus emendatur. 9.91

Auſinus.

Nicolai de Auſino mens & doctrina de Simonia. q.2.§.6.p.67

Author.

Authores qui ſcripſere de Simonia. 2.

B

Balaam.

Balaamus, cur non Simoniacus. 1. 139.

Baptiſmus.

Baptiſmum iniuſte neganti in extrema neceſſitate, ſiue infanti, ſiue adulto, licet dare pecuniam. 3.282

Item alia Sacramenta, in eadem extrema neceſſitate. 4. ibid.

& etiam, in graui quacunque neceſſitate. 5 ibid.

Baptiſmus & matrimonium, licet à laico miniſtrata, ſunt materia Simoniæ. 151

Baptiſmus & confirmatio, ſunt materia Simoniæ. 1.140

Baptiſini ſuſceptio ſicut & collatio, an ſit materia Simoniæ. 124

Barboſa.

Auguſtini Barboſæ mens & doctrina de Simonia. 60 & ſeq.

Beatitudo.

Beatitudinem an mereamur ex iuſtitia commutatiua 186

Benedictio.

Benedictiones & dedicationes Eccleſiarum, ſunt materia Simoniæ. 2. 144.

Chriſmatis, olei infirmorum, & Abbatum benedictiones, ſunt materia Simoniæ. 2. 44

Item benedictiones ſacerdotales. ibid.

Item benedictio agnorum cereorum aquæ, veſtium, incenſi, &c. ibid.

Item benedictio nuptiarum. ibid.

Beneficiatus, Beneficium.

Beneficium conferens ex promiſſione remittendi debiti, eſt Simoniacus. 1. 226.

Beneficiorum & aliorum ſpiritualium collatio

collatio ob conſanguinitatem, an Simoniaca. 219
Beneficium, an poſſit permutari cum penſione, authoritate ſuperioris. 203.
Beneficiorum permutatorum inæqualitas, an compenſari poſſit abſque Simonia 207.
Beneficij collatio ſub grauamine penſionis, eſt Simoniaca 2.231
Beneficiatis an liceat Miſſarum ſtipendia accipere. 11.305
Beneficium incompatibile conferens, petendo vt alteri cedat, non eſt Simoniacus. 2.232
Conferens beneficium incompatibile, ea conditione vt cedat alteri ante iſtius poſſeſſionem vel collationem, eſt Simoniacus. 3.233
Conferens vnum beneficium cum pacto prioris compatibilis dimittendi, Simoniacus eſt. ibid.
Beneficiati an poſſint obligare ſe ad faciendam permutationem, nondum conſulto Epiſcopo. 212
Conſentiens beneficium ſuum vel conferri certæ perſonæ, vel vniri certo loco, nec Simoniam, nec culpam aliam committit. 16 243
Beneficium conferre licitum eſt cum onere obſequij temporalis ipſi annexi. 2.250
Offerens patrono ſuum beneficium, vt ad pinguiorem præbendam præſentetur, an Simoniacus 234
Beneficium eccleſiaſticum formaliter ſumptum eſt inuendibile ex natura rei, ac materia Simoniæ. 376. & ſeq.
Ben ficium eccleſiaſticum quid ſit. 376.
Beneficia, an ſint materia Simoniæ. 160.
Beneficium conferre ex metu lucri ceſſantis, an ſit Simonia. 1.223. & ſeq.
Beneficia alia incompatibilia, alia compatibilia, & quæ. 1.232
Beneficia cum permutata ſunt in diuerſis diœceſibus, vtriuſque Epiſcopi conſenſus neceſſarius eſt. 201
Beneficium conferre metu impendentis mali, quod ea collatione vitare contendimus, non eſt Simonia. 221. & ſeq.

Bonauentura.

Bonauenturæ mens & doctrina de Simonia, examinatur. q.2. §.5.p.27. & ſeq.

Brulefer.

Stephani Brulefer mens & doctrina de Simonia. q.2.§.5.p.58

C

Caietanus.

Thomæ de Vio Caietani mens & doctrina de Simonia. q.2.§.5.p. 48. & ſeq.
Caietanus reiicitur. 2.94

Calor.

Calor ſemper idem eſt, ſiue à ſole, ſiue ab igne procedat. 5 149
item effectus omnis. ibid.

Campana.

Campanarum pulſatio, accenſio cereorum, non ſunt materia Simoniæ. 151.

Canon, Canoniſta.

Canoniſtarum veterum ſententia de vendibilitate rerum materialium conſecratarum. 169
Eorum qui in canone eccleſiaſtico cenſentur, tres ſunt gradus. 2.397

Cantor.

Cantoris, Muſici, atque organis ludentes inter diuina officia, pretium ſui laboris abſque Simonia capiunt. 164.

Capella, Capellania.

An qui tenetur celebrare in certo altari, capella aut eccleſia, in quibus tamen tunc non poteſt, quia aut diruta aut polluta ſunt, aut ab ho-

ſtibus occupata, aut obſerata, teneatur alibi ſatisfacere, an vero ſit omni obligatione ſolutus. 28.320
Capellaniæ, an ſint materia Simoniæ. 387.
Capellanus.
Capellanus morbo vel aliter legitime prohibitus, an teneatur per alium ſatisfacere obligationi ſuæ. 24. 320 & ſeq.
Capitulum.
Capitulum ſede vacante, an poſſit admittere reſignationes cauſa permutationis. 202
Capitula, collegia, conuentus, Simonià teneri poſſunt. 104
Caput.
Cap. *nemo. de Simonia*, exponitur. 134. & ſeq.
Cap. *quam pio*, exponitur. 3.124
Cap. *veniens, de Simonia*, exponitur. 5.441.
Cap. *ad audientiam* 2. *de reſcriptis*, explicatur. 196 & ſeq.
Cap. *Matthæus, de Simonia*, exponitur. 12.285
Cap. *quæſitum*, exponitur. 199
Cap. *ad quæſtiones, de rerum permutat.* exponitur. 210
Cardinalis.
Cardinales peccato Simoniæ ſolius iuris poſitiui peccare poſſunt. 1.105
Carthuſienſes
PP. Carthuſienſ. ſanctiſſimum ſtatutum prohibens quæquam omnino exigi aut accipi à nouitiis ſuis. 346
Caſus.
Caſus cap. *quam pio*, eſt Simoniacus. 4. 131.
Catechiſmus.
Cathechiſmus eſt materia Simoniæ. 121.
Cauſa.
Cauſa principalis, quæ ſit. 42
Diſtinctio cauſæ motiuæ & finalis. 53.
Cenſura.
Cenſuræ impoſitio, eſt materia Simoniæ. 157
eiuſque abſolutio. ibid.
Cereus.
Cereorum delatio inter dandum incenſum, aut legendum euangelium, ſunt materia Simoniæ. 151
Ceſſio.
Ceſſio iuris litis & cauſæ in fauorem collitigantis facta coram ordinario, vt ille ius ceſſum conferat collitiganti, illicita eſt. 17. 243.
Chriſma.
Chriſma, an ſit vendibile. 168. & ſeq.
Chriſtus.
Chriſtus non eſt materia Simoniæ. 1. 137.
Chriſtianus.
Chriſtianum, Iuſtum, Sacerdotem, Religioſum, vt ſic, vendere, Simoniacum eſt. 138
Clericatus.
Clericatus & Auditoriatus Cameræ in Curia Ronana, quo iure vendantur. 400.
Clericus.
Paciſcentes clerici cum heredibus, de morientis ſupellectili ex conſuetudine accepta, redimenda, non ſunt Simoniaci. 184
Sed non mortui, ſi velint eum à ſe ſepeliri. ibid.
Clerici tam proprij quam extranei, pro officio funebri precium accipere non poſſunt. 184
Coadiutoria.
Coadiutoriæ, an ſint materia Simoniæ. 388.
Collatio, Collator.
Collatio rei ſpiritualis, appoſita conditione, vt alius deſiſtat ab iniuſta actione, non eſt Simoniaca. 3.223
Sed ex pacto & promiſſione, Simoniaca eſt. 4.223

Collatio

Collatio beneficij propter obſequia collatori aut alij præſtita, an ſit Simoniaca. 1.248
Collatio rei ſpiritualis cum pacto cedenti beneficio, ob temporale connexum, eſt Simoniaca. 2 232
Collatoris conſenſus, eorumque omnium ad quos pertinet, ad permutationem beneficiorum requiritur. 200.
Collatio facta cum pacto reparandi Eccleſiam, non eſt Simoniaca. 3. 235.
item ſoluendi debita nomine Eccleſiæ. ibid.
Collatio beneficij, ea conditione, vt vbi pinguius ipſi dederit, alteri reſignet, Simoniaca eſt. 4.235
Collatio beneficij pro obſequio ſpirituali iam præſtito, an ſit Simoniaca 252.
Collatio beneficij pro obſequio ſpirituali præſtando, an ſit Simoniaca. 1.252.& ſeq.
Si quis commiſit Simoniam in odium alterius, firma erit collatio, modo prouiſus contradixerit aut ignorauerit. 5.435

Columba.

Columbam & Spiritum Sanctum, qui nam vendebant. 9.91

Commenda.

Commendæ, an ſint materia Simoniæ. 387.

Commutatio.

Commutatio beneficiorum, cui ſuperior ſine iuſta cauſa authoritatem tribuit, an Simoniaca. 213
Commutatio præciſè inter ſpiritualia, non eſt Simoniaca. 188
non præciſè, eſt Simoniaca. ibid.
Commutatio rerum ſpiritualium quot modis inſtitui poteſt. 185
Commutatio ſpiritualis pro ſpirituali, non eſt proprie Simoniaca. 185
Commutatio actionum pertinentium ad prouiſiones beneficiorum, an ſit Simoniaca. 195
Commutatio vnius beneficij cum iure ad aliud, an ſit Simoniaca. 195
Commutatio beneficiorum ſine ſuperioris authoritate facta, eſt Simoniaca. 199. & ſeq.
Commutatio beneficij cum penſione clericali, an eſt Simoniaca. 104.105. 106.
Superioris authoritate facta commutatio beneficiorum, non eſt Simoniaca. 198

Compenſatio.

Compenſatio beneficialium fructuum inæqualium an Simoniaca. 208. & ſeq.

Competitor.

Pecuniam dare competitoribus ſuis, vt à iuſta prætenſione ceſſent, eſt Simonia. 13.285

Concilium.

Concilij Toletan. VIII. mens de Simonia. q 2.§.7.p.69
Calcedonenſis. ibid.
Braccarenſis. ibid.
Concilia Vaſenſia, quæ. 178

Concio, Concionator.

Concio eſt materia Simoniæ. q. 6. p. 121.
Concionator eſt Simoniacus, qui pro labore concionis pretium accipit. 165.
Sed non, pro extraordinario. ibid.

Conditio.

Conditio, *contraho vel contraham tecum patrimonium, ſi dederis mihi decem*, non eſt Simoniaca. 3.130

Confeſſio, Confeſſarius.

Confeſſarij munus emens pretio, eſt Simoniacus. 154
Confeſſarius exigens pecuniam, eſt Simoniacus. 154
Confeſſionem non audire, non eſt materia Simoniæ. 2. 136

Confidentia.

Confi

Confidentia, quo iure ſit prohibita. 16. 417.
Conſtitutionum Piorum IV. & V. contra confidentiam, rigor in Gallia temperatus. 17.417
Confidentiæ beneficiales hodie damnantur in Gallia. 418
Confidentialis Simonia, quid ſit. 407. & ſeq.
quibus modis committatur. 4.408

Confraternitas.

An celebrans Miſſam accepto ſtipendio in confraternitatibus, teneatur Miſſam illis applicare. 41.326

Conjectura.

Coniecturæ ad probandum, quales eſſe debeant. 460

Conſanguineus.

Conſanguineis idoneis beneficia, aut officia eccleſiaſtica conferre, licitum eſt. 221
ſed periculoſum. ibid.
Conſanguineo qui confert beneficium, ex fine vtilitatis ſuæ temporalis, Simoniam ſaltem mentalem incurrit. 220.

Conſecratio.

Conſecrationes, officium canonicum, Sacramentalia, &c. inter ſpiritualibus annexa 6.87
Conſecratio duplex. 2.101

Conſilium.

Conſilium quotuplex. q.6.n.2.p 119
pro foro externo, non eſt materia Simoniæ. n.3.ibid.
& cur. ibid.
Conſilium morale, non eſt inuendibile. 3.120
Conſilium theologicum doctrinale, non eſt materia Simoniæ. 3.120
Conſilium ex vnctione Spiritus Sancti eſt materia Simoniæ. 4.120
Quandonam tale ſit, vix vnquam certò conſtat. 120.121

Conſtitutio.

Conſtitutiones priuatæ quorundam Ordinum Religioſorum, circa ſtipendia ſacrorum miniſteriorum, explicantur. 327

Conſuetudo.

Conſuetudo offerendi aliquid pro ſepultura, benedicendis nuptiis aliiſque, laudabilis eſt. 1.372
Conſuetudo accipiendi aliquid pro chriſmate, eſt laudabilis. 2.373
De conſuetudine exigendi duos ſolidos ad cathedraticum Epiſcopi, remiſſiue. 3.373
De conſuetudine accipiendi procurationem, dum Epiſcopi viſitant, remiſſiue. 4.373
Conſuetudines quaſnam ſuſtulit Trid. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 14. 5.375. & ſeq.
Cõſuetudo, ne groſſam fructuum nouus Canonicus percipiat, niſi per aliquot annos inſeruierit, eſt laudabilis. 374.
Conſuetudo Eccleſiæ Lugdunenſis, quod canonici nullos fructus percipiant, donec fuerint initiati ſacris, eſt laudabilis. 374
Quid de conſuetudine, quę pauperiores puellas iubet aliquandiu inſeruire Monaſterio, & deinde illas ſe in ſorores laicas accepturas ſpondent. 9.351.
Conſuetudines quædam antiquæ, circa ordinationes & receptiones in clerum, examinantur. 374. & ſeq.
Conſuetudo an valeat contra interdictum aut alias cenſuras. 9.366
An conſuetudo det ius aliquid accipiendi temporale pro ſpirituali, ſiue an excuſet à Simonia. 367. & ſeq.
Conſuetudo laudabilis, & iniqua, quomodo diſtinguatur. 4.368. & ſeq.

Contractus.

Contractus Simoniacus, qualis eſſe debeat. 257. & ſeq.

Cor.
Cordis directio pro vitanda Simonia. 45.
Couarruuias.
Couarruuiæ mens & doctrina de Simonia. 63. & ſeq.
Creditor.
Creditor conferens beneficium timore amittendi ſua debita, an Simoniacus eſt. 3.224
Crux.
Crucis geſtatio in ſupplicatione, ſuffitus thuris inter ſolemnia officia, ſunt materia Simoniæ. 151
Crucis maioris geſtatio in funere, an materia Simoniæ. 183
D
Decretum.
Decretum de manumiſſione cum pacto ingrediendi Religionem, defenditur. 1.127.& ſeq.
Dionyſius.
Dionyſij Richelij mens & doctrina de Simonia. q.2.§.5.p.38.& ſeq.
Diſpenſatio.
Diſpenſationes omnes in materia ſpirituali, ſunt obiectum Simoniæ. 157.
& quæ hoc nomine intelligantur. ibid.
Diſpenſatio cum Simoniacis. 1. 460. & ſeq.
Pro diſpenſationibus Eccleſiaſticis, qua ratione accipiatur aliquid, abſque Simonia. 357.& ſeq.
Pontifex poteſt ſine Simonia, aliquid accipere & exigere pro diſpenſationibus, variis ex cauſis. 3. 357.
Stylus curiæ accipiendi pro diſpenſationibus pecuniæ ſummam etiam ingentem, à Simonia immunis. ibid.
Diſtributio.
Vadens ad Eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus, an Simoniacus. 25
Doctor.
Doctor non committit Simoniam, dum non vult vacare à legendo, niſi pretio accepto. 4.115
Doctrina.
Doctrinæ nomine quid ſignificetur. 2. 114.
Doctoratus.
Doctoratus non eſt materia Simoniæ. 1.117.
quæ in eo fingi poſſunt. ibid.
Dominium.
Dominium in ſpiritualia, an habeamus. 187
Donatio.
Donatio gratuita temporalis pro ſpirituali, non eſt Simoniaca contra ius naturale aut diuinum. 1.259
Poteſt prohiberi ab Eccleſia intuitu Religionis, & tunc eſt Simonia analogice. 2.260
ſed nullibi in iure prohibetur tanquam Simoniaca, ſaltem extra materiam beneficiorum, imo ſæpius probatur. 3.260.& ſeq.
Obiectiones contra gratuitas donationes, ſoluuntur. 4.260.& ſeq.
Donatio antidoralis & remuneratoria temporalis pro ſpirituali, an ſit Simoniaca. 1.261.& ſeq.
Donatio liberalis rei temporalis pro actu ſpirituali, quibus modis fieri liceat. 6.116.& ſeq.
Donatio quando liberalis & gratuita, quando non. 1.128
Donatio antidoralis, non eſt omnino liberalis. 2.263
eſt irreuocabilis. ibid.
ex ſuperuenientibus liberis non reſcinditur. ibid.
non egebat olim inſinuatione. ibid.
Donatio liberalis ad perſuadendam fidem eſt licita. 5.126
Donum.
Dona Dei, quænam. 106

Dos.

Dotis definitæ ſumma vnde poſſit augeri, vt Monaſterium iure aliquid amplius exigat,quam commune ſtatutum ferat. 14.353.& ſeq.

Monaſterium an poſſit paciſci de alia pecunia annua, donec dos aſſignata Moniali ſoluatur. 15. 354. & ſeq.

Monaſterium an poſſit vel dotem vel aliquid aliud ex bonis Monialis ante eius profeſſionem recipere. 16. 355. & ſeq.

an & per modum mutui. 356

Dulciarium.

Dulciaria & conuiuia ſunt prohibita à Trident. 374

Durandus.

Durandi mens & doctrina de Simonia. q.2.§.5. p.35.& ſeq.

E.

Elector, Eligere.

Electores ſibi ſolis reſeruantes beneficia omnia an Simoniaci. 15. 416.

Electores ab indigna electione abducere pecunia licitum eſt. 21. 288

Pecunia an poſſit dari, vt vnus tantum eligatur. 21.289

Emptio, Emere.

Non emptio, ſed voluntas emendi eſt eſſentialis Simoniæ. 3

An emptionis, venditionis ac pretij ratio ſit eſſentialis Simoniæ.q.2.p.9. & ſeq.

Emere aliquem in Prælatum aut Epiſcopum ſibi vtilem, non licet. 3. 124.

In emptione & venditione conſtituit S. Thomas Simoniam. q.2.§.5.p.18. 19.& ſeq.

Epiſcopus.

Epiſcopis an liceat aliquid accipere pro diſpenſationibus. 4.357

Epiſcopi in concedendis diſpenſationibus & aliis, an poſſint aliquid in ſtipendia officialium imponere. 1. 359.

Epiſcopus an poſſit aliquid exigere, aut eius miniſtri, aut ſaltem oblatum capere, in ordinum collatione. 360.

Epiſcopi nomine quis intelligendus. 198.

Epiſcopus an ſolus poſſit præſibere authoritatem permutationi beneficiorum. 198

Epiſcopi authoritate commutatio beneficiorum fieri poteſt. 197

Epiſcopus non poteſt admittere reſignationem ex cauſa permutationis beneficiorum Papæ reſeruatorum. 201

Epiſcopus ex priuilegio vel conſuetudine habens ius conferendi beneficium in aliena diœceſi, non poteſt illius reſignationem ex cauſa permutationis accipere. 201

Epiſcopi debent permutare ſua beneficia authoritate vel Archiepiſcopi vel Pontificis. 203

Epiſcopus permutationes ſine cauſa iuſta, inualidè approbat. 214

Epiſcopus conferens beneficium, vt vitet offenſionem Principis, non eſt Simoniacus. 5.224

item qui confert, ne amittat ſtipendia ſibi à Principe conſtituta. ibid.

Epiſcopus non poteſt exigere iuramentum de non reſignando beneficium cum penſione, aut in fauorem alicuius, ſed libere tantum. 5.235

imo iuramentum tale, eſt inutile. ibid.

Epiſcopus non poteſt annectere beneficiis vacantibus onera obſequij temporalis in priuatæ ſuæ domus & familiæ obſequium. 5.241

Epiſcopus dans ius audiendi confeſſiones cum onere ſibi inſeruiendi, aut alicuius itineris, aut alterius

terius obſequij, Simoniacus eſt. 4. 251.

Epiſcopus non poteſt renuntiationem in fauorem, reiecta conditione, admittere tanquam puram & liberam, atque adeo alteri quam deſignato à renuntiante conferre. 12. 240

Epiſcopus an poſſit præbendam beneficij vendere, aut aliquo titulo pro ipſa pecuniam exigere. 1. 384. & ſeq.

Epiſcopi & Generales Ordinum, an poſſint minuere numerum Miſſarum, quando redditus ad eas relicti, non ſunt modo ſufficientes. 7. 301.

Epiſcopi an poſſint ita definire ſtipendia diuinorum officiorum & Miſſæ, vt præcipiant ne minus detur aut accipiatur. 5.299

Eſaü.

Eſaü vendendo primogenita, non fuit Simoniacus. 174

Euchariſtia.

Euchariſtia captiua à Tyranno, pecunia redimi poteſt. 8.283

Euchariſtia, eſt materia Simoniæ. 2. 140.

Euangelium, Euangelizare.

Euangelij & Epiſtolæ lectio in Miſſa, eſt materia Simoniæ. 151

etiam à laico facta. ibid.

Euangelizandi quadruplex modus. 291

Examinator.

Examinatores ad ordines, aut ad beneficia, an aliquid pro ſua opera poſſint exigere. 3. 363.& ſeq.

Examinatores eccleſiaſtici, ſi dignos reiiciant, propter pecuniam, Simoniaci ſunt. 2.136

Excubiæ.

Simonia non eſt, accipere pretium pro excubiis ad cadauer defuncti. 165

Exequiæ.

Quid de conſuetudine eorum, qui viuentes adhuc ſuas exequias fieri curant, & Miſſam pro ſe tanquam pro defuncto celebrari, cui aſſiſtunt. 26. 318.

Exequiæ mortuorum, an materia Simoniæ. 152

Exhortatio.

Exhortatio merè moralis, non eſt materia Simoniæ. 121

Exorciſmus.

Exorciſmus, aliæque minorum ordinum functiones, ſunt materia Simoniæ. 151

etiam à laico factæ. ibid.

Expuere.

Expuens in Eccleſia ex contemptu, committit Simoniam mentalem. 4

Extrema-vnctio.

Extrema vnctio eſt materia Simoniæ. 5.142.

F.

Famulari.

Famulantes Epiſcopis vel aliis ſpe obtinendi alicuius beneficij eccleſiaſtici, an Simoniaci. 1.248

Feliſius.

Matthiæ Feliſi mens & doctrina de Simonia 58

Fidelis.

Fideles tenentur ad præſtandum id, quod vi laudabilis conſuetudinis exigitur. 7.370.& ſeq.

Finis.

Finis principalis duplex acceptio. 80

DD. quo ſenſu dixerint ex fine principali committi Simoniam, licet de precio nihil cogitetur. 62

Finis principalis, quis dicendus. 11

Fraternitas.

Promittere annuam penſionem, aut quid aliud, ad expenſas alicuius fraternitatis iuxta eius ſtatuta, vt quis in eam admittatur; an ſit Simonia. 11. 352.

Fructus.

Fructus percepti ex beneficio Simoniace obtento, reſtituendi ſunt. 438

& cui facienda illa reſtitutio. ibid.
Fructus beneficij iniuſte retentos poſſunt pecunia redimi. 17.287

Fumus.

Bartholomæi Fumi mens & doctrina de Simonia. quæſt. 2. §. 6. pag. 67.

Funus.

Quid de ſtatuto, quo cauetur ne vlli clerici niſi talis Parochiæ aut Cathedralis funeribus aſſiſtant, & non niſi eo ſtipendio & non minori. 6. 300.& ſeq.

G.

Gabriel.

EX Gabriele, Simoniæ triplex acceptio. 46
Gabrielis Bielis mens & doctrina de Simonia. 45.& ſeq.

Generalis.

Generalis, Prouincialis, Guardiani, Rectoris officia valide conferuntur per Simoniam. 437

Gerſon.

Ioannis Gerſonis mens & doctrina de Simonia. 43.& ſeq.
ex Gerſone intentionis directio ad vitandam Simoniam. 43

Giezi.

Giezi, an Simoniacus fuerit. 2.139

Gloſſa.

Gloſſæ mens & doctrina de Simonia. 59.& ſeq.
Ex Gloſſa Simoniæ definitio. 15
Gloſſa reiicitur. 68
item reiicitur. 14

de Graffiis.

Iacobi de Graffiis mens & doctrina de Simonia. 66

Grana benedicta.

Grana benedicta, ſimoniacè accepta, an poſſint retineri. 432

Gratia.

Gratiæ gratis datæ, vt prophetia, virtus miraculorum, ſunt materia Simoniæ. 1.138

Gratianus.

Gratianus emendatur. 2.95

Gratis.

Illud *gratis*, quid ſignificet. 32

Gratitudo.

Gratitudinis obligatio, quid & vnde. 1.261.
Gratitudinis actus & obiectum. ibid.

Gregorius.

S. Gregorius explicatur. 70.& ſeq.

Guardianus.

Guardiani officium, valide confertur per Simoniam. 437

Guido.

Guidonis Brianſonis, mens & doctrina de Simonia. 38

Gutierrez.

Ioannis Gutierrez mens & doctrina de Simonia. 68

H.

Hadrianus.

HAdriani Florentij P. Max. de Simonia mens & doctrina. 55.& ſeq.

Hereticus.

Ab hæreticis indigne tractatæ Reliquiæ SS. pecunia redimi poſſunt. 9. 283.
Hæreticus æque docere Theologiam poſſet, ac Catholicus. 2.116

Henricus.

Henrici à Gandauo mens & doctrina de Simonia. 34.& ſeq.

Hieronymus.

S Hieronymus explicatur. 70
item defenditur. 9.92

Hora canonica.

Pro horis canonicis cantandis, accipere pretium, eſt Simoniacum. 165

Hoſpitale.

Hoſpitalia, an ſint materia Simoniæ. 389.
& quotuplicia ſunt. ibid.

Hypocrita.

Hypocrita, an ſit Simoniacus. 21

I.

Iacob.

IAcob emendo primogenita, an Simoniacus. 174

Iacob fruſtra defendit à Simonia S. Thomas. 174

Idololatra.

Idololatræ non habent vera ſacerdotia nec quidquam verè ſacrum. 1. 112.

Apud idololatras nulla eſt vera Simonia. 1.112

Ieroboam.

Ieroboam & Balaam, non fuerunt Simoniaci. 1.112.& ſeq.

Imago.

Imagines ſacræ, ſunt materia Simoniæ. 172. & ſeq.

Impedimentum.

Impedimenta boni operis remouere licet ab aliquo, munere temporali. 6.126

Impedienti iniuſte poſſeſſionem beneficij iam obtenti, licite datur pecunia. 17. 287.

Indulgentia.

Indulgentiæ, ſunt materia Simoniæ. 155.

Infidelis.

Infideles, Simoniæ rei eſſe poſſunt. 1. 105.

Infideli matrimonium contrahere aut promittere ſi conuertatur, licet abſque Simonia. 2.229

Ingratus.

Aduerſus ingratos apud quas gentes olim eſſet data actio. 2.263

Denegata erat apud Romanos. ibid.

Iniuria.

Iniuria Simoniæ vnde accipienda. 107. 108

Inobedientia.

Inobedientiæ peccatum non eſt, peccatum contra præceptum ſolum. 4. 103.

Inquiſitor.

Inquiſitor fidei ſimoniace creatus, valide creatus eſt. 2.437

Intentio.

Intentionis directio ad vitandam Simoniaam ex Gerſone. 43

Intentio principalis acquirendi temporale medio ſpirituali, vel ſpirituale medio temporali, an ſit Simonia mentalis. 259

Interceſſio.

Interceſſiones, an conſtituant Simoniam. 1.253

Interpres.

Interpretum iuris, mens & doctrina de Simonia. 59.& ſeq.

Intuitus.

Intuitus quadruplex ad commodum temporale in datione vel miniſtratione ſpiritualium. 45.& ſeq.

Ioannes.

Ioannes Angeli dicebat nihil licere Parrocho accipere pro adminiſtratione Sacramentorum. 4

Ioannis Baconis mens & doctrina de Simonia. 38

Irreligioſitas.

Irreligioſitatis duo ſunt actuum genera, & quæ. 1.94

Iter.

Iter ad faciendum certo loco ſacrum, aut expectanda certa hora, eſt vendibile. 165

Iudas.

Iudas non fuit propriè Simoniacus. 2. 137.

Iudæ comparantur Simoniaci. 2.138

Iudex, Iudicium.

Iudex ſpiritualis eccleſiaſticus, conſtitui non poteſt pretio. 156

Iudicis filio conferens beneficium, vt abſoluat reum, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, an Simoniacus. 225

Iudiciū Clericorū in materia mere politica, aliique actus iuriſdictionis eccleſiaſticæ in materia mere temporali, nō

ſunt obiectum Simoniæ. 158

In iudicio quomodo committatur Simonia. 35

Iudicium eccleſiaſticum in cauſis ſpiritualibus, eſt materia Simoniæ. 157.

Iudex negans abſolutionem in foro externo, ob munera, Simoniacus eſt. 2. 136.

Iuramentum.

Iuramentum de non reſignando, an exigi poſſit ab Epiſcopo. 5.236

Iuriſdictio.

Iuriſdictionis eccleſiaſticæ actus omnes, ſunt materia Simoniæ. 3.147 ſiue habeant materiam ſpiritualem, ſiue merè politicam & humanam. ibid. 148.

Iuriſdictionis contentioſæ eccleſiaſticæ actus omnes, ſunt materia Simoniæ. 4. 148.

Iuriſdictionis eccleſiaſticæ actus habentes materiā mere politicam, ſunt materia Simoniæ ſolum humanæ. 5. 149.

Iuriſdictionis eccleſiaſticæ, quinam actus. 1.145

Iuriſdictionis ſpiritualis eccleſiaſticæ in foro externo collatio, eſt materia Simoniæ. 156

Iuriſdictionis actus Simoniaci, an ſint inualidi. 431

Iuriſdictionis poteſtas, eſt vendibilis. 10. 93.

Iuſpatronatus.

Iuſpatronatus, an ſit materia Simoniæ. 390.
quomodo acquiri poſſit venditione, aliaque, remiſſiue. 390

Iuſpatronatus, an valide per Simoniam acquiratur. 437

Pro iuriſpatronatus venditione pretium, an reſtituendum. 4.441

Iuſpatronatus qui habet litigioſum, & cum cauſidico paciſcitur, ſi cauſam diligenter agat, ſe eum, aut eius filium aliúmve, quem deſignabit, nominaturum, Simoniacus erit. 32. 248.

Ius.

Ius vt quis ſolùm, eiuſque familia in certo loco ſepeliatur, non eſt Simoniacum. 183

Ius eligendi ad dignitates & beneficia, eſt materia Simoniæ. 156
& ius confirmandi electionem, aut conferendi, aut inſtituendi. ibid.

Iuris interpretum mens & doctrina de Simonia. 59.& ſeq.

Ius percipiendi fructus eccleſiaſticos, eſt ſpirituale & inuendibile ex natura rei, & diuino iure. 377. & ſeq.

Iura ad beneficia, an poſſint inuicem vel cum beneficio permutari. 196

L.

Labor.

Labor extraordinarius in opere ſacro, non eſt materia Simoniæ. 164.

Labor creſcens ex conditione perſonæ, non eſt ſubiectum Simoniæ. 164.

Labor, an ex parte operis, an operantis æſtimandus. 164

Laboris exceſſum in opere ſacro ex parte operantis, vendere, periculoſum. 165.

Labor intrinſecè coniunctus actioni ſacræ & ſpirituali, eſt materia Simoniæ. 161.& ſeq.

Labor duplex actionis ſacræ. 161

Labor extrinſecùs coniunctus actioni ſacræ, eſt vendibilis. 163

Labor intrinſecus Miſſæ, baptiſmi, & cæterorum Sacramentorum, eſt vendibilis. 163

Laicus.

A Laico exercitus actus omnis Ordinis, eſt materia Simoniæ. 2.145

Laici poſſunt eſſe Simoniaci. 1. 105.

Lectio.

Lectio.
Lectio vulgata non admittitur. 159
Legatum.
Legatum, Dono & lego mille aureos Monaſterio tali, ſi meam filiam recipiat in Monialem, an licitum, an Simoniacum. 7.351
Legatum cum conditione, vt legatarius fiat religioſus, non eſt Simoniacum. 2.129.
Legitimare.
Legitimandi facultas Prælatorum, non eſt materia Simoniæ. 138
Leo magnus.
Leonis Magni mens de Simonia. 69
Licentia.
Licentiæ à Parrocho conceſſæ ſubditis, ſunt materia Simoniæ. 154
& quæ illæ licentiæ. ibid.
Licentia audiendi confeſſiones, eſt materia Simoniæ. 153
& quot modis conferri poteſt. ibid.
. quid de Parrocho retinente ſibi partem ſtipendiorum. 154
Licentia docendi, non eſt materia Simoniæ. 1.2.117
Licentiam alteri confitendi negare ſubdito, eſt materia Simoniæ. 2.137.
Licentia ſtudendi, non eſt materia Simoniæ. 118
Lingua.
Linguæ munus, quænam continet. 216.
vix diſtingui poteſt ab obſequio. ibid.
Lis.
Ne litem iniuſtam quis mihi moueat circa meum beneficium, licet dare pecuniam. 22.289
Litteræ Apoſtolicæ.
Litterarum Apoſtolicarum pro beneficio vel penſione renuntiatio, eſt Simoniaca. 197
Locus.
Locus ſepulturæ nondum conſecratus, vendi poteſt. 180
Locus iam conſecratus vendi poteſt à dominis illius, vt quis ibi ſepeliatur, ſine Simonia. 180
item locus communis ſepulturæ fidelium. ibid.
ſed iure eccleſiaſtico grauiſſime prohibetur. ibid.
Locus Religioſus, vnde ſic dictus. 176.
Locus purus, quis. ibid. & ſeq.
Locus honoratior pro ſepultura, an ſit materia Simoniæ. 183
M.
Magiſter, Magiſterium.
Magiſtri ſententiarum, definitio Simoniæ. 16
Magiſter conductus mercede ab Eccleſia, non committit Simoniam ſi aliquid à diſcipulis exigat. 3.115
Magiſterium non eſt materia Simoniæ. 1.117.
Maior.
Ioannis Maioris mens & doctrina de Simonia. 40. & ſeq.
item. 72. & ſeq.
Malderus.
Malderi mens & doctrina de Simonia. 57.
Manualia.
Regularia manualia, an materia Simoniæ confidentialis. 6.410. & ſeq.
Materiale.
Materiale connexum conſequenter, vel concomitanter alicui ſpirituali, eſt materia Simoniæ. 158. & ſeq.
Materiale connexum antecedenter ſpirituali, non eſt materia Simoniæ, niſi admodum impropriè. 166
Matrimonium.
Matrimonium contrahere, aut permittere infideli, ſi conuertatur, licet abſque Simonia. 2.129
Matrimonium, an ſit materia Simoniæ. 1.141.

vt Sacramentum, eſt inuendibile. 2. ibid.
vt contractus politicus, non eſt. 3. ibid.
Matrimonio non aſſiſtens Parrochus, Simoniacus eſt. 154
Matrimonium eſt fictum, quoties vnus ficté conſentit. 7.7
Diſpenſationum matrimonialium miniſtri, an poſſint pro ſua opera aliquid in ſtipendium capere. 8.365

Mediator.

Mediatores Simoniæ, an teneantur ad aliquam reſtitutionem. 446

Medina.

Medina reiicitur. 4.130

Mendicantes.

Religiones mendicantes, an aliquid ab ingrediente Religionem exigere poſſint. 6.350

Meretrix.

Meretrici ſpondere dotem, vt ad frugem redeat, non eſt Simoniacum. 2. 129.

Miniſter, Miniſtrare.

In miniſtratione ſpiritualium, intuitus quadruplex ad commodum temporale. 45. & ſeq.
Miniſtri eccleſiaſtici poſſunt exigere etiam in foro externo ſtipendia ſibi conſtituta, poſt exhibita miniſteria ſpiritualia. 5.196

Miraculum.

Curationem miraculoſam pretio faciens, eſt Simoniacus. 187
Miraculorum virtus, eſt materia Simoniæ. 1.138

Miſericordia.

Miſericordiæ opera corporalia, an materia Simoniæ. 153

Miſſa.

Miſſa, quomodo celebrari poſſit ſecluſo Eccleſiæ præcepto. 161
Miſſam facere obligatus ter aut quater hebdomada, an ſatisfaciat ferialibus tantum diebus celebrando, an & feſtis. 30.322
Miſſam *de requiem*, aut de Virgine, celebrare obligatus, an poſſit aliam facere feſti occurrentis. 34.324
Miſſas 30. D. Gregorij, accepto ſtipendio celebrare obligatus, an teneatur illas *de requiem* & continuò dicere. 35.324
Miſſæ labor intrinſecus, eſt vendibilis. 163
Miſſarum circa ſtipendia, quæſtiones ſingulares explicantur. 297.& ſeq.
Pro dicenda Miſſa, alta voce, aut canendis horis canonicis, accipere pretium, eſt Simonia. 165
Obligatus ter aut quater hebdomada celebrare an ſatifaciat, ſi ferialibus tantum diebus celebret, an vero, & feſtis. 30.322
An obligatus ad quotidianam celebrationem, poſſit aliquo die ceſſare. 33. 323.
An qui accepto ſtipendio promiſit 30. Miſſas D. Gregorij ſe dicturũ, teneatur illas *de requiem*, & ſine interruptione dicere. 35.324
Commutatio duarum Miſſarum, quarum vna modò, alia cras fiet, non eſt Simoniaca. 192
An obligatus ad quotidianam Miſſam pro fundatore aliquo, nunquam poſſit dicere pro ſe. 40.326
An pro ſolemni Miſſa maius ſtipendium debeatur, ſicut & pro Miſſa cui eſt adiunctum officium funebre. 20.313.
Miſſæ celebratio pro eo quem Deus ſcit & videt primum mihi die craſtino daturum ſtipem, & pro craſtina eius intentione, licita eſt ſpeculatiuè, ſed minime in praxi conſulenda. 26. 318.
Miſſa vna, an ſatiſfieri poſſit pluribus ſtipendiis iuſtis, quæ pro pluribus Miſſis data ſunt. 15. 308. & ſeq.

Monaſte

Monaſterium.

Monaſterium locuples, aliquid in ſuſtentationem ab admittendis exigere, an Simoniacum. 4.344

Monialis.

An ſacerdotes ſæculares, qui ſacra faciunt Monialibus accepto ſtipendio, debeant illis ſacra ſua applicare. 42.327.

Monialis in ingreſſu, an poſſit aliquid exigi, ad conuiuia, alioſque apparatus. 2.349

Conſuetudo dotandi Moniales, eſt legitima. 3.344

Monialium dotes, an, & à quibus definiendæ ſint. 13.352

An exceſſus ſupra commodam Monialis ſuſtentationem, ſi exigatur, ſit Simoniacus. 12.352

Morbus.

Morbo detentus ſacerdos à celebratione, an teneatur per alium ſatisfacere. 24.320.

Munus.

Munus, quænam ſignificet in Iure. 215.

Muneris diuiſio, à manu, ab obſequio & à lingua, eſt adæquata. ibid.

Munus à manu, quid complectitur. 216.

Munus ab obſequio, quænam deſignet. ibid.

Munus à lingua, quænam continet ibid.

Munus à lingua, vix diſtingui poteſt ab obſequio. 216

Muneribus inuitari quomodo quis poſſit ad actum ſpiritualem. 5. 125. & ſeq.

Munus ab obſequiis, pretium Simoniacum eſt. 217

item munus à lingua. ibid.

Munere temporali licet remouere ab aliquo impedimento boni operis. 6. 126.

Munera minuta, an ad Simoniam ſufficiant. 1.225

Munerum gratiâ, Iudex negans abſolutionem in foro externo, Simoniacus eſt. 2.136

Mutuum.

Mutuans, an obliget mutuatarium, ad remutuandum ſine vſura. 192

Mutuum, an ſit quid pretio æſtimabile. 2.229

N

Natiuitas.

In die Natiuitatis Chriſti, tria ſtipendia pro tribus Miſſis eo die factis, an liceat accipere. 19. 313.

Natura.

Naturæ rerum non opinionibus, ſed ſuis principiis conſtant. 8

perinde ſe habent ac numeri. ibidem.

latent, & ſuis tenebris inuoluuntur. ibid.

Natura veræ & propriè dictæ Simoniæ, amplius explicatur. 9. & ſeq.

Nauarra.

Petri Nauarra mens & doctrina de Simonia. 54. & ſeq.

Nauarrus.

Martini Nauarri mens & doctrina de Simonia. 62. & ſeq.

Neceſſitas.

Neceſſitas Eccleſiæ, eſt cauſa ſufficiens permutationis beneficiorum. 214.

Notarius.

Notarius an poſſit pretium exigere pro labore ſuo, charta, aliiſque. 362.

Nouitius.

Nouitius, an obligari poſſit pacto, ad

danda ſua bona poſt profeſſionem. 4.343.

Numerus.

Numeri, ac naturæ rerum perinde ſe habent. 8

O.

Obligatio.

OBligatio ad actum vendi non poteſt ſine actu. 3.124

Beneficium cui confertur, antidoralis obligatio ab eo poſtulari poteſt. 267.

Obligatio ad certo die & hora faciendum ſacrum, non eſt Simoniaca. 166.

Obſequium.

Obſequij munus, quænam deſignet. 216.

Caſus ſingulares circa munus àb obſequio. 1.255

Obſequij alicuius temporalis præſtandi onus, non poteſt adiungi rei pure ſpirituali, & quæ nullum habeat commodum temporale annexum, ſufficiens illi obſequio nouo. 4.251.

Obſequium temporale aliquod Eccleſiæ poterit annecti beneficio vacanti, atque deinde cum illo onere conferri. 3.250

Obſequium temporale præſtandum, quoties non eſt annexum beneficio, collatio erit Simoniaca, ſi ſub onere & pacto ipſius detur beneficium. 1.249.

Occultare.

Occultatio criminis, an materia Simoniæ. 2.136

Officium.

Pro funebri officio pretium accipere non poſſunt Clerici tam proprij quam alieni. 184

Officia ſpiritualia ſunt duplicis generis. 436.

Diuina officia, ſunt materia Simoniæ. 152.

Officij diuini nomine, quid intelligitur. ibid.

Officia temporalia eccleſiaſtica, an vendi & alienari poſſint, abſque Simonia. 1.397.& ſeq.

Officia eccleſiaſtica, an validè acquirantur prouiſione Simoniaca. 456. & ſeq.

Omiſſio.

Omiſſio actus ſpiritualis illiciti, non eſt Simoniaca. 2.133

Omiſſio pura actus ſpiritualis, non eſt materia Simoniæ. 3.133

ſed eſt peccaminoſa. ibid.

& Simoniaca, ſi eſt quidam vſus poteſtatis ac iuriſdictionis ſpiritualis. 4.134.

Omiſſio gemina actus ſpiritualis & ſacri. 1.131

Opera.

Opera ſpiritualia virtutum, ſunt materia Simoniæ. 153

quid de operibus miſericordiæ corporalibus. ibid.

Opinio.

Opinionibus non conſtant, ſed ſuis principiis, naturæ rerum. 8

Opinionum inſanarum origo. ibid.

Opiniones nouæ de Simonia, arguuntur. 9

An liceat vti opinione minus tuta? 77.

Oratio.

Orationes priuatæ, ſunt materia Simoniæ. 153

Ordo.

Actus omnis ordinis, eſt materia Simoniæ. 2.145

Etiam à laico exercitus. ibid.146

Ordinis & iuriſdictionis poteſtas, eſt vendibilis. 10.93

Ordo eiuſque collatio, eſt materia Simoniæ. 4.142

Ordinis & iuriſdictionis poteſtas, quomodo

modo diſtinguuntur. 1.132
Ordinatio, adminiſtratio Sacramentorum aliæque functiones ſacræ, ſimoniacè factæ, an ſint validæ & repetendæ. 430
Ordinis, quinam actus. 1.145

P

Pactum.

PActum de mutuanda pecunia conferenti beneficium, Simoniacum eſt. 1.219
Pactio, vt reſignans exigat fructus beneficij antè debitos & nondum ſolutos, Simoniaca non eſt. 1.234
Pactio qua obligatur nouitius ad danda ſua bona poſt profeſſionem. 4.345.
Pactum differendæ aut anticipandæ ſolutionis, pro re ſpirituali, eſt Simoniacum. 230
Licitum erit pactum, de non recedendo ab ea pactione. 213
Pactum de remutuando, ciuiliter obligans, vſurarium eſt. 229.& ſeq.
Pacto non petendi patrimonium, an incurratur ſuſpenſio. 3.227. & ſeq.
Pactum, vt vnus permutantium ſoluat bullas pertinentes ad vtrumque, aut vt reſignatarius ſoluat bullas propter impoſitionem penſionis in fauorem reſignantis, eſt Simoniacum, ſi fiat abſque conſenſu Pontificis. 30.147.
Pactum de ſoluendis à reſignatario expenſis, quas fecit reſignans in reparandis bonis & fundis beneficij reſignati, ſi eæ expenſæ factæ ſunt ex reditibus beneficij Simoniacum eſt. 31.247

Paludanus.

Paludani mens & doctrina de Simonia. 36.& ſeq.

Panormitanus.

Panormitani & Felini mens & doctrina de Simonia. 68
Panormit. Tabiena, Angel. explicantur. 8.89

Papa.

Papa poteſt culpam incurrere Simoniæ iuris humani. 105
ſed vix vnquam incurrit, aut incurrere poteſt. ibid.
Papa quomodo probet penſionis & beneficij commutationem. 104
Papa poteſt committere Simoniam. 23.
Papa permutationes beneficiorum abſque cauſa approbans peccat, ſed valide approbat. 214

Pariſienſis Academia.

Academiæ Pariſienſis mens & decretum de Simonia. 72.& ſeq.
Decretum Facultatis Pariſienſis contra Simoniacos Religioſos. 75
Expenditur. 76.& ſeq.

Parrochus.

Parrochus omittens Miſſam debitam, non eſt Simoniacus. 2.137
Parrochis, an liceat accipere Miſſarum ſtipendia. 12.306
Parrochus an vi ſui beneficij teneatur quotidie pro ſuis ouibus offerre, aut ſaltem quoties ex munere celebrare debet. 13.306
Parrochus, qui non aſſiſtit matrimonio, niſi pretio accepto, Simoniacus eſt. 154
& quid hæc Parrochi aſſiſtentia. ibid.
& an eadem alteri conceſſa. ibid.
Parrochiæ renuntians, vt Epiſcopus ad alteram nominet, eſt Simoniacus. 6.236.
item, retento iure redeundi, ſi ſecundam non obtineat. ibid.
Parrocho nihil licere accipere pro adminiſtratione Sacramentorum, dicebat Ioannes Angeli. 41
à Parrocho conceſſæ licentiæ ſubditis, ſunt materia Simoniæ. 154.
& quæ illæ. ibid.

Particula.

Particula *pro* quid ſignificat in definitione Simoniæ. 12

Paruitas.

Paruitas materiæ in acceptione ſtipendiorum, vnde petatur. 330. & ſeq.

Patronus, Patrocinium.

Patronus capellæ poteſt ſine Simonia vendere ſepulturæ ius alteri. 183

Patrocinium in iudicio mere ſpirituali, an vendi poſſit. 184

Patronus præſentās cum pacto non petendi redditus, an Simoniacus eſt. 2. 227.

Patrimonium.

Patrimonium remittens, vt titulum obtineat, an Simoniacus. 2.227

Patrimonij donatio, duplex. ibid.

Patrimonialia bona Clerici, non tranſeunt in dominium Eccleſiæ, & cur. 338.

S. Paulus.

S. Paulus cur non vſus eſt iure capiendi temporalia. 291. & ſeq.

Paupertas.

Paupertatis ratione, an liceat ſacerdoti maius ſtipendium aut duplicatum accipere. 8. 301. & ſeq.

Peccatum, Peccare.

Peccatum contra præceptum ſolum, non eſt peccatum inobedientiæ. 4. 103.

Nemo vt non peccet, pretium exigere poteſt; poteſt aliquando, vt actum virtutis præſtet, & cur. 2. 123.

Pecunia.

Pecuniam dans alteri, ne interſit electioni, vt alter eligi certiùs poſſit, Simoniacus eſt. 2.137.

Pecunia quæuis, aliáve minuta munera, an ad Simoniam ſufficiant? 1. 225.

Pecunia habet propriiſſimam rationem pretij Simoniaci. 217

item bona omnia temporalia. ibidem.

Pecunia omnia menſurantur. 29

Pecuniam dare licet, nequis mihi litem iniuſtam moueat circa meum beneficium. 22.289

Penſio.

Penſiones ſimoniace acquiſitæ, an ſint dimittendæ. 1.2.436

Penſionem commutationi beneficij adiicere, quis poſſit. 211

Penſio mere temporalis nequit cum beneficio commutari. 104

Penſiones & beneficij commutationem, quomodo Papa probet. 104

Penſio aut pars fructuum, quando ipſi dimittenti reſeruatur, an ſit Simoniaca. 4.409

Penſiones, an ſint materia confidentiæ. 8.411.

Caſus ſingulares circa venditionem & tranſlationem penſionum, ſoluuntur. 396.& ſeq.

Penſio, quibus modis imponatur beneficio in eius collatione. 1.231

Cum Aulico conueniens, vt ſi ſibi beneficium impetret, conſentiat creationi penſionis, Simoniacus eſt 232.

Penſionem promittens ſuper beneficio litigioſo, eſt Simoniacus. ibid.

Promittens ſi beneficium ſit penſione grauatum, eam ſoluere, ſimoniace renuntiat. ibid.

Penſiones beneficiorum, an ſint materia Simoniæ, & an vendi aut redimi poſſint. 390.& ſeq.

Permutatio.

De permutatione facienda tractare licet, nondum monito ſuperiore. 212.

In permutationem faciendam, conſentire poſſunt partes, ſi ſuperior annuat. 212

Ad perſeuerandum in ea conuentione,

tione, poſſunt ſe obligare. ibid.
Permutatio beneficiorum ſingulis menſibus fieri poterit; qui poſſint eam approbare. 202
Permutationis cauſa debet eſſe quid ſpirituale, aut eò tandem reduci. 213.
Permutationis beneficiorum cauſa ſufficiens eſt vel neceſſitas vel vtilitas Eccleſiæ, ſaltem reductitie. 214.
Permutationis & tranſlationis beneficiorum, diſcrimen. 199
Permutatio beneficiorum nulla defectu approbationis ſuperioris, Simoniaca eſt. 214
Permutari inuicem vel cum beneficio, an poſſint iura ad beneficia. 196.
Permutatio beneficiorum Simoniaca, an ſit irrita & nulla. 194
Permutatio ſpiritualium ex iure eccleſiaſtico. 189
Permutatio ſola ſpiritualium in beneficiis abſque ſuperioris authoritate facta, eſt Simoniaca. 190. & ſeq.

Peſantius.

Alexandri Peſantij mens & doctrina de Simonia. 57. & ſeq.

Petrus Aureolus.

Petri Aureoli, mens & doctrina de Simonia. 39. & ſeq.

Phariſæus.

Phariſæi Chriſtum ementes, non fuerunt Simoniaci. 2.137

Piſannella Summa.

Summa Piſannella vulgò Magiſtratia. 67.

Pœna.

Pœna Simoniæ in beneficiis, eſt inhabilitas ad illud idem beneficium obtinendum ſine diſpenſatione. 5. 453.
Pœna 1. confidentiæ, excommunicatio ſedi Apoſtolicæ reſeruata. ibid.
Epiſcopi & alij prælati ſuperiores in pœnam confidentiæ interdicuntur ab ingreſſu eccleſiæ, non vero excommunicantur. 1.454
Confidentiæ 2. pœna, nullitas prouiſionis beneficij. 2.454
Confidentiæ pœna. 3.4. ibid.
Pœnæ Simoniæ commiſſæ in ordinibus ſacris. 454 & ſeq.
Pœna prima Simoniæ in beneficiis eccleſiaſticis commiſſæ, eſt excommunicatio ſummo Pontifici reſeruata. 1.451.& ſeq.
Secunda, irritatio & annullatio prouiſionis. 2.452
Tertia, priuatio omnium beneficiorum priùs obtentorum. 3.ibid.
Pœnæ Simoniæ commiſſæ in ingreſſu religionis. 458.& ſeq.
Pœnæ ferendæ contra Simoniacos ex præſcripto iuris. ibid.
Pœna conuentionalis apponi poteſt. ibid.
De pœnis Simoniæ, pronuntiata vniuerſalia. 446
Pœna nulla incurritur ipſo iure à Simoniacis, niſi circa beneficia, ingreſſum religiones, & ſacros ordines. ibid.
Pœnæ ipſo iure latæ incurruntur per ſolam Simoniam realem, ex altera ſaltem parte per traditionem rei ſpiritualis completam. 2. 447. & ſeq.
Simonia realis vbi fit & completur ſaltem traditione rei ſpiritualis, pœnæ à iure allatæ non retrotrahuntur ad tempus primæ conuentionis. 3.450.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum, eſt materia Simoniæ, & quot modis. 3. 141.
Pœnitentiæ Sacramentum nunquam informe eſt, & ipſius natura ab aliis

aliis quomodo differat. 430

Pontifex.

Pontificum & Conciliorum Edicta contra Simoniam. 1

Pontifex an poſſit diſpenſare in reſtitutione pretij Simoniaci. 445

Pontifex poteſt præbendam ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic ſeparatam vendere. 1.381

Pontifex nequit vendere beneficium. 384.

An ex diſpenſatione Pontificis plura iuſta ſtipendia pro vna Miſſa capere liceat. 16.310. & ſeq.

Pontifex non poteſt exceſſum ſpiritualem beneficij compenſare temporali 208.

Pontificum decreta contra beneficialium fructuum inæqualium compenſationes. 209

Pontifex Romanus ſolus poteſt prouentus eccleſiaſticos à iure & titulo ſpirituali beneficij ſeparare. 201.

ac conſequenter eorum compenſationem permutare. 211

Pontifex non incurrit pœnas Simoniæ ab Eccleſia ſtatutas. 105

Pontifex poteſt eſſe Simoniacus. 1. 104.

Poteſtas.

De actu poteſtatis ſupernaturalis. 144.

Poteſtas ſupernaturalis, gemina in Eccleſia. 1.145

Actus ipſarum, quinam. ibid.

Poteſtatum moralium diſcrimen. 1. 131.

Poteſtatis ordinis & iuriſdictionis diſcrimen. 1.132

Præbenda quid ſit. 199

Separatio præbendæ ab officio ſpirituali, quas ob cauſas & quibus modis fieri poteſt. 2.382

Præbendæ commutatio ſine ſuperioris authoritate, eſt Simoniaca. 199

De præbenda Theologali, remiſſiue. 3.250.

Prælatus.

Prælatis & iudicibus, an prohibeantur munuſcula. 226

Prælatus, an poſſit intelligi nomine Epiſcopi. 199

Curiæ Prælatorum, ſunt probatoria Clericorum. 2.249

Prælatus, qui conſtituit famulo certum ſtipendium donec ei de beneficio prouideat, non eſt Simoniacus, modò non paciſcatur, quod deinceps obtento beneficio gratis inſeruiet. 1. 251.

Prælatus admittens renuntiationes in fauorem, nec expreſſe approbans conditionem adiectam, non erit Simoniacus. 10.239

modo non ex vi conditionis teneatur præciſè beneficium conferre. 11. ibid.

Prælatorum facultas legitimandi, non eſt materia Simoniæ. 158

Præſtimonium.

Præſtimonia, an ſint materia Simoniæ. 387.

Præſtimoniales omnes commutari poſſunt authoritate Epiſcopi cum beneficio. 104

Preces.

Preces, interceſſiones, commendationes aliáque id genus, an conſtituant Simoniam. 1.253.254.

Pretium.

Pretium acceptum pro collatione ordinum, non eſt reſtituendum. 6. 442.

Pretium eſſentiale contractui Simoniaco. 3

Pretium pro venditione iuriſpatronatus, an reſtituendum. 41.441

Pretium pro ingreſſu religionis, an reſtituendum. 5.441

Pretium poteſt quis exigere, vt præſtet actum virtutis. 2.123

Pretij

Pretij ratio, in quo conſiſtat. 2.158.
Pretij & finis principalis diſcrimen. 12.
Pretium & præmium quomodo differant. 13

Primogenitus, primogenitura.

Primogenitura olim coniuncta ſacerdotio, an foret materia Simoniæ. 173. & ſeq.
Primogenitorum tria priuilegia. ibid.
Primogenita emendo, an Iacob Simoniacus. 174
Priuilegia nonnullis Regularibus conceſſa, quid ferant. 311

Profeſſio.

Profeſſio religioſa Simoniaca, an ſit valida. 432

Promiſſio.

Promiſſio facta à reſignatario cedendi beneficium ſibi reſignatum cui reſignans voluerit, Simoniaca eſt. 24.245.
Promiſſio reſignationis beneficij in fauorem collitigantis, ſi obtineat beneficium æqualis valoris, Simoniaca an ſit. 25.245
Promiſſio ficta, an Simoniaca. 7. 8. 7. & ſeq.
Promittens tertiam partem prouentuum beneficialium, tum acquiſitorum, tum acquirendorum, expenſurum in dotem aut alimenta ſororum ſuarum vel neptum, non eſt Simoniacus. 27.246

Prophanus.

Prophana, vnde ſic dicta. 175

Prophetia.

Prophetia, eſt materia Simoniæ. 1.138.

Præpoſitio.

Præpoſitionis *pro* multiplex ſignificatio. 47

Prouincialis.

Prouincialis officium, valide confertur per Simoniam. 437

Prouiſio.

An quando vnus tantum actus in prouiſione beneficij Simoniacus fuit, tota prouiſio inualida fit. 439
Prouiſio nulla eſt, quando prorſus ignorante prouiſo committitur Simonia, cui idcirco neque conſentit neque reſiſtit. 4.414

Puer.

Pueris, aut minus idoneis conſanguineis beneficia conferentes Prælati ſunt Simoniaci. 220

Purus.

Purus locus, quis. 176. & ſeq.

Q

Qualitas.

Qualitates quomodo venduntur. 7.88.

Quæſtio.

Quæſtiones ſingulares circa Miſſarum ſtipendia, explicantur. 297. & ſeq.
Quæſtiones ſingulares circa munus ab obſequio. 2.255. & ſeq.
De quæſtionibus conſcientiæ, conſilia & reſponſa, non ſunt materia Simoniæ. 118

Quæſtor.

Quæſtores eleemoſynarum prohibiti. 155.

R

Raymundus.

Raymundi de Pennasfort mens & doctrina de Simonia. 67

Rector.

Rectoris officium, valide confertur per Simoniam. 437

Reditus.

Reditus ſeparati à iure & titulo ſpirituali beneficij, ſi inæquales ſint, poſſunt aliquo temporali in permutatione compenſari. 211

Regula.

Regula vniuerſalis circa munus à manu in collatione & reſignatione beneficiorum. 1.233

Regulares.

Regularibus nonnullis priuilegia conceſſa quid ferant. 311

Regulares qui plures Miſſas petunt aut accipiunt, quàm facere poſſint, intentione curandi reductionem, an peccent mortaliter. 22.314

Religio.

Religionis duo ſunt actus. 1.94

Religioſus locus, vnde ſic dictus. 176

Religionis ingreſſus.

Promittere alicui poſt præfixum terminum, religionem, ſi interea ſtuduerit, aut certam artem didicerit, an Simoniacum. 10.351

Religioſi bona cur tranſeant in dominium Religionis, data in ſuſtentationem, non autem bona patrimonialia Clerici in dominium Eccleſiæ. 338

Aliquid tanquam pretium pro ingreſſu Religionis accipere, Simoniacum eſt. 336

Monaſterium tenue & egens poteſt neceſſariā ingredientis perſonæ ſuſtentationem exigere. 336. & ſeq. fusè.

Quando aliquis ob eleemoſynas quas fecit & pergit facere Monaſterio, in Religioſum admittitur, an fiat Simonia. 8.351

Religionis pro ingreſſu pretium, an reſtituendum. 5.44

Religiones mendicantes, an aliquid ab ingrediente religionem, exigere poſſint. 6.350

Iura quibus cauetur, ne plures perſonæ admittantur, quàm ex reditibus Monaſterij ali poterunt. 341. & ſeq.

& quid in iis omnibus præcisè prohibeatur. 345

Statutum an condi poſſit, vt aliquid detur in ipſo religionis ingreſſu. 1.348

An poſſit aliquid exigi in ingreſſu Monialis, ad conuiuia alioſque apparatus. 2.349

Munera facta superiori, Abbatiſſæ, v.g. & quibuſuis officialibus, aut Epiſcopo, vt quis admittatur in Religionem, an Simoniaca ſint. 3.349

Abbatum, aut Abbatiſſarum, aliorumque ſuperiorum mos quidam damnandus & ridiculus. 3.349

Ab ingrediente religionem aliquid exigere ad templi ornatum, aut valetudinarium, aliumve eiuſmodi pium vſum, an Simoniacum. 4.350

Pactum de reddita annuo ſuppeditando à parentibus Moniali ad comparandas veſtes, cum Monaſterium ipſi tantùm victum ſubminiſtret, an licitum. 5.350

Reliquiæ.

Reliquiæ & imagines, ſunt materia Simoniæ. 172. & ſeq.

Reliquiarum expoſitio cauſa quæſtus & eleemoſynarum, non eſt Simoniaca. 172

Reliquiæ SS. indignè tractatæ ab hæreticis, pecunia redimi poſſunt. 9.283

Reliquias qui vendit, non tenetur ad reſtitutionem. 3.440

Reliquiæ, grana benedicta, vaſa ſacra ſimoniacè accepta, an retineri poſſint. 432

Reliquiarum venditio minime iniuſta. 2.98. & ſeq.

Remuneratio.

Remuneratio triplex. 265

Renuntiatio.

Renuntiatio litterarum Apoſtolicarum pro beneficio vel penſione, eſt Simoniaca. 197

Renuntiatio abſoluta & ſimplex cum reſeruatione penſionis, non eſt Simoniaca. 22.244

Si reſeruatio fiat propria authoritate, eſt Simoniaca. ibid.

Renuntiatio facta cum pacto, vt reſignatarius ſoluat expenſas factas à reſignante in ſuo beneficio acquirendo, Simoniaca eſt. 29.246

Renuntiationes reciprocæ, ſunt Simoniacæ.

niacæ. 19.243
& quænam illæ. ibid.
Renunciatio triangularis, eſt Simoniaca. 20.243
& quænam illa. ibid.
Renunciatio ex cauſa permutationis, cum eo qui non habet verum beneficium, inualida eſt & illicita. 21. 244
Renunciatio facta pure & ſimpliciter, cum ea ſpe, intentione & ſupplicatione, vt beneficium reſignatum conferatur certæ perſonæ, modo abſit omne pactum, omniſque vera & rigoroſa conditio, ſed tantum quidam poſterior actus coniunctus cum renunciatione ſimpliciter & abſolutè facto, neque Simoniaca eſt, neque illicita. 13.241.& ſeq.
Renunciatio beneficij in fauorem certæ perſonæ, facta in manibus Epiſcopi, non eſt Simoniaca. 7. 236. & ſeq.
& ſolùm ex ſtylo Curiæ interdicitur Epiſcopis, & quare. 237
Renunciationes in fauorem, ſecluſo omni pacto, non ſunt illicitæ ſecluſo iure nouo Pij V. 9.238

Reſignans.

Reſignans litigioſum beneficium eo pacto, vt ſi alter ſuperior euadat, conſentiat in penſionem, eſt Simoniacus. 22.244
Reſignans cum reſeruatione penſionis ex conſenſu ſuperioris, non poteſt ſua authoritate obligare ad dandam hypothecam pro illa penſione, aut fideiuſſorem ſæcularem, aut ad anticipatam ſolutionem, aut ad eius redemptionem, ſine eccleſiaſtica Simonia. 23.245
Collator priuatus aut Reſignans, an poſſit vendere beneficium quod confert aut reſignat ratione emolumenti temporalis, quo ſe priuat, & in alium transfert, ac proinde pro eo damno temporali quod patitur, quidpiam exigere. 1.386
Reſignans beneficium reſeruata penſione, cum ſpe & intentione vt illa ſtatim redimatur, non committit Simoniam nec confidentiam, licet reſignatarius id intelligat, idque ipſum velit, modo abſit omne pactum. 18.243
Reſignantem inter & reſignatarium pacta facta de quibuſdam temporalibus, non ſunt Simoniaca, modo non miſceantur iſta pacta cum renunciatione. 26.246

Reſignatio.

Reſignatio aut ceſſio beneficij, quibus modis fieri poſſit. 1.232
Reſignationes ſolo affectu animi præcedente, an ſunt Simoniacæ. 4.5
Reſignatio in manibus Epiſcopi, ad effectum vt beneficium vniatur certo loco, aut Eccleſiæ, & non aliàs eſt licita. 15 242

Reſponſum.

Reſponſa & Conſilia, etiam de quæſtionibus conſcientiæ, non ſunt materia Simoniæ. 1.118.& ſeq.

Reſtituere, Reſtitutio.

Obligatio Simoniacorum circa reſtituendum. 418
Obligatio reſtituendi Simoniacorum, ex iure diuino & naturali. ibid. & ſeq.
Res ſpiritualis ſimoniacè acquiſita, non eſt reſtituenda, aut dimittenda, ſpectato iure ſolo diuino aut naturali. 419.& ſeq.
Beneficium turpiter acquiſitum, vacans per obitum dimittendum eſt in manibus Epiſcopi, non vero collatoris. 7.425
Pretium in Simonia beneficiali, reſtituendum eſt ante omnem iudicis ſententiam atque in conſcientia. 9. 426
Pretium ex quapiam alia Simonia ac-

ceptum, non eſt reſtituendum ante condemnationem ex iure eccleſiaſtico. 427

De dimiſſione beneficij ſimoniacè acquiſiti. 424

Pretium Simoniacum, in foro poli & ante ſententiam reſtituendum eſt danti, poſt ſententiam illi cui iudex aſſignarit. 428

Beneficia eccleſiaſtica per alienam Simoniam acquiſita, an dimittenda ſint. 433

Beneficiatus, an poſſit pecuniam ſui cauſa ſimoniacè promiſſam aut ſolutam reddere. 434

Reſtituendum an pretium pro venditione Iuriſpatronatus. 4.441

an pro ingreſſu Religionis. 5.ibid.

Reſtituendum an ſit pretium pro collatione Ordinum acceptum. 6.442

Reſtitutioni an obnoxij, mediatores Simoniæ. 446

In Reſtitutione pretij Simoniaci, an poſſit Pontifex diſpenſare. 445

Reus.

Reo poteſt donari vita ea conditione, vt fiat religioſus. 2.129

Richardus.

Richardi à Media-villa mens & doctrina de Simonia. 33.& ſeq.

Rodriguez.

Emanuelis Rodriguez mens & doctrina de Simonia. 66

Romanus.

Romana Curia, Epiſcopi, & alij inferiores Prælati, Simoniaci eſſe poſſunt. 1.104

Apud Romanos erat denegata actio aduerſus ingratos, & cur. 2.263

Roſella.

Roſellæ mens & doctrina de Simonia. 67.

S

Sacerdos, Sacerdotium.

AN Sacerdos morbo detentus, aut alio legitimo impedimento prohibitus à celebratione, teneatur per alium ſatisfacere obligationi. 24. 320

Sacerdos an omnino teneatur celebrare in Eccleſia vel altari, quod à dante ſtipendium, aut fundante beneficiũ, deſignatum eſt. 27.318

Sacerdos an poſſit ab vno vel diuerſis tot ſtipendia accipere, ad iuſtum ſtipendium conflandum. 9. 302. & ſeq.

Sacerdotes diuites, an ſtipendia pro Miſſis accipere aut poſtulare, & demum de illis paciſci valeant. 10. 304

Sacerdoti an liceat paupertatis ratione maius ſtipendium aut duplicatum accipere. 8.301.& ſeq.

Sacerdotia vera non habent Idololatræ. 1.112

Sacerdotes ſeculares, qui ſacra faciunt monialibus, accepto ſtipendio, an debeant illis ea applicare. 42.327

Sacerdotes qui diutius differunt facere Miſſas debitas, an grauius peccent. 23.314

Sacerdos, qui Miſſas quarum ſtipendia accepit, non celebrat, an peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem. 24.314

Sacerdos, an poſſit anticipate Miſſas celebrare. 25.315.& ſeq.

Sacramentum, Sacramentalia.

Sacramentalia, quænam & quot. 3. 109

Sacramentalia tranſeuntia, ſunt materia Simoniæ. 3.109

Sacramentorum adminiſtrationis venditio, Simoniaca ſimul & iniuſta. 3.100

Sacramenta, quomodo vendi & emi non poſſint. 18

Sacramenta omnia & ſingula, ſunt materia Simoniæ. 139.& ſeq.

Sacramentalium nomine, quæ intelligantur. 1.143

Omnia

Omnia & ſingula, ſunt materia Simoniæ. ibid.
Sacramentorum remotæ materiæ, & Sacramentalium, non ſunt materia Simoniæ. 167.& ſeq.
Sacramentorum adminiſtratio, ſimoniacè facta, an ſit valida & repetenda. 430
Sacramentorum labor intrinſecus, eſt vendibilis. 163
Sacramenta ab ipſorum adminiſtratione, an diſtinguantur. 74

Sacrilegium.

Sacrilegium quid ſit. 1.94
Sacrilegium & Simonia, quomodo differant. 2.95

Sacrum.

Sacri faciendi obligatio certo die & hora, non eſt Simoniaca. ibid.
Ad Sacrum faciendum certo loco, aut certa hora, iter, eſt vendibile. 165 Vide v. Miſſa.

Samuël.

Samuël & alij Prophetæ, an Simoniaci. 1.139

Sapientia.

Sapientia, quomodo pretioſior rebus omnibus. 2.114

Scientia.

Scientia naturalis, non eſt materia Simoniæ. 1.113

Scriptura.

Nomine *Scripturæ* quid poſſit intelligi. 396

Sententia.

Sententiæ variæ de eſſentia Simoniæ. 10.& ſeq.

Sepultura.

Sepulturæ honoratior locus, an ſit materia Simoniæ. 183
Sepulturæ locus nondum conſecratus, vendi poteſt. 180
Sepulturæ locus iam conſecratus, vendi poteſt à Dominis, vt quis ibi ſepeliatur, ſine Simonia. ibid.
Item ſepulturæ fidelium locus communis. ibid.
at Iure eccleſiaſtico, grauiſſime prohibetur. ibid.
Sepultura, iuſta & perpetua, cur. 176
Commendari corpus, quid. 177
Sepulcrorum ſanctitas & religio apud Chriſtianos. 177
Mos ſepeliendi in Eccleſiis; olim prohibitus. 178.& ſeq.
Sepultura, an materia Simoniæ. 175. & ſeq.
ſemper ſacra & religioſa fuit habita. 176
Sepulchra vendi, quàm turpe viſum gentilibus. 181.& ſeq.
Sepulturæ locum vendens, quo peccato peccet. 182
Sepeliendi ius in certo loco pro ſe, ſuaque familia, non eſt Simoniacũ. 183
Sepulturæ ius poteſt patronus capellæ vendere alij ſine Simonia. 183

Sigillum.

Pro Sigillo an liceat aliquid exigere. 363

Simon.

A Simone cur potius, quam à Giezi aut Balaamo vel Iuda, denominetur Simonia. 3
Simon voluit emere Spiritum ſanctum. 9.91

Simonia.

Simoniæ præceptum nullum reperitur in lege naturæ. 2.111
reperitur in lege Moſaica. ibid.
Simoniæ aliqua ſpecies fuiſſet in pura natura. 1.111
Conuentionalis Simonia, quid ſit. 5. & quotuplex. ibid.
Simoniæ fœditas vnde. 79
Clericatus Cameræ ſimoniacè obtentus, validus eſt. 437
Quomodo Simonia in confeſſione ſit explicanda. 2.95
Simoniacus proprie, an fuerit Iudas. 2.137
Simoniæ iniuria, vnde accipienda. 107. 108

Abſolutio cenſuræ, eſt materia Simoniæ. 157
Simoniæ definitio, ex Gloſſa. 15
Simonia mentalis, quænam. 443
Simonia mentalis, an obliget ad reſtitutionem. 1.443
Materia & obiectum Simoniæ. 1.83
Mentalis Simoniæ exemplum. 4.5
Simonia ex onere annexo ſpirituali, eſt ſolùm ex iure eccleſiaſtico. 2. 234.
Simoniæ probationes. 459.& ſeq.
Simonia eſt quædam ſpecies hæreſis. 23.
Simonia quomodo committatur in iudicio. 35
In Simoniaco contractu nihil ſpirituale, eſt pretium. 185
Simoniæ & vſuræ diſcrimen. 277
Simonia ex præſcripto iuris, an ſit mixti fori. 459
Simoniæ pænæ enarrantur. 446
Simoniæ triplex acceptio ex Gabriele. 46.
Simonia eſt quædam ſacrilegij ſpecies. 1.93.& ſeq.
Dedicationes Eccleſiarum, ſunt materia Simoniæ. 2.144
Abbatum benedictiones, ſunt materia Simoniæ. 2.144
Simoniaci Iudæ comparantur. 2.138
Simoniæ grauitas. 2.138
In foro Sacramentali negare abſolutionem, eſt materia Simoniæ. 2. 137.
Simoniacum eſt, alere aliquem in ſtudiis, cum obligatione ſuſcipiendi ordines 4.130
Sed non, eo fine, vt clericus fiat. ibid.
Simonia quomodo committatur in iis quæ ſunt annexa ſpiritualibus. 25
Simoniæ committendæ modi omnes. 30.
Pacta facta de quibuſdam temporalibus inter reſignantem & reſignatarium, non ſunt Simoniaca, modò non miſceantur iſta pacta cum renuntiatione. 26.246
Simonia eſt, dare pecuniam pro auferenda peccatorum reſeruatione. 154
Cereorum accenſio, non eſt materia Simoniæ. 151
Collegia Simoniâ teneri poſſunt. 104
Agnorum cereorum benedictio, eſt materia Simoniæ. 2.144
Aquæ benedictio, eſt materia Simoniæ. 2.144.
Conferens beneficium ex promiſſione remittendi debiti, eſt Simoniacus. 1.226.
Conſanguinitatis gratia collatio ſpiritualium an Simoniaca. 219
Simoniæ naturali & humano iure diſtinctio, quomodo intelligenda. 2. 102.
Simonia, quia prohibita, quænam. 3. 102.
non eſt vera & propriè dicta. ibid.
Modi Simoniæ committendæ. 1.103
Simoniacus eſſe poteſt Pontifex. 1. 104.
Ephron & Abraham, non fuere Simoniaci. 182
In Simonia duplex malitia. 61
Simonia conuentionalis, an obliget ad reſtitutionem pretij Simoniaci, aut inualidet actum. 1.444
Reſignanti ſimoniace, manet ſuum beneficium. 4.453
Simoniaci, quinam poſſint eſſe. 1. 104.
Simoniæ confidentialis, quænam ſit materia. 6.410
Simonia quid ſit, & quotuplex. 2
Simoniæ definitio. ibid.
Simonia, an ſit hæreſis. 18
Quomodo committatur Simonia ratione conſanguinitatis. 22
Confirmatio, eſt materia Simoniæ. 140.
Caſus ſingulares, in quibus precium ſimo

ſimoniace acceptum, reſtituendum eſt. 4.9.& ſeq.
Simoniacæ hæreſis frequens mentio apud veteres, & quænam ſit. 2.95 & ſeq.
Simonia peccat contra iuſtitiam. 1.96
Simoniacè vendens, an iniuſtus. ibid.
Vendens ſpirituale pro annexo incommodo temporali, Simoniacus eſt, ſed non iniuſtus. 1.97
Simoniaci communiter dicti hæretici. 28.
Simoniæ grauitas. 2.95
Simonia non eſt hæreſis, neque pugnat cum fide. 1.95
Realis Simonia, quid ſit. 6.5
Simonia conuentionalis mixta, an realis ſimpliciter dici poſſit. 6.5
Simonia cur potius à Simone, quam à Giezi aut Balaamo vel Iuda denominetur. 3
Simoniæ diuiſio. 4
Simonia iuris naturalis & diuini, & Simonia iuris poſitiui. ibid.
Simoniaci Macedonianis peiores. 9.91.
Simonia mentalis, conuentionalis, & realis. 4
Mentalis Simonia, quid ſit. ibid.
In Simonia confidentiali, quodnam ſit pretium. 10 411
Simonia confidentialis in quibus actionibus committatur. 11.413.& ſeq.
Simonia vera, & ficta, quid ſit. 7.6 ea diuiſio reiicitur. ibid.& ſeq.
Simonia mentalis, conuentionalis, & realis, quomodo diſtinguantur. 6.6
Simonia omnis vera & propriè dicta, iure naturali & diuino prohibetur. 1.100
Simonia ſolo iure poſitiuo inducta, non eſt vera Simonia, ſed quædam irreligioſitas. 1.101
Simonia iure eccleſiaſtico inducitur, duobus modis. 1.101
Simonia iuris eccleſiaſtici, ſubiicitur omnibus pænis iuris. 4.450
Simonia fuit ante Chriſtum prohibita. 1.111.

Societas IESV.

Religioſus Societatis ex ſuo ſacro ſtipendium alteri acquirens, peccat. 5.333.
Religioſus Societatis quoties poteſt abſque peccato ſacra pro aliis facere, non indiget ad id ſuperioris licentia. 6.ibid.
Ex ſacro Religioſi Societatis ſtipendium ſibi acquirens, vix ſibi illud retinere iure poterit, niſi ex præſumpta voluntate dantis. ibid.
Clericus ſi ſtipem conſumpſit, neque reſtituere poteſt, nec ſacra facere, poteſt Religioſus Societatis gratis pro ipſo ſatisfacere. 334
Quid de ingrediente Societatem, qui grauatus ſit onere Miſſarum ex acceptis ſtipendiis. ibid.
Religioſus Societatis qui illicite ſtipendia ad Miſſas accepit & conſumpſit, tenetur ad illa ſacra vel per ſe vel alium. ibid.
In Societate fas eſt recipere eleemoſynas, & munera, ob exhibita ſpiritualia miniſteria. ibid.
In Societate licet recipere, & petere pro commeatu aut ſuſtentatione miniſtrantis ſpiritualia in certo loco. 335.
Religioſus qui in Societate ſtipendia etiam cum licentia accepit, tenetur ea danti reſtituere. 4.331
Expulſus è Societate tenetur pecunias acceptas, ſi eas habeat, danti reſtituere. 5.332
Religioſus Societatis peccat, ſi paciſcatur ſe ſacrum facturum, ſtipendium autem dandum vel pauperi vel conſanguineo. 5.332
Religioſus Societatis poteſt facere ſacra ad quæ alius tenebatur, duntaxat gratis. ibid.

Religioſus Societatis non poteſt facere ſacra pro executoribus teſtamentorum. 333

Societatis IESV conſtitutio de non accipiendis ſtipendiis ſacrorum miniſteriorum. 327.& ſeq.

An hæc ſtipendiorum non receptio pertineat ad votum paupertatis. 328. & ſeq.

ſtipendiorum acceptio in Societate, eſt mortalis, niſi paruitas materiæ excuſet. 330.

Soror.

In dotem ſororum promittens tertiam partem prouentuum, non eſt Simoniacus. 27.246

Soto.

Dominici Soto mens & doctrina de Simonia. 51.& ſeq.

Spiritus Sanctus.

Spiritus ſanctus quomodo venditur. 9. 90.

Ex Auguſtino, poteſt vendi Spiritus ſanctus. 9.91

Spiritualis.

Vox *ſpiritus*, æquiuoca eſt. 2.84

Spirituale quomodo vſurpatur in definitione Simoniæ. 3 84

Spiritualia quotuplicia & quæ. num.4. ibid.

Commodum pure ſpirituale eſt vendibile. 1.99

Spiritualia cauſaliter, aut effectiuè, ſunt vendibilia. 10.93

Spiritualia per annexionem, quæ. 5.85

Spiritualia inter, & materialia, connexio triplex. ibid.

Spiritualia eſſentialiter, quomodo venduntur. 8.89

Spiritualia quomodo venduntur. 8.88

Spiritualia vendi poſſunt duobus modis. 7. 87.

Spiritualia per eſſentiam, an vendi poſſint. 17

Spiritualia cauſaliter & diſpoſitiuè, ſunt materia Simoniæ.. 2.108

An liceat actionem ſpiritualem cum obligatione ad aliam ſimilem præſtandam commutare. 192

Spiritualia omnia, quæ habent temporalia ſibi conſequenter annexa, an ſint permutabilia inuicem. 193. & ſeq.

Actuum ſpiritualium duo genera. 18.

Sportula.

Sportulas exigi non licet. 5. 373

Stipendium.

Stipendia plura iuſta, an liceat capere pro vna Miſſa, ex diſpenſatione Pontificis. 16.310.& ſeq.

In ſtipendium, an aliquid poſſint pro ſua opera accipere, miniſtri matrimonialium diſpenſationum. 8. 365.

Qui vnum vel plura ſtipendia accipit, an poſſit aliquid ſibi retinere, ſi per alios ſacerdotes minori ſtipe celebrari curet. 18.312

& quid de Parrochis, ſacriſtis. ibidem.

Quando vnus poſtulat Miſſam ad aliquid impetrandum, alter vero ad ſatisfaciendum, an poſſit vtrique vna Miſſa ſatisfieri, ac ita accipi gemina ſtipendia adæquata. 17. 311. & ſeq.

Stipendia tria pro tribus Miſſis, die Natiuitatis, an liceat accipere. 19. 313.

Stipendia plura adæquata, an accipi poſſint pro vna Miſſa. 307.& ſeq.

Miſſarum ſtipendia, lege aut conſuetudine definita, an poſſint maiora exigi. 1.297.& ſeq.

An qui initio fuit contentus infimo ſtipendio, poſſit illud deinde pro arbitrio ad ſummum reducere, atque ita numerum Miſſarum minuere. 3.298

Stipendium iuſtum Miſſæ, quodnam ſit. 4.298

Sirpen

Stipendium dare & accipere miniſtrantibus ſpiritualia licitum eſt. 1.290
Stipendium maius, an in feſto poſſit capi. 21.314
Stipendiorum in acceptatione, vnde petatur paruitas materiæ. 330. & ſeq.
Stipendium pro miniſteriis ſpiritualibus, in pactum deduci poteſt abſque Simonia. 2.293
Stipendium iuſtum miniſtrantium ſpiritualia, lege aut conſuetudine definiri poteſt. 3.294
Stipendij miniſtrorum ſpiritualium æqualitas, ex qua ratione capienda eſt. 4.295
Miniſtri eccleſiaſtici poſſunt exigere etiam in foro externo ſtipendia ſibi conſtituta, poſt exhibita miniſteria ſpiritualia. 5.296
Circa Miſſarum ſtipendia quæſtiones ſingulares explicantur. 297. & ſeq
Epiſcopus conferens beneficium, ne amittat ſtipendia ſibi à Principe conſtituta, non eſt Simoniacus. 3.214.
An ſacerdos qui accipit ſtipendium ad dicendas 30. Miſſas per 10. dies pro defuncto quopiam, ſatisfaciat, ſi illas ab aliis ſimul dici curet intra vnum aut paucos dies. 37.325
An applicans maiorem Miſſam ſeu conuentualem, illi à quo accepit ſtipendium, ſatisfaciat. 39.326

Studere.

Studendi licentia, non eſt materia Simoniæ. 118

Stylus.

Stylus Curiæ non facit opinionem certam, ſed tantum probabilem. 107
Ex ſtylo Curiæ interdicitur Epiſcopis reſignatio beneficij in fauorem certæ perſonæ, & quare. 237

Subornare.

Subornatio non cum iuſtitia, ſed cum charitate pugnat. 18.288
Subornanti electores, ipſiſque ſubornatis, an nefas date pecuniam. 18. 288.

Suffitus.

Suffitus thuris inter ſolemnia officia, eſt materia Simoniæ. 151

Summa.

Summa definitæ dotis, vnde poſſit augeri, vt monaſterium iure aliquid amplius exigat, quam commune ſtatutum ferat. 14.353.& ſeq.

Superior.

Superiore nondum monito, licet de permutatione facienda tractare. 212
Superioris authoritate, facta commutatio beneficiorum, non eſt Simoniaca. 198
Superioris abſque authoritate, præbendæ commutatio eſt Simoniaca. 199.
Superioris authoritate, an poſſit permutari beneficium cum penſione. 203.
Superior ſi annuat, poſſunt partes in permutationem faciendam conſentire. 212

Supernaturalis.

Omnis res ſupernaturalis & ſacra, eſt materia Simoniæ. 106

Supplicatio.

In ſupplicatione, Crucis geſtatio, eſt materia Simoniæ. 151

Suſpenſio.

Suſpenſio an incurratur per pactum non petendi patrimonium. 3. 227. & ſeq.

Syluester.

Syueſtri mens & doctrina de Simonia. 65.

T

Tabiena.

Tabienæ mens & doctrina de Simonia. 64

Tartaretus.

Tartareti de Simonia mens & doctrina. 32.& ſeq.

Tempora

Temporalis.

Temporale poteſt eſſe finis principalis rei ſpiritualis. 2.13

Ad temporale commodum in datione vel miniſtratione ſpiritualium, eſt quadruplex intuitus. 45.& ſeq.

Temporale quodnam, ſit pretium in contractu Simoniaco. 215

Temporalis rei pro actu ſpirituali, donatio liberalis, quibus modis fieri poſſit. 6.126.& ſeq.

Teſtis, Teſtimonium.

Teſtimonium, an in iudicio mere ſpirituali vendi poſſit. 184

Teſtis impia obſtinatio & vexatio, pecunia redimitur abſque Simonia. 20. 288.

Theologia.

Theologiam docere, æque hæreticus poteſt, ac Catholicus. 2.116

Theologiæ doctrina non eſt materia Simoniæ. 1.115

& cur? 2.116

Theologiæ doctrina ſit eodem modo, quo aliarum ſcientiarum. 2.115

D. Thomas.

S. Thomæ mens & doctrina de Simonia, ex Summa. 22. & ſeq.

D. Thomas fruſtra defendit Iacob Simoniæ. 174

S. Thomæ definitio Simoniæ. 17. & ſeq.

D. Thomas omiſit adnexa concomitanter, & cur. 5.86

S. Thomas conſtituit Simoniam in emptione & venditione. 18.& ſeq.

D. Thomas exponitur. 156

Timor.

Timore amittendi ſua debita, creditor conferens beneficium, an Simoniacus. 3.224

Titulus.

Titulum vt obtineat, patrimonium remittens, an ſit Simoniacus. 2.227

Tonſura.

Tonſura clericalis, eſt materia Simoniæ. 151

Tranſactio.

Tranſactio ad componendam litem beneficialem, an ſit Simoniaca. 1.400. & ſeq.

Tranſactio quid ſit. ibid.

Tranſactio omnis, in qua dimittitur ſpirituale pro temporali, Simoniaca eſt. 2.402.

Tranſactio, in qua vnum ſpirituale datur pro alio proportionato, extra materiam beneficialem, non eſt Simoniaca. 3.402

in materia beneficiali fieri non poteſt abſque conſenſu ſuperioris. 4. 403.

Epiſcopi authoritate, aut etiam arbitratorum fieri poteſt, modo ex natura ſua Simoniaca non ſit. 5.404

Tranſlatio.

Tranſlationis & permutationis beneficiorum diſcrimen. 199

Triangularis.

Triangularis renunciatio, eſt Simoniaca. 20.243

& quænam illa. ibid.

Tridentinum.

Trident. decretum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *de reform.* expenditur. 360.& ſeq.

Trident. quaſnam conſuetudines ſuſtulit *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 14. 5.375. & ſeq.

à Trident. prohibita ſunt, dulciaria, & conuiuia. 37[illegible]

Trident. decretum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* expenditur. 4.363. & ſeq.

Tyrannus.

à Tyranno captiua Euchariſtia, pecunia redimi poteſt. 8.283

V

Vacare.

Vacare nolens à legendo Doctor, niſi pretio accepto, non eſt Simoniacus. 4.115

Valentia.

Valentia defenditur. 78.& ſeq.

Valerus.

Valerus.

Ioannis Valeri mens & doctrina de Simonia. 66

Valor.

Valor rei, vnde petendus. 2.115

Vaſenſis.

Vaſenſia Concilia, quæ. 178

Vas.

Vaſa ſacra, ſimoniace accepta, an retineri poſſint. 432

Vaſa ſacra, an precio locari poſſint. 170.

Venditio, Vendere.

Vendi an poſſit anima. 8.88

an eius potentiæ. ibid.

an eius habitus. ibid.

an actus. ibid.

an opera externa. ibid.

Vendens aquam benedictam, committit Simoniam. 2.101

Vendibilis an ſit area excipiendo corpori. 182

Venditionis ratio, an eſſentialis Simoniæ. 9. & ſeq.

Venditione, quomodo acquiri poſſit iuſpatronatus. 390

an pretium pro ea, ſit reſtituendum. 4.441

Vendere laboris exceſſum in opere ſacro ex parte operantis, eſt periculoſum. 165

Vendibilis eſt labor intrinſecus Miſſæ. 163.

item baptiſmi. ibid.

Vendi poteſt locus ſepulturæ nondum conſecratus. 180

item iam conſecratus, vendi poteſt à dominis illius, vt quis ibi ſepeliatur. ibid.

item locus communis ſepulturæ fidelium. ibid.

ſed iure eccleſiaſtico grauiſſime prohibetur. ibid.

De vendibilitate rerum materialium conſecratarum, ſententia Canoniſtarum veterum. 169

Vendere Chriſtianum, Iuſtum, Sacerdotem, Religioſum, vt ſic, Simoniacum eſt. 138

Vendantur quo iure, in Curia Romana, Clericatus & Auditoriatus Cameræ. 400

Vendendo primogenita, Eſaü non fuit Simoniacus. 174

Vendibile eſt, conſilium morale. 3. 120.

item Theologicum doctrinale. ibid.

Per venditionem & emptionem incurritur Simonia. 3

Venditionis acceptio laxior. ibid.

Venditionis nomine indicatur pretium. 3.

Vendi non poteſt obligatio ad actum, ſine actu. 3.124

Verbum.

Verba ciuiliter & curialiter ſunt intelligenda, non ruſticè & rigoroſe. 415

Veritas.

Veritatem vendere non eſt Simonia. 1. 113.

ſed graue peccatum. num.1.2. p.114

Veſtis.

Veſtes, vaſa ſacra, altaria, & templa, an vendi poſſint? 169.& ſeq.

Veſtium ſacrarum locatio eſt licita. 171

Veſtium benedictio, eſt materia Simoniæ. 2.144

Vexatio.

Vexationem iniuſtam, quam quis in conſecutione rei ſpiritualis patitur, licitum eſt redimere. 2.278.& ſeq.

Vexatio iniuſta, in quo conſiſtat. 279

Iniuſtæ vexationis redemptione, quandonam præſumitur Simonia in foro externo. 4.280

Vexatio ipſamet iniuſta, quando eſt materia ſpiritualis, non licet illam redimere. 5.280

Vexationem iniuſtam, quam quis patitur in ſpiritualibus, nunquam redimere

mere licet. 1.281

Vexationem iniuſtam, licitum eſt redimere, licet adeundo ſuperiorem, vel alio modo eiuſmodi vexatio poſſit impediri. 2.281

Vexationis iniuſtæ redemptio, quando negans ſacramentum, id facit tantum ex odio, alióve prauo affectu, licita eſt 6.283.

Dans aliquid ſpirituale ad redimendam iniuſtam vexationem, Simoniacus eſt. 10.284

Ad redimendam vexationem iniuſtam, nunquam licitum eſt emere rem ſpiritualem. 1.276

Vexationis ceſſatio, non eſt materia Simoniæ. 10.283

Tollere pecunia vexationem ſibi iniuſte factam in iure acquiſito beneficij, eſt licitum. 12.284

Vexationem iniuſtam etiam à patrono, electore, aliiſque redimere licitum eſt. 15.285. & ſeq.

licet in foro externo præſumenda ſit Simonia. ibid. & ſeq.

Vicarius.

Vicarius generalis, nec iudex ſpiritualis eccleſiaſticus, conſtitui poteſt pretio. 156

nec capellanus. ibid.

Vicarius Parrochi, pretio conſtitui non poteſt. ibid.

Vicarius generalis non poteſt admittere reſignationes causâ permutationis, licet habeat mandatum ſpeciale conferendi beneficia. 201

Vicaria perpetua, inualide per Simoniam obtinetur. 437

Victoria.

Franciſci à Victoria mens & doctrina de Simonia. 50. & ſeq

Villalobos.

Villalobi mens & doctrina de Simonia. 66.

Virgo.

Miſſam de Virgine celebrare obligatus, an poſſit aliam facere feſti occurrentis. 34.324

Virtus.

Quandonam pro actibus virtutum moralium aliquid licitè accipi & exigi poſſit. 1.2.122

quandonam non poſſit. ibid.

Virtus miraculorum, eſt materia Simoniæ. 1.138

Virtutem religionis admiſit Ariſtoteles. 1.112.

Virtutum opera ſpiritualia, ſunt materia Simoniæ. 153

Virtutis actum vt quis præſtet, poteſt pretium exigere. 2.123

Virtutum moralium actus ex ſe non ſunt materia Simoniæ. 1.122

Viſitatio.

Viſitatio eccleſiaſtica, eſt materia Simoniæ. 157

Vitare.

Pro vitanda Simonia, cordis directio. 45

Vt vitet offenſionem Principis, conferens beneficium Epiſcopus, non eſt Simoniacus. 3.224

Vita.

Vita poteſt donari reo, ea conditione, vt fiat Religioſus. 2.129

Vnctio.

Ex vnctione Spiritus ſancti, conſilium, eſt materia Simoniæ. 4.120

Quandonam tale ſit, vix vnquam certo conſtat. 120. & ſeq.

Vnctio extrema, non eſt materia Simoniæ. 5.142

Vnio.

Vnionis hypoſtaticæ gratia, non eſt materia Simoniæ. 1.137

Vnus.

Vnus vt tantum eligatur, an poſſit dari pecunia. 21.289

Vnus quoties fictè conſentit, matrimonium eſt fictum. 77

Voluntas.

Voluntas emendi, non emptio, eſt eſſentialis Simoniæ. 3

Votum.

Votum.
Votum de præſtanda re temporali ad obtinendam ſpiritualem, vel contrà, an ſit licitum. 192.& ſeq.
Vrbanus.
Vrbani II. mens in cap.*Saluator.* 61
Vſura.
Vſuræ & Simoniæ diſcrimen. 277
Vſurarium eſt pactum de mutuando,ciuiliter obligans. 229.& ſeq.
Vſuræ & Simoniæ mentalis diſcrimen, fruſtra inquiritur. 444
Vſus.
Vſus quarundam Eccleſiarum circa reſignationes, an Simoniacus. 14.242
Vtilitas.
Emere aliquem in Prælatum aut Epiſcopum ſibi vtilem,non licet. 3.124
Vtilitas Eccleſiæ, eſt cauſa ſufficiens permutationis beneficiorum. 214

X

Xenodochium.
Xenodochia, an ſint materia Simoniæ. 389
& quotuplicia ſunt. ibid.

Y

Ypocrita.
Ypocrita, an ſit Simoniacus. 21

Z

Zeroboam.
Zeroboam & Balaam, non fuerunt Simoniaci. 1.112. & ſeq.

FINIS.

95 371618